UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antonii Mvsae Brasavoli Medici Ferrariensis Examen omnium Trochiscorum Vnguentorum, Ceratorum, Emplastrorum, Cataplasmatumque, & Collyriorum

Brasavola, Antonio Musa

Venetiis, MDLI

urn:nbn:de:hbz:466:1-70720

Visual Library

1553

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 6051.

K II, 40.

Ioes Georgius Schiffell Spirensis

Ad usus Thom Jac Erath
Paderborn

R II, 40, 1

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANTONII MVSAE BRASAVOLI

Medici Ferrarienſis

Examen omnium Trochiſcorum
Vnguentorum, Ceratorum,
Emplaſtrorum Cataplaſmatumque,
& Collyriorum,
quorũ apud Ferrarienſes pharmacopolas
vſus eſt:
In quinque diſtinctum tractatus,
quorum primus

ALPHONSO HERCVLIS II.
FERR. DVCIS IIII. PRIMOGENITO
DICATVS EST:

Opus medicam artem exercentibus valde vtile.



Venetijs apud Iuntas
M D L I.

HIERONYMVS BRASAVOLVS

ad Illustriss. atque Excellentiss. ALPHONSVM Illustriss. HERCVLIS II. Ducis Ferrarię IIII. Primogenitum.



INter tot, tamque celebres, ac. ferè innumeras facultates, quæ ad vsum humanum, & vitæ necessitudinem à summis viris inuẽtę sunt Excellẽtissime Princeps, illa potissimum cæteras præcellere videtur, quę à Græcis ἰατρικὴ, à Latinis facultas medica nũcupatur, quę non tantũ in sua natiua sanitate homines conseruat: verũ & si ęgritudines inciderint, in pristinum statum, ac sanitatem restituit, immo et ferè semimortuum in vitam reuocare potest. cum nobis igitur tot bona præstet, omnium facultatũ regina nuncupari debebit (liceat.n. mihi in præsentiarum tali nomenclatura medicam facultatem appellare) quis ergo eam magna cũ diligentia non obseruabit? quis eandem maiori cum honore non uenerabitur? & denique quis aptis ulnis maxima cũ affectatione nõ amplectetur! atq; osculabitur? quid.n. diuitiæ absque sanitate efficere possunt? quid pulchritudo ipsa? quæ absente sanitate defloresćit; quid corporis for

 titudo?

titudo? quæ ægritudine præsente languida efficitur, nulla est medi⁹ fidius disciplina medica facultate præstantior, nulla æque vtilis, nulla denique inuenitur, quæ illam antecellere possit. Itaque omnib⁹ perspicuũ esse non dubito cæteris artibus nobiliorem esse, ac magis præclarã. Quam ob rem ab omnibus expetẽdam esse summi viri censuerũt, cum & emolumenta maxima: & maximas, ac innumeras mortalibus afferat commoditates. Has ob causas, colendissimus genitor meus toto nixu, totis viribus hanc obseruauit; & in ea omnem diligentiam adhibuit, vt pro seipso, ac alijs optimum ipsius finem assequeretur, quẽ omnibus (quando opus est) impartiri posset. Iccirco post multa alia, quę in ipsa scripsit medica facultate monumenta, nunc libellum istum de Trochiscis in lucem exire sinit: & vt in suis lucubrationibus alicui Principi inscribendis negligens est, sinebat illũ absq3 tutore ĩ publicũ emitti quod ego (vti filius, cui parentis dignitas aĩo est) ferre non potui, sed statim arrepto calamo libellũ ipsum Excellentię tuæ dicaui, vt in lucẽ sub tui noĩs tutela ꝓdiret. Accipe igitur Excellẽtissime Princeps munusculũ hoc, qualecũq3 sit, hilari frõte, vt à tuo illo benigno ac sereno aspectu ad maiora exciter, atque accendar. Vale.

Antonii

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium TROCHISCORVM, qui apud Ferrarienses pharmacopolas conficiuntur.

SENEX.



ROSIT, proficiatq; : eſtne apta hæc, ac cõueniẽs prãdẽdi hora? BRAS. Cur illi apta nõ eſt, qui ad hãc uſq; horam in rebus ſerijs ac humanæ uitæ neceſſarijs occupatus fuerit? opus etenim fuit me ægrotos omnes, quos ſub tutela et curatione habeo inuiſere, priuſquã prandere uoluerim, iuſteq; potuerim: nã tu in catharticis medicamẽtis, quæ catapotia non ſunt, expẽdendis me ad tardam horam occupaueras. SE. Nunc mihi uidetur potius eſſe antecœnandi hora quàm prandendi. BRAS. Tu forte ſenio confectus cum pueris antecœnas: ego autem puerulis, et his qui creſcunt hoc antecœnandi munus relinquo, nimirum qui quinquageſimum exegerim annũ, neq; amplius creſco, niſi ut cucumeres in latus & in uentrem. SE. At ego qui ob ætatem puer ſecundo effectus ſum cum illis antecœno, & plærunq; illos inuito, qui alioqui luſtibus occupati antecœnam deſpiciebant. BRAS. Tibi (abſq; ullo pudore) antecœnare conceſſum eſt, cum ulti

mum ſenium iam attigeris: hi etenim qui in hac ætate cõ ſtituti ſunt, ſæpius edere debent (Galeno teſte) & pro unaquaq; uice haud multũ, ne eorum natiuus calor, qui puſillus eſt, tali copia obrutus ſuffocetur. SE. tẽpeſtiue prandeo, et ſatis copioſe, antecœno modicum, et mediocriter cœno. BRAS. Cur potius opipare non cœnas, & mediocriter prandes? SE. Ita à pueritia aſſuetus ſum: medicos autem audiui de hac cœnæ, ac prandij copia in meo pharmacopolio uſq; ad conuitia diſſerentes, qui neſcio quem uirũ adducebant hominum mores peruertere tentantem, omnibuſq; ſuadentem cœnam prandio ampliorem eſſe oportere. BRAS. Cogit ne quem piam hic uir ad tantam cœnam ac prandium deſſumenda? SE. An cogat ignoro, audiui tamen, quòd omnes illos imperitos eſſe arbitratur, qui aliud agunt, & hominibus aliud præcipiant, & hos conuitijs, ac blaſphemijs inſequit: immo addebãt totã uictus rationem LEONI X. Pontifici max°. ĩmutaſſe. BRA. CLEMENTI, non Leoni, ſed immutato uiuendi genere breui obijt Clemens, qui diutius forte ſuperuixiſſet, ſi ſuo illo primo ac diu aſſueto uiuendi genere uſus fuiſſet. SE. Quid cenſes tu in hoc negocio agendo? BRAS. Eſt medica diſputatio, & antiqua, nõ recens & hoc tempore orta (ut nonnulli cenſent, qua ambigitur nũ prandium cœna plenius eſſe debeat, an cœna prãdio, et unaquæq; pars ſuos habuit, habetq; fautores. SE. Quid facis tu in tuo proprio corpore. BRAS. Tecum ingenue loquar. ego in cœna et prandio hucuſq; nullam feci, neq; facio differentiam: et deinceps ita ſequar, niſi proſpera ac ſecũda mea ualetudo immutetur: nam & probè prandeo, & probè cœno:

cœno: neq; contemplor an hoc plenius esse debeat, an illud, & neq; ex hoc, neq; ex illo dispendium sentio: immo si in prandio quæ magis sapiant adfuerint, plenius prandeo (nam quid pransurus, aut cœnaturus sim semp ignoro. hoc etenim prouidendi munus, uxori, & quæstoribus meis demandatum est) & si in cœna illa fuerint quæ magis sapiãt, plenius cœno. SE. Ergo medice non uiuis? BRAS. Quid est hoc medice uiuere? ego humaniter uiuo, nõ medice, et humanas seruo consuetudines, ægroti medice uiuant, & qui ualetudinariam uitam degunt, hominem uere sanum suæ sponte esse debere Celsus testatur, nihil est quòd sapiat, à quo abstineam. SE. Multos igitur fructus edere debes. BRAS. immo pauciſsimos, nam mediocriter sapiunt, si uehementer saperent, à nullo eorum genere abstinerem. SE. Cur iubes ut alijà fructibus abstineant? BRAS. Hoc ualetudinarijs iubeo, et ægrotis, ac lurconibus illis, qui uentriculum ad os usq; fructibus implẽt, sed sanos moderate fructus edere nihil incommodi est, immo ex fructuum esu id cõmodi habẽt, quòd aluus lubrica redditur: hocq; maxima fructuum pars efficit. SE. Tu igitur semper prandes, ac cœnas? BRAS. Rarum est, immo rariſsimum (niſi ægrotauerim) quòd non bene prandeam, & bene cœnẽ, et si nonnunq̃ me haud prandere contingat, symptomata illa statim incido, quæ ab Hippocrate in libro de Ratione uictus in acutis: & in libro de Priſca medicina referunt. Cum. n. hora transit, cõfestim uehemẽs debilitas seqtur, tremor, animi defectus os amaresçit, in iram excitor, difficulter spiro, & ieiunare nõnunquam mihi morbi principiũ fuit, & origo. SE. Nunquam

igitur ieiunare deberes. BRAS. Rariſsime ieiuno: nihil enim uitæ meæ, meiſq; uiribus magis noxiũ, magiſq; periculoſum inueni ieiunio. ſemel à prandio abſtinui circa alia occupatus, in tãtam incidi imbecillitatem, ut uix loqui potuerim priuſquam comederim, tam facile à ieiunio reſoluor. SE. Si in Aphrica ortus fuiſſes ſemel tantum (pro patrio more) in die comediſſes. Nam diuus Auguſtinus Carthaginenſis cum Romam profectus eſſet, fatetur ſe monſtra uidiſſe: monſtra uero uocabat bis in die eſitare, Romani etenim prandebant, ac cœnabant, cum Aphricani ſemel tantum in die comederent. BRAS. Si diuus Auguſtinus in Galliam profectus eſſet, arbitror hos uocauiſſet pluſquã monſtra. SE. Quam ob rem? BRAS. Quia in Gallia paßim quinquies in die cibis ueſcuntur. SE. Et in Auſtria ſemper. BRAS. Verum tamen ſi diuus Auguſtinus nunc eſſet ſuperſtes illi monſtrum non uideretur bis in die comedere, quoniam in præſentiarum Carthaginenſes, & Tunetani, & cæteri Aphri bis in die comedunt. At ordinem quendam periodorum cœli in eſitationum numero contemplemur. Multi ſunt Romæ, qui ſemel comedunt: idem plurimi faciunt Florentini, in qua urbe nonnulli ſunt, qui non ſemel tantum, ſed & adeo parce, ut dimidium dici poßit quam opus ſit, Bononiæ bis comedunt, Ferrariæ ter, Mediolani, in Inſubria, ac in regione Pedemontana quater, in Gallia quinquies cibis ueſcuntur? SE. Quomodo id faciunt, & quo tempore? BRAS. Hoc ordine et temporibus quæ enumerabo. Cum è lecto ſurgunt, ſtatim ientant, quòd deiuner appellãt, nos dicimus far collatione panis buccellam accipiunt, et nõnihil bibunt, poſtea hora conſueta

ra consueta prandent, & cum ad uesperas pulsatur antecœnant, postea statuta quadam hora cœnant, denique cum dormitũ eũt, bucellam panis edunt, & supbibunt. quòd appellant prendre son uin. Cum ê Gallia in Angliam trãsitur, semper homines edere inuenies hoe est in die pluries: arbitrorq; si ultra Angliam alia adesset regio quòd in ea adhuc frequẽtius ederetur, nec ab re, quia esset regio magis frigida: frigidæ uero regiones multum appetere faciunt. SE. Tu quid melius censes, semel, an bis in die comedere? BRAS. Bis in die. SE. Cur semel tãtum non est melius, ut amplius negociandi tempus habeatur? BRAS. Quia uentriculus per multas horas uacuus esset, & nihil in quòd ageret, haberet, quòd natura minime fert: nã flatu, ac pituita implebitur. octo etenim aut nouem horæ ad coctionem quæ in uentriculo fit satis sunt: in reliquo tpis ad alterius usq; diei cibationem, opus erit, aut uentriculi actionem otiari, aut ad se pituitã, flatus, ac prauos humores in quos agat attrahere. Hippocrates uero propè calcem secundi libri de Ratione uictus in morbis acutis, ait semel in die comedere, emaciare, siccare, uentrem sistere, nam calor unetris humidum, & carnes consumit: prandere uero contraria facit. SE. Tamen Hippocrates in quarto de Ratione uictus in morbis acutis libro eorum discrimina refert, qui prandent, et non sunt prandere assueti: inquit. n. (haud longe à libri calce) Etenim qui prandere non consueue- cc
runt, si pransi fuerint, uẽter eorum intumescit, somno- cc
lenti redduntur, et plenu: quòd si præterea cœnauerint, cc
uẽter ipsis turbat. BRAS. Hippocrates in hoc loco de cc
inassuetis prãdere uerba facit, ut planũ esse poterit con

templanti:

templanti: nam & Galenus eodem loco sectione uidelicet uigesima secunda inquit, id esse ex repentina mutatione, quia grauatur ab alimento facultas. nunc uero de his quæ assueta sunt minime loquimur: nam qui ad aliquid sunt assueti iuxta Hippocratem omnia ad quæ sunt assueti facilius ferre possunt. SE. Cum uero nos & prãdere & cœnare assueti simus, quid plenius à sano homine faciendum est, prandere ne an cœnare? BRAS. Qui sanus uere est, et probe concoquit, bene prandeat, & bene cœnet: at non intelligo hunc tuburcinari debere, et ad summum cibis se explere, sed ad probi ac honesti uiri consuetum & commodum edere. SE. In ualetudinarijs autem quid agere oportet? BRAS. Vt suæ ualetudini cõfert. SE. Mihi animo esset, ut hoc negocium expressius, & cũ maiori rationũ diligentia enodares: nam multa in meo pharmacopolio audiui, quæ à diuersis medicis de hac quæstione disserebantur, & quæ me ambiguum reddidere, nam aliqui prãdium cœna plenius esse oportere fatebantur, alij cœnam. BRAS. Si ambiguitates illas quas mente concepisti, in medium afferre non contemnes, nos illas pro posse absoluere nõ grauabimur, SE. In primis de prandio disputarunt, qua hora apud antiquos summeretur. BRAS. Antiqui diem, hoc est lucem ipsam in duodecim horas tam hyeme q̃ æstate diuidebant, et noctem, idest tenebras in duodecim: erant uero hyeme & æstate horæ inæquales, uere & autumno æquales, ut de æqualitate & inæqualitate horarum astronomi disserunt, hic negocia nõnulla statutis quibusdam horis perficiebant, quæ nunq̃ ad alias horas demandassent, in hac uero horarũ distinctione, nona

ne, nona hora cœnabant, de his autem horis ac negocijs in ipsis peragendis extant Martialis carmina in quarto Epigrammatũ libro, in epigrammate ad Euphemum, in quo ita cecinit.

Prima salutantes, atq; altera continet hora.
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam uarios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris,
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est Eupheme meorum
Temperat ambrosias cum tua cura dapes
Et bonus ethereo laxatur nectare Cæsar
Ingentiq; tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos, gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra thalia Iouem.

Martialis euphemũ rogat, ut ĩ suis carminibus Imperatori ostendendis hoc ordine utatur, ut illa quæ sunt seueriora ante cœnam ostendat, quæ uero sunt iocosa post cœnam. cum igitur iubeat decima hora ostendendos esse iocos, inditiũ est q, nona hora cœnauerint. S E. ad huius rei propositum quid facit hæc cœnandi hora antiquorũ, & prandendi? B R A S. Nihil ut arbitror, at tibi retuli illos de hac re disseruisse, sed nos illam pretermittere debemus, quia de cœna, & prandio sermo futurus est, ut in præsentiarum in usu sunt, nam, & antiqui eisdem cœnabant horis, & prandebãt ut nunc facimus, ut ex Hippocrate constat, & Galeno in libro de Ratione uictus in morbis acutis, mirorq; de his nominibus quempiam ambigere. Nam statim qui de hac re disserit per prandium

esus

esus ille intelligitur qui mane fit postquam homo per ali quot horas negocia exercuerit, q̃ est quarta, aut quinta hora, postquam è lecto surrexerit: & per cœnam com= mestio illa uespertina intelligenda est, quæ fit per spatiũ octo, nouem, uel decem horarum à prandio, & per spa= tium unius, uel duarum horarum à decubitu. hæc est cœ na, & hoc prãdium de quibus sermo futurus est, ut apud nos consueta sunt uocari ac insumi, & eodem modo an= tiqui (forte in aliqua horarum portione euariantes) in= telligebant, ut hora scilicet matutina prãderent, uesper tina uero cœnarent. De hoc ergo prandio, & de hac cœ na intelligentes (quia ita etiam Hippocrates, et Galenus intelligunt) differamus, quid nã plenius esse debeat. Di= sputatio autem non erit pro hominum consuetudine, nec pro moribus, sed erit in se simpliciter, quia magna homi nũ pars de more plus cœnat, q̃ prãdeat. SE. In maiori Ferrariensiũ parte hoc intueri licebit, q̃ scilicet tenuius prandent liberius ac plenius cœnãt. BRAS. Hoc uerũ est tamen, & nonnulli plenius prandent, & minus cœ= nant, sed rari sunt. SE. Simpliciter igitur differas cõsue tudinibus prætermißis, & quid ratio dictet ostendas, et prætermißis etiam ægrotantibus, nam hi secundum ægri tudinis genus & horas quibus monentur in uictu sunt re gendi. BRAS. In simpliciter sanis, & qui ob aliud nõ coguntur, cœna prandio plenior semper esse debet: ita
» enim Galenus in septimo Methodi dicit. Quare pri=
» mo loco leue sumendũ his est (de his loquitur qui refici=
» untur) quò uidelicet concoquatur celerrime, & ex=
» crementũ eius discedat, & uacuus purusq; uentriculus se
» cundum excipiat, At quoniam non solũ quies & somnus,

sed etiam

ſed etiam longius tempus huius naturalẽ adminiſtratio= ‹‹
nem excipit, rationabile eſt ut ualẽtiores ciborũ hoc ma ‹‹
xime tempore offerantur, itaq; etiam athlethæ omnes ſic ‹‹
faciunt, qui eũ uſum nõ ſolũ aliqua ratione inuenerunt, ‹‹
ſed etiam longa experientia comprobarunt. Hinc facile ‹‹
colligi poteſt ob longius tempus q; inter cœnã & prãdiũ
interponit, & ob ſomnũ ac quietẽ plenius eẽ cœnandũ.
SE. Galenus hoc in loco de conualeſcentibus qui maci=
lenti ſunt et impinguari cupiũt ſermonẽ habet. BRAS.
Conualeſcentes ſani ſunt, et ideo ſub noſtra cõſideratio=
ne continẽtur, adde rationem qua utit Galenus ſanis con
uenire, nam in quiete conſiſtit ac ſomno, & in cœna ad
prandiũ diſtantia, quæ ratio ſanis æque competit. SE.
Galenus de cibi multitudine loqui nõ uidetur, ſed de ua=
lentiore cibo quo athletæ ueſcuntur, ut robur corporis
faciãt. BRAS. Valentior cibus duplex eſſe poteſt, aut
quò ad ſuam naturam ualentior ut bouis caro, aut quò ad
multitudinẽ. ad Galeni intentum ſiue primo, ſiue ſecũ do
modo ſit ualentior in ſecunda cibatione quæ cœna uocaĩ
ſummi debet, nam ad nutriendum præbetur. SE. Sani
tanto nutrimento non indigent, ut conualeſcentes q; ma=
cilenti ſunt. BRAS. Immo & ipſi indigent, quia con=
ualeſcentes uim habent concoctricem imbecillã, ſani aũt
habent illã robuſtã, iccirco nutrimtto indigent, in quod
agat robuſta uis, et Galeni ratio monet uentriculũ purũ
eſſe debere, & nihil in ſecunda cibatione, quæ cœna eſt,
continere, at à ſecunda cibatione ad primã hoc nõ dicit,
uentriculum ſcilicet purũ eſſe debere, quia tanta adeſt à
cœna ad prædium diſtantia ut neceſſario ſit purus et ni=
hil cœnæ cõtineat. SE. Proſequaris obſecro. BRAS.

Nobis

Nobis ociũ nõ ſuppetit de hac re abũde diſſerẽdi, iccirco nunc rerũ capita attingemus, aliàs ſeorſum quæſtionem ample tractaturi. ſed aliud audias ad ſuadendum cœnam prandio amplioręſſe oportere argumẽtũ. Quo tempore naturalis calor intenſior ac uehemẽtior eſt, eo tempore iure plenius edendũ, ſed noctu calor naturalis intenſior ac uehemẽtior eſt, igitur noctu, hoc eſt in cœna, plenius edendum. SE. ego huius argumenti minorem propoſitionem inficiasirem. BRAS. Gaudeo plurimum, te dialecticum tam repente euaſiſſe. SE. Immo à puericia dialecticam didici, neq; in illa fueram mediocriter uerſatus, adhucq; ueluti igniculi qdã in me relicti ſunt, quibus facile argumentorum genera deprehendere poſſum. BRAS. En minorem illã quam is inficias probo. Cum naturalis calor retrahitur tunc uehementior fit, in ſeipſo ſcilicet contractus, & ueluti coadunatus, ac conculcatus, ut Hippocratis Galeniq; ſentẽtia eſt, quoniam in primo Aphoriſmorum libro aphoriſmo decimo quinto iudicarunt ideo hyeme coctiones fieri potiores, quia noctes longißimæ, immo, et præter horum authorũ ſentẽtiam ratio ipſa id dictare uideẽ, quia naturalis calor in ſomno ad centrum cõtrahitur unde Galenus in primo de ſymptomatũ cauſis capite octauo monet, animales facultates in ſomno quieſcere, naturales uero uehemẽtius agere, & non deſiſtere. SE. Ego libenter Galeni uerba audirẽ. BRAS. hæc ſunt. Liquet aũt non ſecus, & quod » in ſomno, aut omnino ferientnr ſenſus, aut exiliter & » obſcure agant. Rationabile ergo eſt exiguum uirtutis à » principio in ſingulos tum confluere, & profunde quidẽ » ac non profunde dormire, ſicut uulgo loquimur, ex quan-

titate

titate influentis uirtutis contingit: cum tanto minus eius influere ſit credibile, quanto ſomnus eſt profundior. Igitur in toto eo tempore uidetur animalis uis quieſcere, naturalis autem uehementius operari. Hec ſunt Galeni uerba quæ audire cupiebas. SE. Tã dilucida ſunt ut q. optabas plane oſtendant, ſed an naturalis calor intus retrahat, iuxta Galeni dogma nõdũ ſuaſiſti. BRAS. Poſſem hoc ex tota medicorum ac philoſophorũ ſchola ſuadere, ſed nobis in præſentiarũ inſtitutum eſt Hippocrate et Galeno ſolis uti. hic nimirũ in tertio de Cauſis pulſuũ, rationem reddit, quare pulſus in ſomni initio ſunt imbecilliores, tardiores, atq; rariores, deinde maiores fiunt & uehementiores, rationẽ reddit, quia calor cogẽs ſe ad interiora cibum inuenit, quẽ conficere debet, laboratq; ut illũ ſuperet, ac uincat, unde quoàd cibũ ſuperauerit imbecillior uidetur, cum uero ſuperauerit ualidior fit, pulſusq; maiores euadunt, ac uehementiores. SE. Ita ego reſpondere poſſem, non eſſe uniuerſale q. concoctio melior in ſomno fiat q̃ in uigilia, ſi illa quæ digeri debẽt æqualia ſummant. BRAS. Immo in his de quibus ſermo futurus eſt, in ſanis ſcilicet, & qui non magis uni quã alteri ſunt aſſueti, ſemp melior fit in ſomno quàm in uigilia cõcoctio, ut ratio ipſa dictabat. Adde, et ob noctis frigiditatem naturalem calorẽ uehementiorẽ euadere, nã noctu cõtrahitur, et in ſeſe collectus intrinſecas partes magis calefacit, extrinſecas uero calore deſtitutas deſerit, cuius rei teſtis eſt Galenus in primo Aphoriſmorũ libro aphoriſmo decimoqnto ubi ait. Cauſam uero ob quã hic idem calor in hyeme augeatur, etiã Ariſtoteles dixit. Refugit enim propter circũſtantẽ extrinſecus frigiditatem

» giditatem ſicut rurſus æſtate ad ſibi affinem protẽditur.
» Atq; ita contingit diſſolui quidem ac diſſipari eius ſub=
» ſtantiam tempore æſtiuo: contineri aũt ac cohiberi, &
» in profundum ſecedere hyemali. Ob hoc igitur et coctio
» nes, & ſanguificationes, & nutritiones his temporibus
» ſunt meliores. Verum hæc non contingunt, niſi ob frigi=
» ditatem unde et Hippocrates dicebat, Ventres hyeme, et
» uere nã calidiſſimos eſſe, ob aeris frigiditatẽ, ſed in nocte
aeris frigiditas dominatur, igitur et naturalis calor con
trahit & uehementior euadit. SE. q; de hyeme adducit
ad rem ipſam facere nõ uideẽ, qa non omnes hyeme pro=
be coquunt, ſed illi ſolum qui carnoſi ſunt, & calidi, q; à
Galeno oſtendi uidetur, animalium exemplo in latibulis
degentiũ, quæ per totã hyemẽ nõ edũt, quia nec coque=
rent, quoniã eorũ naturalis calor adeo imbecillus eſt, ut
à frigore feré extinguatur, aut ſaltem ſopiatur pro=
pterea non omnes melius hyeme coquunt. BRAS. Hi
qui frigidi ſunt et macilenti nõ ſunt uere ſani, ſi anima=
libus in latibulis degentibus comparari poſſint nam ſunt
adeo frigidi ut hyeme ſuperueniente adeo infrigidentur
ut nullo pacto, uel modice coquant. SE. A nonnullis
audiui, q; & ſi calor ſit uehementior in nocte quã in die
tum ob noctẽ, hoc eſt obſcuritatem, tum ob frigiditatẽ,
tamen multæ adſunt noctu ſuperfluitates, circa quas oc=
cupaẽ natura, iccirco minus cœnare opus ẽ, ut natura fa
cilius in hæc excrementa agere poſſit, & illa expellere.
BRAS. Hæc uana ſunt, quia nõ ſunt plura ſuperflua
in nocte, q; in die, nã ſi in nocte forte adſint prandij ſuper
fluitates, in die etiam aderũt cœnæ ſuperfluitates, iccir=
co illorum quos adduxiſti ratio nullius momẽti eſt, unde

aliud

aliud audito argumentum. In illa temporis cõditione, in qua naturalis calor aptior fit ad concoquendũ, in illa inq̃ plus edẽdũ, sed in quiete calor naturalis fit aptior ad con coquendum, ergo in quiete amplius edendũ est, uerũ om pium quietũ maxima est in nocte, igitur in nocte magis ndendum est, sed in nocte cœnamus, cœna igitur prandio elenior esse debet. SE. Hic adsunt multa, quibus assen tiri non cogimur, nã primã propositionẽ concedimus, se cundam imus inficias, naturalẽ scilicet calorem in quiete aptiorem fieri ad concoquendũ, cũ experientia ostendat coctiones potiores fieri cũ corpa exercemus. BRAS. Si propositionẽ illã tibi uerã esse suadebo, quid postea di ces? SE. Nihil aliud q̃ id fateri q̃ probaueris, modo id recte probare ualeas. BRAS. Ita facile probabo. Ca lor qui ab exercitatiõibus excitatur coctiõi quæ in uen= triculo, ac iecore fit minime cõfert. prætereo ad hoc sua dendum Auicẽnæ sententiã in Tertia primi, doctrina se cunda, in capite tertio & septimo, & Rasis sententiam quarto ad Almansorem, et Auerrois in sexto Collectio= num suarũ capite secundo, sed id rõne probo. quia calor à motu factus ad circunferentiam trahit, nam extimam superficiem calefacit, qua calefacta id q̃ intus est ob ca= lorem ad circũferentiã trahit, iccirco coctio impeditur, quæ in uentriculo fit, et quæ in iecore. secus eẽt de tertia coctiõe ad quã sequitur distributio, & assimilatio. Hinc Galeno placuit exercitationes & motum post factas co ctiones fieri oportere, hoc à Galeno edocetur in sexto de Sanitate tuẽda, non esse scilicet exercendum corpus, nisi postq̃ uẽtriculus, et uasa crudis succis prsus sint ua= cua. Immo, & iubet prius etiam urinã, et excrementa eẽ

excreta. SE. Experientia tamẽ ostendit, illos qui corpora exercent facilius cõcoquere. BRAS. Hoc uerũ est primis factis ante exercitationem concoctionibus, qa exercitatione calor uehemẽtior euadit, at si fiat dum in uentriculo ac iecore cruditates existũt, extimus calor ad circumferentiam trahit, idq; trahit q, crudum est. SE. Sequetur igitur per totũ corpus crudas materias distribui? BRAS. Proculdubio sequetur, & fiet. Dic uero nonne illo tempore plus edendum, quo maior præcesßit consumptio? SE. Ita uideretur, modo nõ esset talis consumptio, quæ uires imbecillas rediderit, tunc enĩ minus prebẽdum est ac sæpius. BRAS. De tali consumptione non loquor, sed de illa ad quã hæc sequeretur, nisi cibis occurreremus, quorum officium est, id q, deperditũ fuerit restaurare. at in die, tum ob exercitatiões ad uitã necessarias, tum ob calorẽ diei, magna fit resolutio, quã ut reficiamus, et deperditum resarciamus, plenius edere debemus, hoc autem fieri debet uesperi, hãc nimirũ ho = si plene cœnauerimus id noctu reficitur, q, in die deperditum est. SE. Si coctiones noctu fiunt potiores, igitur summo mane optime edendũ erit, ut uires reficiantur, et id resarciatur q, deperditũ est. BRAS. Deciperis qm̃ & si coctio noctu melior euadat, tamen non fit tanta resolutio ut in die fit, in quo mouemur, & corpora exercemus. sed & aliud audito argumentum. SE. Iam audio. BRAS. Cũ inter prandium, & cœnam octo, uel nouẽ horarum spatium intersit & nõnunq; septẽ, spatiũ inter prandiũ & cœnã erit quindecim horarũ, uel sexdecim, uel decem & septem, nisi uero plus cœnauerinus, quàm pransi simus per amplum spatium uentriculus relinque =

tur

tur uacuus, & ita flatu implebitur, ac pituita, & ipsius uires exoluentur. SE. Igitur simpliciter censes plenius cœnandũ esse, & tenuius prãdendũ? BRAS. Ita censeo si simpliciter loquamur. SE. At si quis plus prandere assuetus esset q̃ cœnare q̃d tum agendum? BRAS. Si eiuscemodi consuetudo diutina fuerit, & ferè à pueritia incœpta, & homo p̃ multos annos antea illam obseruauerit, à sua consuetudine dimouendum non esse arbitror, quia consuetudo est altera natura. At si breui temporis consuetudo sit, hic facile consuetudinẽ transmutare poterit, ac debebit. De his ergo q̃ longa consuetudine minus cœnarunt, plus prãsi sunt, in præsentiarum minime loquimur, quia illos in sua cõsuetudine, et in sua quodã modo ntura uersari sinimus. Memini, patruũ meum, Ioannem Brasauolũ uirum (si quis alter) integerrimum, & qui septuagesimum quartum agebat annũ, uehementi ægritudine affectũ, quẽ curaui, & in sanitatẽ, restitutus est, dum cõuale sceret, illũ blandis uerbis alloqui, cœpi, ò patrue dixi, ad hanc tam grandæuam ætatem perueni sti, uictum iam mutare deberes (nam nihil penitus præter fructus edebat, & per totum uitæ curriculũ ederat) & plus uiuere quã fieri posit eniti, carnesq; edere, oua, & probos pisces, & reliqua quibus cæteri hoies uescuntur. tunc me defixis oculis intuitus est, & dixit charissime nepos ad hãc usq; ætatem septuaginta quatuor annorum cum hoc uictus genere perueni, & nunc uictum immutabo cum pedes mei sepulchri partẽ iam occupent? morte profectò prius præuenirer, q̃ consuetudinem immutare potuerim. senis uerba considerans illius consiliũ laudaui ac probaui, ut scilicet consuetudinẽ suã obserua-

ret, & præsertim quia carnes, & pisces non mõ abhorrebat, sed& difficulter concoquebat: cuiuscunq; uero generis fructus & probè concoquebat, & summe appetebat. Itaq; per septem, aut octo annos adhuc cum suo hoc uiuendi genere superuixit, ut deniq; sua sponte uiuens octuagenarius animam Deo reddiderit. hinc inferẽdum censeo longas consuetudines nõ esse immutandas, et præsertim in uictus ac in ordine sumẽdi uictũ. SE. Qui ergo assueti sunt ampliuscule prandere, & minus cœnare, in sua illa consuetudine relinquendi sunt? BRAS. Si longa sit consuetudo, quæ in naturam ferè transiuerit. nam iuxta Hippocratẽ in secundo Aphorismorũ libro aphorismo quinquagesimo. Quæ ex longo tẽpore consuetaſunt, & si deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. immo si nonnunq̃ consuetudo in melius sit ĩmutanda à Galeno iubemur in qnto de Sanitate tuenda sensim esse mutandã. et Hippocrates in secũdo de Rõne uictus ĩ morbis acutis libro docet longe melius esse non tantum sanis. sed etiam ægrotis uitiosam uictus rationẽ seruare, q̃ illã subito, etiã si melior sit, mutare. & Galenus in eodẽ quinto de Sanitate tuenda inquit. Senibus utilius esse cõsueto opere exercitari, etiam si modice noxium sit. Cõtra iuuenibus ea mutare quæ nocent tentandũ est, etiam si à pueris his maxime insueuerint. Hisq; utitur uerbis Galenus in eo libro. Ergo nec assuetudines ipsæ, tam & si praua sunt displicentibus adhuc sibi corpibus mutãdæ sunt, nec per summam sanitatem semper id est tendãdum, sed tum, cum is cui mutandæ sunt à ciuilibus negocijs maxime uacat. SE. Audiui medicos illos inter se altercãtes dicere rusticos, & qui uictum suis manibus, & cum labo

re

re quærunt, plus prãdere debere, & minus cœnare, quia in quotidiano labore multum cõsumunt. BRAS. Hoc uanum est, nam hi statim à prãdio labores subire cogun tur, ut ob motum in extrinsecis partibus calor accenda= tur, qui deinde cibum ad circumferentiã trahit, et præ= terea corrumpĩ potius q̃ coquatur, tamen in his regula esse non uidetur, cum quater & quinquies in die esitent, & Ferrarienses rustici cũ triturant qnquies in die edũt, testuacea, carnes bouilas, anseres, lagana, et cibaria cras sa, ac difficilioris coctionis, tamen diu uiuunt, & semper pleni laborant, quamuis ratio dictet q̃ in quiete plenius edere deberent. nam Galenus in secundo de Sanitate tuen da prius laborandum esse monet, postea edendum, quia uehemens post esum motus cibos corrumpit, & ad cir= cunferentiam trahit, cunq; hi qui ita laborant uehemen= tius ac profundius dormiant, iccirco eorũ naturalis ca= lor uehementior est, & ita in somno id magis cõcoquere possunt, q̃ in uigilia corrumpunt. in primo etiam de Ali mentorum facultatibus capite secundo à Galeno notatur si à somno arceantur hi qui ita laborãt, ægrotare. SE. Experientia ostendit illos diu superuiuere, tamẽ in pran dio plene edunt, & in matutina ientatione, & in ante cœna. BRAS. hoc ideo est quia sunt assueti, & à pa= rentibus orti qui illis cibationibus erant assueti, assuetu= doq; in illis in naturam transiuit. Superioribus mẽsibus cũ Romã uelociori equitatu proficiscerer, si bene pran= debam cibus in uentriculo feré corrumpebatur, si uero tenuiter prandebam, erã postea uehementer delassatus, ut bene prandere potius elegerim, et melius cœnare q̃ te nuiter prãdere: hoc tamen seruabam q̃ in prandio modi

e bibebam, potus etenim erat causa corruptionis cibi in uentriculo. SE. Si quis eēt noctu uigilaturus, et interdiu dormiturus, quid agendum ab hoc esset? BRAS. Oppositum agēdum, uidelicet tenuiter cœnādum esset, & plenius prandendum, quia hic die noctis loco utitur. Nonnullos uidi, qui sua spōte id agere tētarūt, scilicet nocte uigilare & interdiu dormire, q cum naturæ ordinem immutare tentassent, quæ suadet negocia interdiu fieri, & noctu dormire, in ipsos ira percita breui ab hac uita in aliam permutauit. huius rei magnum exemplum fuit Hippolytus Cardinalis Estensis, qui hoc agēs in summo ætatis uigore uita (magnō omnium luctu) priuatus est. At si quispiam nonnunq̄ cogatur negotia quædā noctu perficere, Rasis monet undecimo de Regimine iter agentium capite uesperi non esse cœnandum neq; edendum, quoād quietis tēpus inuenerit. SE. Hoc mihi belle quadrat, at si quispiam ob aliquam ægritudinē uesperi cœnare non posset, quid agēdum? BRAS. Hic in nr̄a cōsideratione non continet nam de sanis solū uerba facimus, qa ægroti eo modo regēdi sunt ut ipsa exigit ægritudo, si accessiones uesperi, aut statim in prima noctis parte fiant cœnandū nō est, qa ut hētur Aphoris. lib. 1. apho. 11°. In accessiōibus abstinere oportet nā cibū dare
» nocuū est, et propè etiā accessiones. SE. Audiui cosdē medicos dicentes noctu inter dormiendū plures uapores in caput ascēdere, q̄ inter uigilādū, iccirco plus prandēdum minus cœnandñ esse, ne caput noctu uaporibus impleatur. BRAS. Nūc amplam difficultatem ingrederis, quæ est num ob cœnam, an ob prandium caput magis impleatur. SE. Immo & hoc scire peropto.

BRAS.

BRAS. Si Galenū contemplari non pigeat, intellige mus caput uaporibus magis impleri post prandium, q̄ post cœnam, nam sumpto prandio, quia homo interdiu exercetur duo incidit incōmoda, primo cibus haud probè coquitur, sed ob motus calorē crudus ad circūferentiam trahitur, secundo fumi in caput eleuantur illudq; implent, propterea adest Galeni documētum in his qui interdiu corpus exercere debent, in quocunq; exercitationis genere, tenuius prandendum esse, & plenius cœnandum, quod ipse in se ipso exercuisse testatur, in sexto de Sanitate tuēda libro. Classe secunda pag. 97. G ubi ait eum morem obseruasse, cum erat in uisitandis ægrotis, uel ciuilibus negocijs ĭpeditus, quod hora quarta diei panem simplicem absque alio obsonio & potu summebat, panis uero in tanta erat copia ut ad decimā usque horam confici posset, qua hora deinde & panem & obsonia in cœna comedebat, ut scilicet carnem, oua, pisces, & reliqua quæ in usu cōmuni sunt cibaria, uinumque bibebat, erat uero eiuscemodi decima hora horarum equinoctialium uigesima secunda horarum computum incipientes ut in nostro cōmuni horologio facimus, hoc igitur inditium est caput magis impleri in die quā in nocte, coctionemque perfectiorem sequi in nocte quā in die, SE. Per quā uiam caput à uentriculi uaporibus impletur? BRAS. Per tres uias. SE. Quæ nam sunt? BRAS. Stomachus, idest gula, arteriæ, & uenæ, adde præterea et quartam uiam quæ est insensibiles meatus, quos Græci poros uocant, per arterias uero fumos in caput ascendere in pulsuū Introductorio octauo capite scriptum habetur, & in tertio

de Virtutibus naturalibus capite quartodecimo quod et per uenas, gulã, et insensibiles meatus caput repleatur, eodem loco scriptum est. SE. Hoc igitur à te discutiendum uenit, num uapores in uigilia magis in caput ascendant, an in somno. BRAS. Hoc iam discussum esse uidetur, quãquã cõmunis sententia oppugnet, quæ dicit post cœnam maiorem fieri capitis repletionẽ, quã post prandium. at nos oppositum esse censemus, quoniã inter illa quæ replent caput, ea quæ calefaciunt (iuxta Galeni dogma) summe replẽt, at uigilia calefacit, igitur & caput replet. SE. Calefacit quidem, sed extrinsecas partes. BRAS. Tamen calefacit, et somnus infrigidat, & si intellexeris extrinsecas partes: cum uero de ratione calidi sit attrahere, & quæ calefaciunt, ad attractionem faciant, igitur dum uigilamus caput facilius replebitur, quã cum dormimus. SE. Per quos meatus uapores in caput ascendunt? BRAS. Per iam dictos. SE. Durum uidetur atq; impossibile per arterias uapores in caput ascẽdere arbitrari. BRAS. Immo notissimum & facillimum est, ut Galenus docet in tertio de Virtutibus naturalibus capite quartodecimo. hoc nimirum loco docet qũo arteriæ ad se trahant, in arteriarũ etenim dilatatione cum sint cuti propinquæ et ad illã terminentur aerem ad se trahunt, at arteriæ illæ quæ propè cor sunt, à corde ipso trahunt, illæ uero quæ ad stomachum terminantur ab eo etiam trahunt, docet que uicissitudinem quãdam adesse in uenis & arterijs, ut arteriæ à uenis, uenæ ab arterijs trahant. SE. Quid trahunt uenæ ab arterijs, & arteriæ à uenis? BRAS. Arteriæ sanguinem tenuem à uenis exugũt,

uenæ

uenæ ſpiritus ab arterijs attrahũt. SE. Arteriæ quid à ſtomacho, et corde trahere poſſunt. BRAS. Solæ ſunt arteriæ cordi propinquæ, quæ ſpiritus à corde trahunt, ſed quæ remotæ ſunt, non quidẽ à corde ſed à cute aeri propinqua exugunt, & à ſtomacho tenues partes uaporoſas, iccirco arteriæ uaporibus replebuntur, quibus deinde caput repletur, & hic erit modus quomodo per arterias caput impleri poterit. SE. Quomodo & per quã uiam, arteriæ propè uentriculum uapores in caput tranſmittunt? BRAS. Hoc fit per duas illas arterias quæ in caput aſcendunt, & quæ deinde in paruas diſſecantur arterias, ex quibus denique retiformis plexus conficitur, quem rete mirabile uocant, uniuntur deinceps, & duæ fiunt arteriæ, quæ per hanc uiã cerebrum ingrediũtur. à Galeno etiam notatur in octauo capite libri Introductorij ad pulſus, arteriam plus conſtringi cum dormimus quã dilatari, cum autem uigilamus, plus dilatari quã cõſtringi. hinc cõcludi uidetur, illa orificia in ſomno minus attrahere, quia minus dilatantur, in uigilia uero quia magis dilatantur, magis etiam attrahere, eſt nimirum illarum officium cum dilatantur attrahere, nunquã enĩ attraherent niſi dilatarentur. SE. Scire optarem num facilius uapores in caput penetrent, & in alias etiam partes in ſomno, an in uigilia. BRAS. Scito ſomnum à uaporibus fieri, qui caput petunt, ac obſtruunt, unde hi uapores qui ſomnum excitant, uias illas obſtruunt, quæ in retiformi plexu inueniuntur, rete mirabili à recentibus uocato, quod in illo ſitum eſt loco in quo lacuna colatorium nuncupata inuenitur, cum igitur in ſomno fumoſæ illæ humiditates

miditates uias illas obstruant, ut uis sensitiua haud penetrare possit, iccirco impossibile est uapores per hanc uiam facilius ascendere in somno quã in uigilia, quoniã in uigilia arteriæ magis dilatãtur, & uia reserata est, cerebrum igitur in uigilia magis quã in somno incalescit. SE. Eiuscemodi rationes non nihil probi inferre uidentur tamen experientia ostendit cum homines summo mane expergiscuntur, multum expuere, nares emungere, & oculis suspensas gramias cum liquidas tum præduras habere, iccirco in somno maior collectio fieri uidetur. BRAS. Si materias contemplaberis quæ interdiu expuuntur, & per nares emunguntur, & uapores qui per oculos diflantur, hæc longe plura esse percipies, quã illa quæ in his meatibus in nocte colliguntur. & præterea quæ in nocte colliguntur superflua sunt, quæ ex cerebri nutrimento & partium capitis deciduntur. SE. Si uapores per arterias non ascendunt, per gulam saltem ascendere dicendum erit. BRAS. Scito uapores istos qui per gulam ascendunt arterias ingredi oportere, quæ tamen à uaporibus obstructæ sunt, qui somnum conciliant, uapores igitur in uigilia facilius ad caput penetrabunt, quã in somno. SE. Immo uidẽtur & hi uapores qui per gulam ascendunt per illam partem ascendere posse, quæ in palato sita est, colatorium uocata, nam si per illam sputa descẽdunt, per eandem uapores ascendere posse nihil impedit. BRAS. Scito cũ natura in somno potius expellat, quã recipere possit, iccirco materia potius in somno descendit, quã aliqua ascendat, neque arbitrandũ est quòd nihil penitus ascendat in somno, at minus ascen

dit

dit, quã in uigilia fiat. SE. De uenis autem quid dices? per uenas saltem, per quas caput nutritur, uapores ascendunt, nam ut nutrimẽtum ascendit quid impedit, & uapores illos ascendere qui in uenis continentur? BRAS. Scito uenas non dilatari ad uapores attrahendos, ut arteriæ faciunt, quia motu illo dilatatiuo carent, & coarctatiuo. SE. Venæ tamẽ uaporibus implentur. BRAS. Hoc non imus inficias at dicimus uenas non posse uapores ad cerebrum ducere, quia uenæ per caluariam caput ingrediuntur, & per cõmissuras quæ in caluaria sunt, arteriæ uero per inferiores partes ingrediuntur, & interiores in cerebrũ, & non per exteriores & superiores, ut uenæ faciunt. SE. Cur ita effectum est à natura? BRAS. Non ab re quia sanguis natura grauis est, spiritus uero, siue uapores leues, iccirco difficile est uapores qui in uenis sunt in cerebrum descendere, quia uenæ per superiorem caluariæ partem cerebrum ingrediuntur, sed cum hi uapores tenues sint, potius ascendunt, & cum sint propè cutim per ipsam exeunt, & in cerebrum non descendunt. SE. Hoc saltem mihi a te concedetur quod in caput per porositates ascendunt. BRAS. Neque istud concedam, quoniam & in somnis porositates clauduntur, pauciq; sunt illi uapores qui per porositates penetrant, nanque illos potius per cutim semp expellere conatur, iccirco in somno multi contingunt sudores. SE. Si caput noctu nutritur sanguis necessario per uenas in cerebrum tendit. BRAS. Quis hoc it inficias? SE. At hi spiritus sunt sanguini mixti in uenis, igit & ipsi cerebrum ingrediuntur. BRAS. Fatemur

aliquam

aliquam portionem cum sanguine descendere, qui cerebrum nutriturus est, tamen maior pars per cutem exit, & per cutis capitis insensibiles meatus. SE. Duæ igitur solæ uiæ relictæ sunt, per quas uapores in cerebrum ascendere possunt, gula scilicet, & arteriæ. BRAS. Sunt quatuor hæ uiæ, quia & per uenas, & per insensibiles meatus ingrediuntur, sed magis per arterias, & gulam, nam per uenas, & porositates in minima copia ingrediuntur, tamen & hæ duæ uiæ, arteriæ scilicet, & gula in uigilia magis apertæ sunt quã in somno. SE. Experientia ostendit, & rõ ipsa dictat, meatus in somno claudi, & uapores exhalare non posse, ut Auicenna in Secunda primi testatus est dicit. n. fumosos uapores detineri. à Galeno in pulsuum Introductorio notatur capitibus octauo, & nono arteriam in somno magis constringi quia maior est expellendi fumos necessitas. immo & anhelitus ipse in somno secundum exspirationem maior est quã secundum inspirationem, quia maior adest expellendi superfluitates necessitas: cum ergo in somno uapores magis abundent, caput etiam magis replebitur. BRAS. Scito uapores illos qui per cutem exhalare non possunt retineri, et ob hanc causam in caput non ascendere, quoniam nec arterias ingrediuntur, iccirco fumi illi qui apti sunt in sudores conuerti dum dormimus per sudores exeunt. SE. Ergo crassi uapores retinebuntur. BRAS. Fateor. SE. Ergo hi caput petent. BRAS. Hoc imus inficias, quoniam caput non petunt, nam arteriæ magis constringuntur, ob hoc uapores illi ad extrimsecas partes potius pelluntur. SE. Si in somno calor

lor intrinsecus retrahitur, plures eleuabit necessario uapores, quoniam & cibus ipse magis calefacit. BRAS. Scito in uigilia magis calefieri corpus quã in somno, quia exercitatio qua homo utitur magis calefacit. in uigilia præterea uiæ sunt magis recluſæ, facilius ergo est ex cibi prandij uaporibus quã cœnæ magis repleri, plures etenim uapores per exercitationem eleuantur, quã per caloris retractionem quæ in somno fit. SE. Tot ansas nectere non possum, quin illas statim dissoluas. BRAS. Est ipsa ueritas, quæ ansas soluit, et ita me respondere suadet. SE. Quid de his dices qui caput male affectum habent? BRAS. Auicenna ita respõderet, cum in prima tertij in capite de Epilepsiæ curatione ait. Quantitas cibi quæ danda est in una die et nocte ita disponatur, q; duæ cibi partes dandæ sunt in prandio, et una in cœna. ergo in omnibus capitis affectibus iuxta Auicennæ in hoc loco sententiam minus cœnandum est. SE. Audiui medicos illos differentes qui dicebant, in destillationis curatione non animaduertisse, an cœna prãdio amplior uel minor esse deberet. BRAS. At Rasis in primo sui Continentis libro ubi de Epilepsiæ curatione uerba facit ait accipiendum unam partem in prandio et duas in cœna. SE. Audiui nonullos ex illis medicis qui in meo disputabant pharmacopolio dicentes Rasis contextũ esse depra uatum, & legi oportere duas partes in prandio & unã in cœna. BRAS. Cum Auicenna à Rasi accipiat, potius arbitrandum est Auicennæ contextum esse depra-uatum, Rasis uero contextum nõ esse deprauatum illud ostendit quia in cœna specificat carnes esse edendas, &

pullos

pullos, nullamq; de prandio mentionem facit. et hoc uidetur Galeno consentire in sexto de Sanitate tuēda cum docet quid illi agere debent qui post prandium negocia acturi sunt. inquit panē sumēdū quarta diei hora in tāta copia ut hora cœnæ sit coctus, ut uigesima prima, uel uigesima secūda hora, qua erit à negocijs absolutus, hacq; hora carnes edet, & uinum potabit, cum nihil in prandio potasset, & balneo etiā utebatur. qui uero plenius prandent negocijs occupati, his non solum caput uaporibus impletur, sed etiam cibus è uentriculo exit crudus. SE. Hoc ad rem nihil facere uidetur, q; ex Galeno adduxisti, nam in his solum uerum est, qui post prandium negocia acturi sunt, BRAS. Est argumentum per similitudinem, & quo tantum suadere uolo Galenū plus dedisse in cœna q̄ in prandio: & quòd caput facilius ex cibo sumpto in prādio quàm in cœna repletur, propterea in praue affecto capite plus esse cœnandum q̄ prandendum, ut illum Rasi conformem redderem, ut potius dicendum sit, Auicennæ contextum esse deprauatū quàm Rasis. SE. Quid audio immortales Dij Auicennæ contextus est deprauatus. at audiui tot summos uiros Rasim deprauatum esse asseuerantes, & nō Auicennā, ut his potius crediderim q̄ tibi. BRAS. Qui nam sunt hi, uiri quos summos uocas? SE. Conciliator Gentilis de fulgineo, Arnaldus de uilla noua, & tot celebres medici in Salernitano cōsilio ad Anglorum Regē canētes,

Si uis esse leuis, sit tibi cœna breuis.

BRAS. Prauū est à pueritia falsis opinionibus esse imbutum, nam difficulter cum radices iecerint euelli possunt. à Galeno pulchra sentētia scripta est in initio octaui libri de Compositione

tione medicamentorum ſecundum locos. Difficilimũ eſſe ad ueritatem reuocare eos qui ſectæ alicuius ſeruitu= cc
ti ſe addixerunt, & paulo poſt. Falſæ & enim opinio= cc
nes animas hominum præoccupantes, non ſolum ſurdos cc
ſed & cœcos faciunt, ita ut uidere nequeãt quæ alijs cõ= cc
ſpicue appareant. Hi quos retuliſti authores et recẽtio
rũ multi falſis illis opinionibus ſeducti ueritati acquie=
ſcere non poſſũt, at audias quo nam modo probabo Aui
cennæ contextum eſſe mendoſum, & non illum Raſis.
S E. Hoc libenter audiam. B R A S. Iam probo, au
dias igitur. Quicquid Auicẽna docet, quicquid ſcriptis
mandat, id totum aut ex Galeno, cuius eſt interpres, aut
ex Paulo, aut ex Raſi deſumptũ eſt, Raſis uero ĩ hac epi
lepſiæ curatione a Galeno, accepit in Conſilio illo quod
pro puero epilepſiam patiẽte ſcripſit, ſcripſit uero hũc
in prandio olera edere debere, ptiſſanam & oliuas,
& tertiam panis partem, reliquas uero duas partes cũ
obſonijs robuſtioribus in cœna. En quomodo Raſis cũ
Galeno in loco præcitato conueniat, propterea locus
Auicẽnæ à me citatus, potius deprauatus eſſe uidebitur,
quàm hic Raſis locus, qui eſt Galeno conformis. S E.
Gentilis Raſim intelligit quòd tertia illa in cœna dimit=
tatur. B R A S. Hoc abſurdum eſt, quia Raſis de pran
dio mentionem facit, in quo una portio ſit prandio ſum
menda, & duæ reliquæ pro cœna reſeruetur. ſi authorẽ
tuũ reciperemus opus eſſet Raſim de cœna ſolũ mẽtionẽ
feciſſe, quòd falſum eſſe nemo qui leget dubitabit. S E.
Nõnulli predictorum medicorum qui de hac re diſſere
bant, Galeni authoritatem adducebant in quarto de Ra
tione uictus in morbis acutis ſectione trigeſima nona ubi

Hippocrates

Hippocrates in prandio melicratum præbet, in cœna uero hordei ptiſſanam, BRAS. Hi maximo duce= bantur errore, ut pote qui arbitrarentur ptiſſanam eſ= ſe tenuiorem cibum q̃ melicratum, cuius oppoſitũ Gale nus in primo Aphoriſmorum libro aphoriſmo quarto teſtatur, nam hoc loco docet, melicratum eſſe tenuiorẽ cibum ptiſſana, SE. In hoc hos uiros aberraſſe perci pio. uerum ut ad illud redeam quòd dicebas, in ſomno ſcilicet uias eſſe obſtructas, per quas uapores ad caput aſcendunt, dicimus nonnullos dixiſſe, ut fumus qui per fumarij foramina exit eiuſcemodi foramina ſemper obturat, & tamen ſemper exit, eadem ratione fumi ad caput aſcendentes uenas illas exeunt, tamen non ſemper permanent hæ uenæ obſtructæ ob nouum uaporem ob= ſtruentem. BRAS. O uana ſimilitudo, quoniam & ſi fumus fumarij foramina obturans continuo exeat, ob hoc id facit, quia extra fumarium nihil adeſt, quòd per ipſius cõdẽſationem exitum prohibeat, ut in uaporibus contingit, qui per uenas & arterias ad cerebrum aſcen dunt. nã à cerebri frigiditate uapores illi in ſuis uijs ita congelari poſſunt, ut noui uapores illis ſuccedentes aſcẽ dere prohibeantur, ut in fumo aſcendere contingit. im= mo nonnunq̃ & in fumario uento aliquo uehementer ſpi rante deſcendunt fumi, & exire minime poſſunt. SE. Experientia quæ rerum magiſtra eſt planè oſtẽdit mul tos ex ampliori cœna lædi. BRAS. Hoc multis de cauſis contingere poteſt, uel quia hic affectum aliquem habet qui plenitudinem non patitur, uel quia affectus denocte mouetur, SE. Qui nã erit hic affectus, qui plenitudinem non paritur? BRAS. Sunt thoracis

affectus

affectus qbus obsunt uapores qui ascendere nõ possunt, sed potius descendunt, posset & hoc contingere ob inassuetudinẽ. Iccirco homo paulatim assuescre debet, posset & hoc contingere quia homo supra modum se repleuerit, tunc enim nox efficitur ualde grauis, quia uentriculus nimiam illam plenitudinem ferre non potest, quæ forte nimia est, & quò ad uasa, & quòad uires, S E. Audiui & illos medicos ita differentes. Vis solis quæ in calore & lumine consistit, uim cõcoctricem adiuuat, nã uidemus & hoc calore fructus concoqui, ac maturari, igitur melius prandendum cum hic calor in die uigeat, minusq; cœnandum. BRAS. Immo nos dicimus naturalem calorem à calore solis ad circumferentiam attrahi, propterea imbecillior fit præsente sole, & non uehementior, sole uero absente ad internas retrahitur partes, & egregius concoquit, iccirco solis calor coctionem potius impedit, quàm perficiat, S E. Nihil prorsus dici potest, quin statim solutionem paratam habeas, ac si isto in negocio diu uersatus sis. BRAS. Quis nõ habebit solutiones statim paratas qui Hippocratem ac Galenum fautores habuerit? qui in diuinis illis sententijs proclamant Vẽtres hyeme & uere natura calidissimos esse, & somnos longissimos, & ob hoc coctiones fieri potiores, quia naturalis calor hyeme fit uehemẽtior. cum autem & in nocte uehementior fiat, igitur & in nocte coctio erit perfectior. S E. De his quid dices qui à capite ad inferiores partes destillationes habẽt? BRAS. Quod mane & uesperi modice esitare debent, S E. Adest & uulgatum de hac re carmen, scilicet.

Esuriant, uigilent, sitiant qui rheumata curant.

BRAS. Medicus ergo qui rheumata curat esurire debet, sitire, ac uigilare, ex his igitur neminem sum curaturus, si medicum illa facere opus erit. SE. Intelligo illum qui curatur, hæc facere oportere. BRAS. Dicas igitur.

Esuriãt sitiant, uigilẽt quos rheumate curas. Hi omnino neq; plenius neq; liberalius cœnare debẽt, tñ ampliuscule cœnare possunt, q̃ prãdere, nã medicus in his quærit exiccare materias, quæ in eorum corporibus continentur, ne in uapores conuertantur, et caput petant, at eo tẽpore hoc potius fieri debet, quo hæ materiæ disoluuntur, & penitus abolentur, hoc uero in uigilijs fit, ut Galenus in decimo Methodi medendi libro docet capite tertio. cum uero his qui destillationem habẽt uigiliæ etiam post inediam præcipiantur, indicium est tunc minus esse dandum cum uigilatur, propterea his in prandio, aut modice aut nihil præbendum, ob hoc tamen non infero, quod in cœna plene edere debeant, sed saltẽ quod plenius quàm in prandio, SE. Tamẽ in nocte capita impleri hoc indicium est, quod mane excreatur, expuitur, atq; extußitur, BRAS. Nõ ne aliàs dictum est, esse superflua non quidem cibi uesperi insumpti, sed nutrimenti cerebri, nam cerebrum eo nocte nutritur quod in prandio sumptum est, & in die eo nutritur quod in cœna acceptum est, quoniam cerebrum nõ nutritur nisi postq̃ coctiones in uentriculo & iecore celebratæ sint, & nutrimentum ad membra distributum, propterea quod in prandio sumptum est cerebrum noctu nutriet, si uero in prãdio sumptum sit multum, nutrimentũ erit multum, & æque nutrimenti superfluum multum, itaq;

minus

minus prandendum est, quod autem in cœna summitur cerebrum interdiu nutrit, quo tempore multæ materiæ resoluuntur, & difflantur, ac exeunt. in nocte præterea plures sunt obstructæ uiæ, per quas uapores ascendunt. SE. De his qui exercitantur mirum profecto uidetur, cur bene prandere non debeant, ut fortiores euadant, postea per horam à prandio quiescere, inde propria laboris munia subire, BRAS. Quid arbitraris hoc esse, scilicet à prandio per horam quiescere? SE. Arbitror cibum in uentriculo aptari, atq; accommodari, et ad coctionem ueluti parari. BRAS. Hoc nihil est, sed opus esset quiescere, quo ad cibus uentriculum exiuerit, ac iecur, et per uenas distributum sit. propterea Galenus in sexto de Sanitate tuenda iubet, illum qui negocia in die subire debet minus prandere, & plus cœnare: & si quis in prandio solo pane uti noluerit, palmulas edat, aut oliuas cum pane, meli aut sali impositas, bibatq;: nam ipse non bibebat quando erat negocijs occupatus: sed nonnihil panis absq; potu solum edebat: peius uero esse negocioſis hominibus bene pransos esse Galenus ipse eodem loco testatur, cũ ait. Quippe si exercitari cupiãt: eo maxime pacto citra noxã se exercitant, si quidẽ non leue incõmodum nonnullis accidit, cũ repleti cibo se exercitant: nonnullis enim et caput repletur uaporibus, & in iocinore, aut põderis sensus, aut distentionis, aut utriusq; percipitur. ut hinc facile discas, quæ incommoda his hominibus contingant, q̃ post prandium exacte sumptum se exercuerint. SE. Experientia ostendit destillationes noctu potißimum uigere, dic tu quod uolueris, nunquam ab hac sententia di

moueri potero, propterea qui hoc affectu capiũtur magis prandere debent, præsertim quia & in somno multi uapores ad caput feruntur. BRAS. At nos huic nodo iam satisfactum esse arbitramur: addimus tamen cum pituita hyeme maxime uigeat, et Hippocrates iubeat eo tempore uentres magis impleri oportere quam æstate, eo etiam tempore esse magis edendum, quo frigidior est aer: frigidior uero est in nocte. SE. Videtur esse in Hippocrate contradictio, qui cum ponat pituitam in hyeme multã gigni: in Aphorismis uero dixerit Vẽtres hyeme, & uere natura calidissimos esse. at quomodo calidissimi si pituitam gignunt? & quomodo pituitã gignunt si calidissimi? BRAS. Galenus in libello de Natura humana

« hanc contradictionem diluit. classe 1ª. 32. E. Nobis qu
« dem uidetur, uẽtres hyeme naturali calido calidissimos
« esse, hoc est optime temperatos: sed particulas corporis
« magis hyeme perfrigerari, nonnullis autem & uentrem
« ipsum, siue quòd iter agant, siue quòd egeant operimen=
« tis, siue per uiuendi rationem, uel aliquod tale. Demergi
« tur enim omnibus frigiditas ambientis quã multum, sed
« nonnullis etiam usq; ad uẽtris regiones sicuti est dictum.
« Quò fit, ut tametsi uenter probe cõquoquat assumptos
« cibos, nihilominus hi in mutatione sanè quæ fit in iecore
« haud suscipiant sanguinis absolutionem exquisitam, sed
« ipsius elabitur non nihil. Quin et uenæ per corpus uni=
« uersum perfrigeratæ haud ipsum pariter immutãt. Ad
« hoc autem accedit, & copia ciborũ quos hyeme assumũt
« unà cum qualitatibus quæ magis sunt pituitosæ. Hæc Ga
lenus ex quibus percipi potest, quomodo in hyeme & si uentres sint calidissimi, tamen in extrinsecis scilicet cor

pris

poris partibus pituitæ generẽtur: nox uero hyemi comparatur, ut in primo commentario in sextum Epidimiorum testatur Galenus. & ratio hoc dictat, quia nox frigida est, et calor natiuus intus retrahitur, ut ĩ hyeme facit: propterea coctio erit noctu perfectior, & si nonnihil destillationis cõtingat, est ob extrinsecas partes, quæ haud probe coquunt. SE. Hoc aliud est, cui initeris. BRAS. Tamen in idem tendit. Hæc igitur summa sit, in destillationibus & grauedinibus, tam mane quàm uesperi modicum edendum esse, tamen uesperi magis quàm mane sumendum. SENEX. Audiui medicos illos Conciliatorem referentes, quẽ ita argumentari dicebant. Si cœna prandio plenior sit, non posse etiam mane exerceri, quia & si coctio quæ in uentriculo fit perfecta sit, tamen illa quæ in iecore & uenis perficitur nondum erit exquisita: ꝓpterea hora qua homo se exercere uoluerit, coctio quæ in iecore fit, nondum erit perfecta. Itaq; sanguis nondum pfecte coctus ad circunferentiã, & extrinsecas partes trahetur. BRAS. Satis est iam perfectam esse in uentriculo coctionem: illa uero quæ in iecore fit sanguificatio, uel iam cœpta sit, uel dimidiata: dico autem satis esse ad inchoandum conuenienti tẽpore laborem: unde ab Haliabate primo Practicæ, capite tertio notatur, cum aliter fieri non poßit, quia aliquis ante perfectas omnes coctiones corpus exercere cogitur, saltem hoc procuretur, ut cibus in uentriculo sit coctus, & in hepate iam coqui cœperit, si exquisite coctiones omnes haberi non poßint. SE. Adducebant & medicilli Galeni exempla duo, ex quinto de Sanitate tuenda libro: sunt uero duorum uirorum exẽpla, qui lon-

gæui fuere, tamen plenius prãdebant, et cœnabant parcius, igitur ad prorogandam uitam magis confert plus prandere, & minus cœnare: hi uero erant primo Antiochus medicus qui octogenarius erat, et corpus exercens p tria ſtadia, et ægros uiſitans tñ plenius prãdebat quã cœnaret. Nam hic (ut Galenus dicit claſſe 2ª.90. G.) mediocriter prandebat, primum his ſumptis quæ aluum deijciunt, poſt hæc maxime piſcibus uel quos ſaxatiles uocãt, uel qui in alto mari degunt. Rurſus in cœna à piſcium eſu abſtinuit, ſed boni ſucci aliquid, ac quod non facile putreſceret ſumpſit, utiq; aut far cum mulſo, aut auem ex iure ſimplici, atq; hac quidem uictus ratione Antiochus in ſenio uſus ſenſibus illæſis, membriſque omnibus integris ad extremũ durauit, poſtea aliud exẽplum refert Telephi grammatici qui centum ferè annos uixit, de quo Galenus dicit, quòd prandebat ſeptima hora, aut paulo citius, primum oleribus ſumptis: deinde piſcibus guſtatis, aut auibus: ueſpere autem tantum panem ex uino miſto edebat. Igitur plus prandens quàm cœnans ad tantam ætatem peruenit Thelephus: prandium igitur cœna plenius eſſe debet. BRAS. Si eiuſcemodi exempla probe coſiderabis, percipies Galenum ex ipſis ſolum probare ſenioribus ter in die porrigendum eſſe cibum, quòd & in cõmentatione aphoriſmi tertijdecimi primi libri Senes facillime ieiuniũ ferũt, Galenus notat ſenes. ſ. decrepitos, parum & ſæpe comedere debere, unde hi ante prandium iẽtabant, uel mel coctum uel crudum, uel aliquod ſimile, poſtea prandium differebãt ad illam horam in qua quieſcere debebant, et non erant amplius occupati: potea iterum edebãt, quòd Galenus prã-

dium

dium uocat, cum tamen tardius fieret, neque Antiocho in cœna minus præbet, quia præbere auem in iure non est minus quàm immane piscem præbere. Thelephus tamen minus accipiebat, in cœna, uel forte etiam magis cũ uinum acciperet, quòd ut est pueris alienissimum, ita est senioribus aptissimum. adde præterea Thelephum rationabiliter se regere debuisse, ut illi regendi sunt quĩ refici debent. At Galenus in septimo Methodi medẽdi libro docet quomodo reficiẽdi sunt qui conualescunt, & inquit. Quorũ uirtutes perinde ut in senibus imbecilles sunt, uerum in illis qui reficiuntur plus præbet in cœna Galenus eodẽ loco quã in prandio: igitur et senibus plus in cœna præbendum, & ita accipiebant Antiochus & Thelephus: & quamuis Thelephus qui erat grammaticus plus in prandio sumpsisset, tamen Antiocho medico magis credendum erat, qui plus in cœna sumebat: nam medico (in his quæ ad rem medicam spectant) potius credendum est, quàm grammatico. SE. Recte ais, tamen arbitrari oportet Thelephum grãmaticum hoc genus uictus non exercuisse ut grammaticus, sed potius ut ab aliquo medico edoctus. BRAS. Miror te grammatistarum mores nõdum cognouisse, nimirum qui arbitrantur plus se scire, quàm probi medici se scire putent. SE. Quid de his dicis qui oculis laborant? BRAS. Millies dictum est disputationem hanc circa sanos tantũ uersari, uerum cum de ægris interrogaueris, iccirco tibi respondeo, & in prandio, & in cœna his modice dandum esse qui oculis laborant: tamen quòd in cœna sumitur, plus esse bebet, quàm id quòd in prandio receptum est, quia et si uapores aliqui ad oculos tendant, tamen in

uigilijs illuc multo plures ascenderent. SE. Multa alia ab his medicis in meo disputabantur pharmacopolio, & multos fingebant casus, quos ex Conciliatore desumpsisse dicebant. BRAS. At casus illi ad rem nihil faciunt, cum de sanis tantum sermo noster intelligat. SE. Es ne tu harum solutionum inuentor. BRAS. Sunt à diuersis hinc inde decies repetitæ. SE. Quam sententiam ex his potius probas. BRAS. Illam quæ maioribus fulcitur rationibus atq; authorum sentẽtijs, est uero illa quæ suadet cœnã prandio pleniorem esse oportere: tamen et hoc addam quod ipsi rei magis correspõdere uidetur, et experientia ita esse ostendit. SE. Quodnam hoc est? BRAS. Ambiguitatem hanc ita determinandam censemus. Si per rationes & antiquorum sententias de quæstione iudicium ferendum sit (in sanis semper intelligendo) plus cœnandum est quàm prandendum. In diu assuetis plenius prandere, ac parcius cœnare consuetudo immutãda non est, præsertim si fateantur ob hoc nihil incommodi subire: qui uero diu assueti non sunt, consuetudinem mutare debent. Cum uero nonnulli sint qui interdiu melius coquunt, quàm noctu, alij qui melius nocte q̃ interdiu. Dicimus illos qui interdiu facilius coquunt, q̃ noctu plenius prandere oportere, et minus cœnare: qui uero è contrario hi abundantius cœnent, & minus prandeant: in his qui non diu ad plenius prãdium assueti sunt, si noctu melius coquant, quàm interdiu, consuetudinem mutare iubeantur. Si uero interdiu melius coquerent, q̃ noctu assuetudinem illam prosequãtur. neq; admiratione afficiaris quod aliqui interdiu facilius coquant, quàm noctu, quia experientia hoc ostendit: neq; ratio aliqua

abest

abeſt. SE. Multos audiui quibus prãdere amplius placet, ac minus cœnare, & alios é contrario. BRAS. Et hæc eſt experientia quã dico: diuerſos homines interrogato, illos ſententijs diuerſos inuenies, multoſq; reperies quibus magis proficit prandere plenius, & cœnare parcius, & alios é contrario: & ſi nõnunquam oppoſitum faciant, mirifice læduntur: rationem præterea illud dictare conſtat, quoniam reperiuntur homines qui naturalem calorem adeo uehemẽtem habent, ut illa quæ ſunt facilis coctionis putrefaciant: quæ uero difficilis probé coquant. de his Galenus loquitur in tertio de Alimentorũ facultatibus. Calidiores etenim uentriculi iecuſcula, oua, & alia facilioris coctionis putrefaciunt: bubulam uero carnem, & alia quæ ſunt difficilioris coctionis probé conficiunt. Cum ergo in his qui uentriculum habent calidiſsimum facilia concoctu corrumpantur, & in nocte calor uehementior euadat: propterea in his noctu cibi magis corrumpuntur, quia calor uehementior efficitur, at in prandio calor non eſt adeo intẽſus: iccirco poſt prandium melius conquoquent, nec cibum corrumpent. quãquam ex hac ratione quiſpiam colligere poſſet, ſuaderi potius eſſe ſumendos difficilioris coctionis cibos in cœna quàm in prandio: at quia experientia oſtendit multis hoc uſu uenire, ut interdiu melius conquocant, propterea his iſtud concedatur ut in prandio plus ſumant, qui forte ob aſſuetudinem ſunt magis in hoc inclinati. SEN. Mihi iam faſtidio uenit eiuſcemodi diſputatio. BRAS. Immo & multum conſumimus temporis in illa enucleanda, quod in trochiſcis examinandis conteri poterat. SE. Sed neq; illud fuit inutile. BRAS. Ne

que

que apprime utile, cum omnes ferè homines ſeſe regant, ut contingit, & ut patrij mores exiguut, & ut ipſi aſſueti ſunt, neq; hoc, uel illud cum ſani ſunt cõſiderant. SE. Diligentius uero conſiderant cum ægrotare cœperint. BRAS. Tunc uero non eſt de prandio uel cœna diſputandum, nam ægritudinis ratione opus eſt ægrotum in uictu & hora uictus ſeruare. SE. Ad primum igitur inſtitutum redeamus. BRASA. Primum inſtitutum erat de Trochiſcis uerba facere, & illos, ut de alijs compoſitis quæ in pharmacopolijs Ferrarienſibus ſeruantur ſeorſum fecimus, examinare. SENEX. Ab his igitur inchoemus. BRASAVO. Vt lubet inchoato. Se. Vnde dicti ſunt trochiſci? & quo nomine à latinis uocantur? BRAS. Trochiſci à rotunditate dicuntur, unde & à circulo ac rotunditate, quã habent à Græcis κυκλίσκοι etiam nominantur, quoniã Græci τροχον reuolutionem & rotam appellant, τροχίσκον uero rotulam, & τροχίσκιον etiam diminutiuum & κυκλὸν rotam uocant, κύκλος uero circulus dicitur, & κυκλίσκος, paruus circulus, κυκλίσκιον quoq; diminutiue dicitur, à Latinis paſtilli uocãtur, licet recentiores omnes Græco nomine potius uti uelint, quãuis & Græci nomen aliud habeant, quo frequenter utuntur, nam illos à pane ἀρτίσκους nũcupant, q, uero à Latinis paſtilli uocentur, ex Celſo ſummi poteſt, libro quinto capite decimo ſeptimo cum ait, Malagmata uero, atq; emplaſtra, paſtilliq; quos τροχίσκους Græci uocant. En quomodo trochiſcos latina lingua paſtillos nuncupauit, eodemq; loco Celſus differẽtiam ponit, inter malagmata, emplaſtra, & paſtillos. SE. Ni pigeat Celſi uerba ad

ducito

ducito, ut differentiã hanc ex tanto authore discere possim. BRAS. Hæc sunt Celsi uerba. Malagmata maxime ex floribus, eorumq; ẽt surculis, Emplastra, pastilliq;, magis ex quibusdam metalicis fiunt, & de pastillis ait, q; fiunt ne lædant uulnera cum imposita sunt. SE. Quomodo autem pastilli, & emplastra differunt? BRAS. Sequitur Celsus. Emplastrum utiq; liquati aliquid accipit, in pastillo tantum arida medicamenta, aliquo humore iunguntur. paulo post modum conficiendi pastillos docet, cum ait. At pastilli hæc ratio est, Arida medicamenta contrita humore non pingui, aut uino, uel aceto coquuntur, & rursus cocta inarescunt, atq; ubi utendum est, eiusdem generis humore diluuntur. addit præterea Celsus. Cum emplastrum imponitur pastillus illinitur, aut alicui molliori, aut cerato miscetur. pastillum siue trochiscum nonnulli ita definiunt, esse compositionem quandam rotundam, paruam, ad lupini similitudinem, tamen si pharmacopolarum morem consideremus ipsi trochiscos oẽs quadratos effingunt, & in medio concauos. nonnulli huius formæ rationem reddidẽrũt, quia ita confecta facilius exiccantur, quam si essent in forma rotunda, nam in forma rotunda magis sunt unitæ, & collectæ partes, & ob eandem etiam rationem excauantur. SE. In hac forma semper confeci, & semper confici uidi. BRAS. Tamen hoc nihil ad rem facit, neq; ad eorum faciliorẽ breuioremq; exiccationem magis facit quòd sint quadrati, quàm rotundi, cum in tam parua mole fiant, ut in unaquaq; forma confecti facile exiccari possint, nunq; etenim drachmam pondere excedunt, ĩmo mihi potius placeret, cum in tã

leui

leui pondere fiant, ut rotundi efficerentur, quo ſimplicium uis melius ſeruaretur, & non conficerẽtur, in rotulas uel in placentulas, quia hæ formæ ſunt compreſſæ. fieri etiam poſſent uti parui unius drachmæ panes, nam tunc uere paſtilli erunt, & à nonnullis Græcis ἀρτίσκοι uocantur, ac ſi parui panes dixerint. in quacũq; fiant forma non magni refert, modo commode exiccari poßint, & ingredientium ſimplicium uis diu ſeruari. Paulus Aegineta libro ſeptimo capite duodecimo ita de trochiſcis ait, Paſtillos Græci ab efformationis figura τροχίσκους, ideſt orbiculos appellant. Sunt autem pa
« ſtillorum genera tria, alij nanq; πότιμοι, hoc eſt pota-
« biles, alij ἐνέτικοι, id eſt infuſiles, qui per anum imittun
« tur, alij uero κατάχρισοι quod eſt inungibiles. Hæc
« ſunt tria apud Paulum trochiſcorum genera, rõne mo dorum quibus utimur nominata, ſed unumquodq; horũ modorũ in alios diuiditur, qui à ſuis denoïantur actionibus. illi qui potabiles dicuntur non ita dicuntur, quia ut trochiſci bibi poßint, ſed quia in quopiã diſſoluti liquorum bibunt, hi uero potabiles diuidunt quia aliqui ſunt, ἐπισχετικοὶ quaſi dicas latine retentiui eo quòd alui, uel ſanguinis, uel alias quaſcunq; fluxiones, refrigerando uel aſtringendo inſpergendo ue aut deßiccando compeſcant. Alij ſunt anodyni ſedandi dolorem uim habentes uel quod ſenſum ſtupefaciẽdo torporẽ inducant, quoniam diſſipant, atq; diffundunt, alij ἐκφρακτικοὶ uocãtur, qui obſtructiones aperiunt, in quacunq; ſint parte, uel lienis uel iecoris uel renum. uerum ex his qui infunduntur trochiſcis, aliqui uim habent humorum acredinem obtundendi, ut illi qui in dyſſenteria præbẽtur, ad

impediendum

impediendū ne humores acres inteſtina corrodant. Alij «
ſunt ſtyptici & aſtringentes, alij deurendi uim habent, «
quorū uſus eſt in depaſcentibus ulceribus κατάχρισοι «
uero eaſdem habent cum his qui infunduntur uires, nam «
inter ipſos aliqui ſunt ſtyptici alij deurētes. SE. Non «
abre Paulus ita diſtinxit. BRAS. Non ab re quidem
ut uidetur, at nos ſingulatim de uno quoq; trochiſcorū
genere agemus, ipſorūq; uires exprimemus. SE. Quid
illud erat, quòd audiui, antiquos. ſ. ſigillaſſe trochiſcos?
BRAS. Nemo ex antiquis de trochiſcorum ſigillo lo
cutus eſt, niſi quiſpiam terram lēniam quæ in paſtillos
antiquitus conficiebatur, trochiſcos fuiſſe dixerit, nam
Dianæ ſigillo imprimebantur, ſed forte hoc audiuiſti,
quia Meſue in confectione Galliæ ſabellinæ in compoſi
tionis calce inquit. Fiant trochiſci ut diximus, & ſigillē «
tur. SE. Arbitror hunc eſſe locum à quo illi accepe
re, qui trochiſcos ſigillādos eſſe monuerunt, ſed quomo
do ſigillabantur uel ſigillari debent? BRAS. Nullus
eſt qui de hac re agat præter Albucaſim in libro Serui=
toris inſcripto, in quo caput facit cui titulum indidit.
Modus faciendi ſigillum, quo ſigillātur trochiſci. SE.
Huius authoris uerba (ſi me amas.) referto. BRAS.
De re hac nimis ample nimisq; diffuſe ptractat, tamen
ut tibi morem geram, nōnulla ex ipſius uerbis referam,
& tot quòd tibi ſatisfacere poterūt, inquit. Accipe fru «
ſtum ligni hebani, aut buxi, aut eboris, aut alterius cu= «
iuſcunq; uis, & ſit craſſitudo eius menſura duorum digi «
torum, & latitudo trium, & longitudo unius palmi, et «
præparetur forma eius bene: deinde ſicca ipſum in lōgi «
tudinē eius ī duas partes æquales: ita quod unicuiq; tabu «

læ ſit

» læ ſit craſsitudo unius digiti: deīde fac ambas facies eius
» politas, lenes, bene inuicem cohærētes, deinde ſculpe in
» ambabus faciebus tabularū ſculpturas rotundas ſecun=
» dum quātitatem trochiſcorum, quos uolueris ſigillare,
» ſiue magnos, ſiue paruos: deinde ſculpe inter unūquēq;
» circulum nomen trochiſci quodcunq; uolueris. ſ. ex quo
» fuerit factus. Hic eſt ſigillandi modus, quem Albucaſis
docet, tamen nihil ad rem facit, cum noſtro tempore nō
ſignentur trochiſci. SE. Si eſſent ſignati facilius co=
gnoſcerētur. BRAS. At ex pixidibus uos illos co=
gnoſcitis, quæ illorum trochiſcorum, qui in illis continē
tur nominibus inſcriptæ ſunt. SE. At ſi diuerſa tro=
chiſcorum genera ſimul miſcerentur, illa abſq; ſigillo di
ſtinguere neſciremus. BRAS. Hoc eſſet pharmaco=
polæ negligentiæ attribuendum. qui proprijs in pixi=
dibus trochiſcos reponere debet. SE. Cōtingeret pro
fectò ob pharmacopolæ negligentiā, tamen euenire poſ
ſet. BRAS. Tunc illi omnes qui ſīl' mixti ſunt abij=
ciantur, niſi ad eandem ſint facti intētionem. At tu iam
trochiſcos enumerare incipito, quos in ueſtris pharma
copolijs ſeruatis, & unumquodq; genus per ordinem
enarrato. SE. Cur ordinem me ſeruare præcipis, cū
omnia abſq; ordine ſcripſerim? BRAS. De ordine
intelligo quo in tua ſcheda ſcripti ſunt.

SENEX. II.

Trochiſci de Rhabarbaro ſunt primum à me deſcriptū
genus. BRAS. Apud quem authorem inueniuntur
hi trochiſci? SE. Apud Meſuem. BRAS. Meſue
igitur compoſitionem referto. SE. En refero.

Recipe Raued boni drach. X.

Succi

Succi eupatorij drach. IIII.
Rosarum drach. III.
Spicæ
Anisi
Rubeæ tinctorum } singul. drach. I.
Seminis apij
Absynthij } al. lra habet drach. II. ß.
Asari
Amygdalarum amararum drach. IIII.
Fiant trochisci aur. unius.

BRAS. Cur non apposuit liquorem Mesue, quo confici debeant? SE. Immo apposuit, succum. s. eupatorij. BRAS. Hoc absurdum uidetur, quoniã quatuor succi eupatorij drachmæ ad prædictos pulueres simul uniendos non sunt satis. SE. Ex eupatorij succo semper conficio, & alios pharmacopolas ex eodem cõficiss se uidi. BRAS. Ergo opus est ut plures sint quã quatuor huius succi drachmæ. SE. Immo multo plures, nam ad duas ferê uncias & semis huius succi contero. BRAS. Si ex eupatorij succo cõfici uoluisset author, in cõpositione eupatorij succum non addidisset. et præterea quando inter alia alicuius succi in parua copia fit mentio, condensatus succus semper accipi debet. SE. Et ita præcise facio, nam condensatum succum appono, postea ex recenti eupatorij succo conficio. BRAS. Hæc tibi sit generalis regula, cum ab authoribus in similibus compositionibus, qua re confici debeant non apponitur, significatur illos ex quo conficeretur non magnifeciss, sed ut pharmacopolæ placebit cõficiendum esse, & plærũq; ex aqua pura confici imunt, immo compositionem

tionem hanc ex aqua simplici fieri debere Haliabatis authoritas innuere potest ac suadere, nam suos de rhabarbaro trochiscos ex aqua pura fieri iubet. Alij authores ex quo liquore conformari debeant non edocent. SE. Quo ergo liquore hos conformandos esse censes? BRAS. Et si authores quo formẽtur liquore negligere uideantur, tamen intelligere oportet liquorem accipiẽdum esse, qui affectui proprius sit, cuius ratione præbetur trochiscus, præbetur uero potissimum ad iecoris obstructiones, propterea ex succo iecori proprio conformandi sunt, cum uero compositionem ipsam iam ingrediatur eupatorium ex absynthij succo conficerem, nam in iecoris medicamentis iuxta Galeni præceptum, nunquã prætermittendum est absynthium, ex recente igitur absynthij succo hi trochisci conformantur. SE. Deinceps ita efficiam, tamen & eupatorium (ut nomen ipsum indicat) hepati proprium esse uidetur. BRAS. Est profecto proprium, & easdem aperit obstructiones, sed iam semel in compositione positum est, iccirco ex alio liquore confici uoluisse arbitrãdum est: inter succos uero iecori potissimum proficit absynthij succus. SE. Reperitur ne eiuscemodi compositio apud antiquos? BRAS. Reperitur prorsus, nam Actuarius quandam pastillorum cõpositionem refert quam pastillos ex indico Rheo uocat, immo compositio est quæ ad eadem conuenit, ad quæ pastilli de rhabarbaro Mesue, idemq; sunt rhabarbaricum, & Rha indicum, sola tantum differunt patria. SE. Ad quos conuenit affectus pastillus de rhabarbaro? BRAS. Mesue dicit ad hepatis obstructionem, dolorem, tumores præter naturã

affectus

affectus inueteratos eiusdem, & hydropem & icterum & formæ cõpositionem. en modo quid dicat Actuarius de suo ex Rha indico pastillo, prodest aduersus iocinoris & lienis obturantes infarctus, stomachum roborat, adde febribus longis conuenire, & cuicunq; obstructioni. nam præter id q, materiam præparant, etiam educere possunt paulatim, ac sensim absq; ullo incommodo. SE. Actuarij cõpositionem audire optarem. BRAS. Quid mihi erit lucri si illam referam? SE. Quod tibi placuerit. BRAS. En igitur illam refero.

Recipe rosarum siccarum
Absynthij
Rhei indicæ
} Sing. duellam.

Spodij
Spicæ indicæ
Iunci odorati
} Sng. drach. I.
Laccæ purgatæ
Succi eupatorij

Sandali citrini
Croci
Casiæ
} Sing. duplũ. i. siciliquum.

Tragacanthæ
Mastiches
} Sing. sexquisextulam.

Contusa & cribrata cum succo fœniculi subigito, & digerito in pastilos qui dẽtur ebibendi cum aqua, in qua maduerit lacha, uel ex oxysachare. SE. Est longe diuersa eiusmodi compositio ab illa Mesue & in simplicibus & in ponderibus, neq; mihi displicet, quòd ex fœni-

culi ſucco conficiatur. BRAS. Immo ſi Inbebit, & illam Meſue ex hoc conficito ſucco, & non ex illo abſynthij, tamen abſynthij ſuccus iecori magis proficit. SE. In hac uero Actuarij compoſitione pondera quædã enarraſti quæ nũquàm audiui niſi tu illa aperueris, nam ex me ipſo illa nunquàm inuenire ſcirem. BRAS. Quæ nam ſunt hæc ponderum nomina quæ ignoras? SE. Tria ſunt, duella, ſiciliquum, & ſexquiſextula, BRAS. Conabor ut uires meæ poterunt illa tibi aperire. Duella eſt tertia unciæ ps, ut drachmæ duæ, et ſcrupuli duo, ſiciliquum uero eſt duarum drachmarum pondus, ideo probe cum Actuarius quorũdam ſimplicium drachmam poſuiſſet, poſtea alia enumerans ſimplicia dicit ſingul. duplum. ſ. ad drachmã iam prædictam. unde interpretari uolens qd per hoc duplũ intelligeret dixit, id eſt ſiciliquum quod eſt duarum drachmarum pondus, Feſtus ſic dictum uult quoniã ſemiunciam ſecet. SE. Sexquiſextula ſupereſt exponẽda. BRAS. A ſextula deducta eſt ſexquiſextula, q̃uis nomen hoc non inuenerim, ſed bene ſemiſextulam. Vt aũt nominis rõnem habeas, ſextula eſt unciæ pars ſexta, quæ drachmam unam & ſcrupulum unum complectitur, Sexquiſextula uero drachmã unam cõplectitur, & ſcrupulum unum, & totius huius põderis dimidium, quod eſt drachmã ſemis & ſcrupulũ ſemis. SE. Erant ergo duæ ĩtegræ drachmæ. BRAS. Ita conſtat ſi recte colligant. SE. Quid intelligit per purgatam lacham? BRAS In noſtro Simplicium examine uocatam ab Arabibus laccam eſſe Dioſcoridis cancamum docuimus, eſt uero gũmi genus ex arabica arbore, plærũq; uero cum huiuſmodi gummi

mi colligunt, simul adsũt festucæ, pulueres, et cortices. Actuarius per purgatam laccam illam ablutam intelligit & à corticibus, pulueribus que mundam ut alia gummi genera expurgari solent, & ab his emundari. SE. Iam intellexi quid esset purgata lacca. at reperiũtur ne apud Arabes præter Mesuem hi trochisci? BRAS. Nullus est qui hos met referat trochiscos, author tamẽ apud diuersos medicos aliæ reperiuntur compositiones sub hoc nomine Trochiscorum de Rhabarbaro, uel de Rhaued, uerum tamen hæc illa est compositio quæ non solum Ferrariæ, sed & per totam Italiam in usu est. SE. Alias etiam Arabum compositiones cõtemplemur quæ sub hoc nomine trochiscorum de Rhabarbaro uel de Rhaued continẽtur. BRAS. Vt lubet. en Rasis in nono ad Almansorem capite sexagesimo octauo ubi de Iecoris dolore atq; abscessu uerba facit, sequentem compositionem trochiscorũ de Rhaued Seni scribit. Idẽ uero sunt Rha barbaricum, & Rhaued Seni, solo tantum differunt, in quo ortum duxere.

Recipe Mastiches
Succi eupatori
Succi absynthij
Seminum fœniculorũ
Anisorum
} Singulorum drach. ij.
Rhaued. drach. X.

Informentur trochisi pondere aurei unius, ex quibus in potu unus singulo die tribuatur. SE. Idem ferè cum illis Mesue esse uidentur, licet aliqua desint. BRAS.

In intentione prorsus cõueniunt & fortè aliàs idem erant, sed qui exemplaria transcripsere aliqua pretermisere sua incuria simplicia, alia imprudenter addidere, tamen eadem intentio semper perseuerauit. SE. Possem ne hos conficere? BRAS. Quis prohiberet, si tibi animo esset? tñ Mesue cõpositionẽ huic præfero, & cũ hos indico trochiscos, illos Mesue confectos esse intelligo. SE. Cum in hac compositione absynthij succus recipiatur, et per succum semper densatum succum accipere debeamus, ad horum trochiscorum simplicia iungenda quid accipiemus? BRAS. Vel simplicem aquã uel citharach succum uel præter siccum quem addis absythij succum absynthij nuper expreßi succũ accipito, quo trochiscos conficito, SE. Sunt ne aliæ apud alios Arabes de his trochisis compositiones, BRAS. Sunt profecto nam Auicenna in quinto Canone hanc ponit.

Recipe Rheu fini. drach. VIII.

Rubeæ lignorum
Laccæ mundatæ } Singulorum drach. IIII.

Seminis apij
Eupatorij
Anisorum } Singulorum drach. III.

Misce & tere & fac trochiscos. SE. hi sunt Mesue trochiscis propinqui. BRAS. Sunt profectò & in intẽtione mire conueniunt, nam Auicenna dicit cõferre ad ægritudines antiquas, & ad hepatis duritiem, ac grauitatem, & ad eiusdem abscessus, & ad dolores splenis, & percußionem euenientem in corpore. SE. Quid

intelligit

intelligit per rubeam lignorum? BRAS. Mendosus est codex, et legi debet rubeæ tinctorũ. nota quòd Actuarius dicebat laccæ purgatæ, hic Auicenna dicit laccæ mundatæ, ut notetur debere esse mundam à festucis, & pulueribus, & corticibus. SE. Quo liquore confici debent trochisci? BRAS. Absynthij succo. SE. Reperiuntur ne apud alios authores? BRAS. Serapio tractatu septimo ubi de Antidotis agit, capite decimo octauo similem ferè ponit descriptionem dicens trochisci de Rhaued quorum compositio hæc est.

Recipe Rhaued sceni drach. VIII.

Rubeæ Laccæ	}	Singulorum drach. IIII.
Seminis apij Succi eupatorij Anisorum	}	Singulorum drach. III.

Terantur, & cribellentur & fiant trochisci, quorum unusquisq; sit drachmæ unius & præbeantur cum eo q, conuenit. SE. Eadem est præcise cum illa Auicennæ compositio, ut alter ab altero accepisse uideatur, fortè & hi cum absynthij succo fieri debent. BRAS. Non abre est cum ad eandem ualeant intentionem, immo & Serapio ipse ait, ualere ad grauitatem in hepate & splene, & ad eorundem mẽbrorum apostemata, & ad lecoris percußionem. SE. Eadem præcise intentio est, qualis aliorum, at miror Galenum uirum diligentißimũ horum trochischorum mentionem non feciße, cum & hi affectus suo tẽpore uigerent. BRAS. Ad eandẽ in-

tentionem pastillos parat Galenus in octauo de Compo sitione medicamẽtorum secundum locos, ubi titulus, He paticus amarus. sed Rha barbarum non recipiunt. SE. Galeni compositionem audire optarem. BRAS. Hæc est quam refero.

Recipe Anisi
Seminis Apij
Asari
Amygarum amara = rum mundat arum
Absynthij
} Singulorum drach. IIII.

Præpara cũ aqua, et reduc in pastillos, ac exhibe drach mam unam cum uini diluti cyathis tribus, febrientibus ex aqua mulsa. SE. Rha barbarum his addere posse= mus. BRAS. Cum hæc sint pro intentione perficien da satis, iccirco addere non est opus. in nono preterea ei dem uoluminis libro describit pastillũ ad Ictericos, quẽ hepaticos iuuare dicit. pastilli compositio hæc est. Recipe Amygdalarum amararũ mũdatarũ drach. IIII.

Anisi
Absynthij
Nardi indicæ
Asari
} Sing. † drach. I. † drach. II.

Tusa & cribrata aqua subigito, ac formatis pastillis drachmam unam cum uini mulsi cyathis tribus non fe= brientibus dato. SE. Si Rha barbarum reciperet à

Mesue

Mesue compositiõe haud multum differet. BRAS. Non quidem uiribus, sed in reliquis plurimum differre constat. SE. Cur in his iecoris affectibus Rha barbarũ à Galeno prætermissum est. BRAS. Vel Rha barbarum ignorauit Galenus, uel pro adstringente medicamẽto illud habuit, at in lõgis iecoris affectibus, et in obstructiõibus apertione indigemus. SE. Nunc uero ad compositionẽ trochiscorum de Rha barbaro quæ in usu est redeamus. Nonnulli sunt qui legendũ uolũt amygdalarum amararũ drachmas duas, & non drachmas quatuor. quid censes tu legendum? BRAS. Vel quatuor sint, uel duæ haud magnifacio, tamen cum in his affectibus amaræ cõueniant amygdalæ, ut ex Galeno constare potest in compositionibus superius adductis, propterea arbitrarer quatuor potius sumendas esse drachmas, q̃ duas. neq; illorum ratio ualet, qui dicunt in omnibus codicibus legi drach. II. quoniam in maiori codicum numero scriptum est drachmas quatuor, et nos codices legimus ac habemus in quibus scriptum est eupatorij, amygdalarum amararum anna. drach. IIII. SE. In cõpositione præterea habetur seminis apij, absynthij, asari. debẽt ne et absynthij, et asari accipi semina? BRAS. Absynthium, & asarum non sequuntur ad semem, neq; consuetum est harũ herbarum semina accipere. ꝙ pharmacopola contemplari debet quando ambiguum est an in aliquo authore semen legẽdum sit, an ipsa herba, tũc nimirum consideret, quid consuetum sit in compositionibus accipi, idq; accipiatur, nã illud est ꝙ accipi debet. SE. Eiuscemodi regula non mihi displicet quã deinceps seruabo. BRAS. Et cur displicere debet cum uerissima sit?

sima sit? Dic uero quomodo omnia misces? SE. *Illa in puluerem redigo, præter amygdalas, quas diligenter pinso, postea eupatorij succo recenter expressi in rotulas conficio, uel in quadratam figuram, sed posteaquã iussisti deinceps absynthij succo utar, nẽpe non dubito omnibus affectibus q prædicti sunt cõuenire.* BRAS. *Illis tamen nõ detraho qui eupatorij succum accipiunt, sed absynthium magis probo, cũ iam iterum sit appositũ eupatorium. cum uero de his trochisis satis dictum esse uideatur, illos qui sequuntur referto.* SE. *permitte ut è crumena schedam illam educam in qua singulatim descripti sunt.* BRAS. *Cito expedias.*

SENEX. III.

Trochisi de Rosis sequuntur. BRAS. *Plures sunt pastillorum de rosis cõpositiones quàm sint ipsi authores, at uos quam paratam in officina seruatis?* SE. *Illam Mesue quæ prima in ordine inest et quã nunc refero.*

Recipe foliorum rosarum drach. X.
Glycyrnzæ. drach. V.
Spiccæ aromaticæ drach. II. *& semis.*
Confice con uino albo, quos si laxatiuos facere uolueris adde
Scamonij drach. III.

BRAS. *Tu forte compositionem hanc seruas.* SE. *Hanc prorsus seruo.* BRAS. *Tamen multi sunt, etiam Ferrariæ, qui tertiam compositionem in ordine parant.* SE. *Quæ nameſt?* BRAS. *Illa quæ incipit Confectio trochiscorum de rosis, sicut confirmatum est*

in

in libris plurimorum iuuamentorum. SE. Compositionem ipsam referto. BRAS. iam refero.

Recipe rosarum. drach. IIII.
Ligni aloes. drach. II.
Mastiches. drach. I. & semis
Absynthij romani
Cinnamomi
Spicæ } Singulorum. drach. I.
Casiæ ligneæ
Florum schœnanti

Fac trochiscos drachmarum duarum cum uino antiquo, & aqua decoctionis radicum. SE. Audiuerã nonnullos pharmacopolas aliam seruare compositionem ab illa quam seruo, at quæ nã esset ignorabam. BRAS. Hæc est quam retuli, & quam magis probo, quam primam illam Mesue à te celebratam et confectam. SE. At eiuscemodi compositio in multis abest Mesue codicibus. BRAS. Sunt imperfecti codices ac diminuti cum illa abest in illis compositio. SE. Ad quos conuenit affectus eiusmodi compositio? BRAS. Ad ea quæ à Mesue referuntur, nam dolori uentriculi conferunt, & imperfectæ obuiant coctioni, ad hydropisq; initium conueniunt, et ad antiquas febres pituitosas, flatibus cõuenit qui in uentriculo abundant, uehementiusq; hoc efficere possunt quàm primi à te enarrati. SE. Quid intelligere oportet per aquam decoctionũ radicum? BRAS. intellige quinq; radicum communiũ, quæ sunt ruscі radix, asparagorum, apij, fœniculi, & petroselini, hæ radices

dices in aqua ebulliri debent secũdum artem, postea exprimi, & ex hoc expresso fiant trochisci. SE. Arbitror nullam esse compositionem quæ plures habeat diuersitates ista, nulli etenim sunt pharmacopolæ qui suas non habeant de rosis trochiscorum compositiones. BRAS. Hoc uerißimum, est, & tam antiqui, quàm recentes pastillorũ de rosis pleni sunt. SE. Antiquorũ cõpositiones scire percuperem, recentiorum uero mixtiones negligo, ni ergo circa alia occupatus sis, te oro, hortor, atq; obsecro, ut antiquorum compositiones pastillorum de rosis referas ut experiri posßim, nũ aliqua compositio cum hac Mesue quæ in usu est conferenda sit. BRAS. Ita libenter efficiam, et à Nicolai Alexandrini compositione exordiar, quæ ab illo authore uocatur trochiscus diarhodon. SE. Aliud est diarhodon, aliud pastillus de rosis. BRAS. Immo idem sunt, quia idem apud græcos significat τροχίσκος διὰ ῥόδων quod apud latinos pastillus de rosis. SE. Tamen uideo Mesuẽ de trochiscis de rosis, et de Diarhodon distincte loquẽtẽ. BRAS. Quatuor iccirco posuit cõpositiones trochiscorum de rosis, pro una cõpositione trochiscos diarhodon computando, immo & de illis mentio fiet, quia in Mesue compositionibus cum trochisci diarhodon recipiantur, illi accipi debent qui ab eo descripti sunt sub nomine trochiscorum diarhodon. SE. Compositionẽ igitur referto. BRAS. Est in illo authore capite centesimo & sexagesimo. & hoc conficitur modo.

Recipe rosarum uiridium drach. XX.
Spodij drach. X.

Sandalorum

Sandalorum rubrorum drach. VIII.
Croci drach. IIII.
Camphoræ drach. I.
Rhodostomatis q. sufficit.

In marmorea pilla recentes rosæ sine intermissione terãtur, deinde cæterarum specierũ subtilissimus pulvis immittatur, et cũ sufficiẽti rhodostomate cõficiatur, ad ultimũ addita cãphora inde trochisi informẽtur, & ad umbrã siccati usui reseruentur. SEN. Quid intelligit per rhodostoma? BRAS. Aquam rosaceam, ita enim illam uocat & græcorum uulgus. SE. Ad quos ualent affectus hi pastilli. BRAS. Vim quandã habent abstergendi internas partes ac roborandi. SE. Idem uidentur cum trochisis diarhodon Nicolai Propositi. BRAS. Immo idem sunt. non ne aliàs tibi dixi Nicolaum Propositum ab Alexandrino plura accepisse? tamen in simplicium ponderibus differunt, & licet hi trochisci ab omnibus ferè parentur pharmacopolis, tamen in alio usu non uidentur quàm q. Nicolai compositionem ingredi debet. SE. Fuit ne antiquus hic Nicolaus Alexandrinus? BRAS. A nonnullis antiquissimus iudicatur, tamen in simplicibus recentiorum nominibus utitur, & nonnulla refert simplicia, quæ uel ab antiquis non cognoscebantur, uel quæ in usu non erãt, hoc poteris in una quam afferam compositione deprehendere, quæ et ipsa ad rem facit, nã capite centesimo octogesimo octauo sui libri compositionem quandam ex rosis confectam refert, quam diarhodon Iulij uocat, constat uero ex his quæ sequuntur simplicibus.

Recipe

Recipe Cinnamomi
Gariophyllorum
Anthophysllon
Galangæ
Nardi
Gingiberis
Dactylorum carnis
} Singulor. drachm. III.

Ligni Aloes
Rheu barbari
Nucis myristicæ
Macis
Zedoariæ
Folij
Styracis
} Singulor. drachm. II.

Pyretri
Cyperi
Costi
Iridis
Celticæ
Tragacanthæ
Anacardi
Cardamomi
Amomi
Anisorum
Seminum basilici
} Sing. drach. I. & sem.

Ossis

Oßis Eboris
Oßis de corde Cerui
Dactylorum oßis
Corallorum
Thymi
Tymbræ
Hyßopi
Abrotani
Melenopiperis
Leucopiperis
Macropiperis
Amei

Singulorum drachm. I.

Limatura auri puri
argenti meri
Margaritarũ per=
foratarum & in
tegrarum
Hyacinthi
Berylli
Blactæ Byßantiæ
Ambræ
Moßci
Balßami

Singulor. drachm. ßem.

Mellis quod ßufficit

Hæc eßt compoßitio.

SE. Nonnulla compoßitionem ingrediuntur, quæ non teßte antiqui authoris oßtendunt. BRAS. Ita profecto

eßt

est: nam galanga sub hoc nomine apud antiquos incogni ta est, et zedoaria atq; anacardi, neq; os de corde cer= ui erat apud antiquos in usu, neque blacte bysantia sub hoc nomine: est præterea res noua ambra, ut hinc arbi= trari cogar hunc Alexandrinum Nicolaũ non fuisse ual de antiquum, sed à quadringentis annis uel quingẽtis ci= tra scripsisse. SE. De hoc non ambigo. BRAS. Ex infinitis alijs Alexandrinum non esse antiquum autho= rem ostẽdere possem, sed hæc satis sint. Placuit uero ex hac compositione alijs prætermißis istud ostẽdere: quia eiuscemodi compositio ad propositum facit: nam est dia= rhodon .i. ex rosis confectio. SE. Quid intelligit per anthophyllon? BRAS. Nonnulli arbitrantur intelli= genda esse maiora gariophylla: nã adsunt & gariophyl la quædam ferè rotunda, quæ communia longe excedunt gariophylla. SE. Cum tot recipiat simplicia ad quos ualet affectus? BRAS. Author refert prodesse potis= simum arteriacis, asthmaticis, dispnoicis, tußiẽtibus: & ad omnia quæ ex frigida causa pectori & pulmoni no= cẽt, stomachi debilitatem cõfortant, Anatropem reuo= cat, dolorẽ mitigat, cardiacis summum remediũ est, hy dropocis & spleneticis medetur, debiles renes confor= tat, refrigerata calefacit, et perditam uenerẽ miro mo= do reducit. SE. Est ergo compostio multis nominibus digna. BRAS. Est profecto, et in deperdita uenere mi ra uidimus in his qui frigidi uocantur. SE. Cum uero tot simplicia compositionem ingrediantur, quæ diuersa rum sunt naturarum, quo nam modo in globos reducen da est? BRAS. Audias authorem ita de compositione differentem. Confice sic. carnes dactylorum à crustulis

suis

ſuis purgatas diutiſſime tere, & cum ſtyrace in calidiſſimo melle indeſinẽter ſubige. Cumq; ad unum corpus redactum fuerit, per rarum linteolum accuratiſſime cola: Hoc toties fac, donec uirtutes ſpecierũ mel recipiat, quod ellicitur, et abiectis retrimẽtis ſuccum mellitũ ſerua. Margaritas autem beryllum & hyacinthum, et corallum quater in marmoreo lapide tere, & cribrata in ſubtiliſſimum puluerem redige: & ſic in ſufficienti rhodoſtomate per totum diem uel noctem macera. Sequenti autem die inter duo leniſſima marmora tãdiu ducito, donec nullus puluꝛis ſtrepitus perſentiatur: deinde oſſa dactylorum migmata teſta fictili incende, & cum eburneo oſſe tere donec in ſubtiliſſimum puluerẽ confeceris. Cæteras autem ſpecies ſimul tere & cribra, & cum ſucco carnis dactylorum & ſtyracis tempera, & ſic puluerem oſſis dactylorum, & eboris admiſce. Deinde margaritarum puluerẽ cum ſufficienti roſeo melle, ſicuti & aurum & argentum ſubtiliſſimæ limatum cõfectioni adde. Ad ultimum uero ambram, moſcum in calido balſamo ſoluta ſuperfunde: & omnibus bene commixtis in uitreo uaſe miſcellam hanc conde, & uſui reſerua. SE. Quænam quantitas præberi debet? BRAS. Author dicit tres drachmas mane uel ueſperi cum uino, ſeu cum calida. SE. Trochiſcorum formam nõ habebunt, ſi ut dictum eſt fiant. BRAS. Neq; opus eſt habere, ſed eſt diarhodon à roſis ita uocatũ: quãquam et hæc omnia poſſent in trochiſci formã facile duci. Adſunt & apud eundem authorem multæ compoſitiones quæ diarhodon uocãtur, ut capite centeſimo octogeſimo nono, & capite centeſimo nonageſimo. At apud Arabes innumeræ ferè

ſunt

ſunt trochiſcorum de roſis compoſitiones. SE. Illas re ferto, ne quicquam prætermittamus, quod in aliquo con ducere poſſit. BRAS. Tot referre compoſitiones nō eſt opus, ſed loca tantum referam in quibus ſcripta ſunt, quæ ſi legere placuerit cum domi eris nihil impediet. SE. Neq; iſtud mihi diſplicet. BRAS. En igitur Ra ſis in decimo ad Almāſorem cap. 11°. unam ponit deſcri ptionem ſub noīe trochiſchorū diarhodon: & in 9°. eiuſ dē libri capite deſcriptionē ponit trochiſcorū de roſis: et in nono capite ſexageſimo tertio aliā ponit deſcriptio nem: & in Antidotario diuiſionum duas habet trochi= ſcorum de roſis compoſitiones. Auicenna et ipſe in quin to Canone deſcriptionem ponit trochiſcorum de roſis: et Serapio nōnullas habet deſcriptiones. Paulus præterea Aegineta libro ſeptimo paſtillorū diarhodon mentionē facit. SE. Optarem ut hunc Pauli paſtillum ſaltem re ferres. BRAS. Id non inuitus efficiam, ita enim con= fici iubet Paulus.

Recipe Acaciæ
Commeos
Roſarum
Floris balauſtiorum — Vniuſcuiuſq; drach. III.
Hypocyſtidis ſucci
Gallarum

Succi roſarum uiridiū
Seminis plantaginis — Singulor. drachm. I.
Licij indici drachm. I. Miſce

SE. Quomodo ſimul hæc miſceātur author referre nō uidetur

uidetur. BRAS. Immo refert, quia rosarum succo, & plãtaginis omnia miscẽtur. SE. Probas ne tu eiusce modi compositionem? BRAS. Nõ quidem ad antiquas febres, ut illa Mesue conuenit, sed ualenter adstringit: propterea ubi adstrictione indigebimus hac Pauli compositione uti poterimus, quia id ualenter facit. SEN. Sunt ne alij antiquiores authores, qui de his pastillis mentionem faciant? BRAS. Actuarius, qui & si non sit antiquissimus author: tamẽ neq; recens est, & inter probatos authores numerãdus est. hic in libello de Cõpositione medicamentorũ ita dicit. Pastillus diarhodon. i. è rosis, cor & iecur roborat, dolorem capitis abigit, à sanguine uel flaua bile concitatum. Modus eius est sextula, cum rosarum uel nymphææ zulapio. SE. Compositionem ni pigeat referto. BRAS. Ita ait author.

Recipe rosarum
Triasandalorum
Spodij
Seminis portulacæ
Intubi, Violarum
} Singulor. sextulam unam.

Contusa cribrataq; ex stillatitio rosarum latice fermentescant. SE. Ab omnibus prædictis differt compositionibus. BRAS. Differt prorsus, at apud Græcos aliæ non extant trochiscorum de rosis compositiones, neque trochiscorum diarhodon. SE. Aliam igitur trochiscorum compositionem contemplemur. BRAS. Vt lubet: Primo autem notato in Mesue cõpositionibus usum trochiscorum de rosis Mesue conuenire, & in Nicolai compositiõibus trochiscorum de rosis ipsius Nicolai, tu hoc considerato, ac obseruato.

Trochiſci de Agarico perpendendi occurrũt. BRAS. In uſu non ſunt. SE. Ego in mea officina illos ſemper ſeruaui. BRAS. Non arbitror apud tres pharmacopolas Ferrariæ inueniri, & tu forte uel nunquam, uel rariſſime uẽdidiſti. SE. Bis aut ter in toto uitæ meæ curriculo illos uendidi, & illi adhuc in pixide ſunt, quos prima uice confeci: uerum ſummopere delector nihil deeſſe in eo pharmacopolio ex his quæ uel ſimplicia ſunt, uel compoſita in uſum quandoq; ueniunt, uel medicus aliquis quandoq; utatur, licet in uſu non ſint, & alij medici hoc deſpiciant: at ne medicus ille quandoq; me incautum inueniat, & ſine ſua compoſitione imparatum, et illam ſeruo. BRAS. At quam paras compoſitionem? SE. Hanc quæ ſequitur.

Recipe Agarici electi unciam. I. & ſemis.
Gingiberis drachm. I. ſcrup. I.
Salis gemmæ unc. ſem.

Conterantur omnia, & cum oxymelite ſimplici fiant trochiſci. BRAS. Alij tamen aliam parant compoſitionem. SE. Quam nam? BRAS. Illam quam Cõciliator conficit in capite de Vomitu. SEN. Illam ni pigeat referto. BRAS. En refero.

Recipe Agarici boni uigorati drach. V.
Gingiberis drachm. I.
Salis gemmæ drachm. I. & ſem.
Maſtiches drachm. I.
Calami aromatici drachm. I. & ſem.
Turbith drachm. II.
Aniſorum drachm. I. Aceti drachm. II.

Miſce

Miſce & fiant trochiſci, quos ex aqua calida præbeto. SE. Duæ aceti drachmæ ad commiſcenda incorporandaq; oĩa ſimplicia ſatis eſſe non uidentur. BRAS. Iccirco non intelligo quòd duæ ſolæ drachmæ accipiantur, ſed quantum ſufficit accipiendum ſit, tamen nõ erit etiam magna aceti quantitas illa quæ ad eiuſcemodi. iungenda ſimplicia recipietur. SE. Quid intelligis per agaricum uigoratum? BRAS. Huius deſcriptionis authorem interrogato quid ipſe intellexerit. SE. Nõ ſum ipſum allocuturus cũ diu ſit quòd obierit. BRAS. Arbitraris ne te diu adhuc ſuperuicturum? SE. Vt Deo placebit, tamen ſpe quadam detineor me multos iuniores uitæ prorogatione exceſſurum. BRAS. Dij faxint, nam uiri in ſua arte tam diligentes nunquam obire deberent. Ad rem uero redeamus. arbitror authorem illum per agaricum uigoratum agaricum intellige re melicrato imbibitum, & niſi in compoſitione ſal gemmæ adeſſet, intelligerem etiam ſali gemmæ iunctum. uel intellige roboratum ſpica, & aqua caſei. SE. Alia res eſt agaricum trochiſcatum. BRAS. Alia prorſus, fit uero trochiſcatum agaricum, ut Meſue dicit in libro Simplicium ubi de agarico agit, & arbitratur ſe loqui ſecundum Gale. ex ipſo agarico & uino cui infuſum eſt zingiber, nam dicit Fiant trochiſci ex eo & uino infuſionis gingiberis in quo puluis ipſius ſæpe ſubmergatur & fiet operatio eius completa. SE. Hoc eſt agaricum trochiſcatum, quòd in communi uſu ſeruatur. BRAS. Adde nihil referre etiam ſi trochiſcos de agarico uoces, quia differentia fieri non debet inter agaricum trochiſcatum, & trochiſcos de agarico, licet nonnulli trochi=

ſcatum agaricum uocent, cum in maſſam compoſitio redacta eſt, at deinceps trochiſcos de agarico uocant, cum maſſa ipſa in trochiſcorum formam efficta eſt, utrunq; uero (ut uides) idem eſt, uerũtamen prima illa compoſitio, quam adduxiſti, paſſim fit ab omnibus pharmacopolis, pro trochiſcis de agarico, & agarico trochiſcato Meſue, at in Meſue trochiſcis non adeſt ſal gemmæ. SE. Ego illud ſemper apponi uidi. BRAS. Meſue autem ſuos conficit trochiſcos cum uino infuſionis gingiberis & agarico, nullo alio ſimplici addito. SE. Nunquam hoc uino utimur ad illos conficiendos. BRAS. Iccir co nec ſecundum authoris mentem cõficitis. SE. Cur ſal gemmæ apponi non debet, cum agaricum rectificet? BRAS. Quid eſt hoc rectificare agaricum? SE. Quid rectificare ſit ignoro, ſed à Meſue ita dicitur. BRAS. At ego quid rectificare ſit, tibi aperire non grauabor, eſt uero rectificare à medicamento remouere, ſi quid habet uenenoſi, maligni ue ac infeſtantis. at in agarico nihil tale uidetur, nam nec aliquid habet uenenoſi, nec aliquid infeſtantis, quod corrigi deſideret, ſi Dioſcoridem & Gal. ſummos in re medica uiros contemplemur, nam nullus horum, neque quiſquam alius ex probis authoribus ſcriptum reliquit corrigendum eſſe agaricum gingibere, ſale gemmæ, aut re alia ſimili: neque Galenus mentionem facit de uino infuſionis gingiberis, ſed ait ſumptum pondere drachmæ unius cum uino diluto, unde nullus eſt ex antiquis qui uel agaricum corrigat, uel qui aliquid praui habere dicat. ob hoc forte Meſue coactus dixit eſſe pauci nocumenti, niſi quia imprimit læſionem in uiſceribus debilitans ea, quare indiget permixtione abſtergentium

ſtergentium cum eo, ut non profundetur eius uirtus in illis totaliter, ſicut dixerunt ſapientes. hæc Meſuæ. At *nullus antiquus uel ſapiens, quem uiderim, hoc dicit.* SE. *Audiui frequentius à medicis referri, uentriculum ab agarico deijci.* BRAS. *Si experientia contemplemur, agaricum uentriculi uires deijcere uidetur, & in appetentiam facere, atq; ſubuerſionem: ut uiderim illos qui agarico uſi ſunt p aliquot dies edere non poſſe, quod & mihi nonnunquam contigit.* SE. *Tamen uidetur tales qualitates habere (ut omnes referunt) quæ uentriculum potius roborare deberent.* BRAS. *Immo illas habet, nam cum adſtrictione quadam amarum eſt, & ob nullas alias qualitates abſynthium uentriculum roborare dicitur, & abrotanum uentriculo obeſſe dicitur, licet amarum ſit, quia nihil habet adſtringentis qualitatis, uentriculo autem aduerſari uidetur, quia diuerſarũ eſt partium ac qualitatũ, propterea uiſcera reddit imbecilliora. uerùm hac de re aliàs tractaturi ſumus.* SE. *Ad trochiſcos ergo redeamus.* BRAS. *Vt lubet. Si trochiſcos de agarico à me dictos, Meſue trochiſcos eſſe nolueris, ſed Galeni, cum tamen Galenus horum trochiſcorum nuſquam mentionem fecerit, poteris trochiſcos illos Meſue ſuperius enarratos parare qui ſalem gẽmæ recipiunt ad tertiam partem, & cum ſecania bin conficiantur.* SE. *Poſſem & accipere trochiſcos illos qui in Meſue ſequuntur ſecundum Halym.* BRAS. *Quos uolueris facito, tamẽ illos potius probo, qui abſq; ſale gẽmæ conficiuntur, ſed qui nam ſunt illi quos refert Haly?* Se. *Meſue inquit. Si ex eo ſexta parte ipſius ex Keyſim aut dauci, & quarta ipſius ſalis gemmæ fiant trochiſci*

cum uiscositate polypodij recentis, fit mirabilis consecutio operationum ipsius ad ea quæ oportet. Aliqui etiam conficiunt ex infusione gingiberis, & sale gemmæ cum uino albo. BRAS. Scio & Iudæum secundum Mesuem cum oxymelite scilitico confeciſſe, ac dixiſſe eorũ operationem eo magnificari, & magis magnificari ſi aliquod acutum illi miſceatur. SE. Sum ne hoc modo confecturus? BRAS. Vt libebit, tamen probarem ut eo modo conficeretur, quo à Meſue dictum eſt ſecundum Galenum (licet Galenus id nunquam dixerit, uel ſomniauerit) nam illi ſunt ſimpliciſſimi de agarico trochiſci. SE. In quãta poſſunt præberi copia? BRAS. Si hos ſimpliciſſimos præbebis, à drachma una uſque ad duas præbeto: ſi uero compoſitionem illam feceris, quã ſuperius aliquos conficere dictum eſt, ad tres drachmas progredi poteris, quia multa ſunt cum agarico ſimplicia quæ non educunt. SE. Ad quos ualent hi trochiſci affectus? BRAS. Ad multos: nam pituitam craſſam educunt, bilem craſſam, & atram bilem, tamen eorum proprium eſt, ac peculiare pituitam educere, & tumores glutinoſos, craſſos, ac putridos, cerebrum mundificant, ac roborant, neruos unà, ac muſculos, ſenſus uiuificant, & ſenſitiuis proficiunt membris, humores qui in poſteriori ſunt capitis parte educunt, pulmonem, & pectus à glutinoſis humoribus & putridis liberant, totoq; conueniunt thoraci, et ſtomachum mundificant, iecur q; ſplenem, renes, & in mulieribus uterum, & iuncturas à materia liberant, omnibus intrinſecis corporis doloribus ſuccurrunt, antiquum capitis dolorem remouẽt, epilepſiæ conducunt, ac uertigini, maniæ conueniunt, melãcholiæ,

choliæ, & neruorum ægritudinibus, cerebriq; abſceſſibus, aſthmati congruunt, anhelitus difficultati, & pulmonis ulceribus, pectoriſq;, uentriculi dolores, & uiſcerum ſedant, omnibus conferunt obſtructionibus, & omnibus unà affectibus qui ex obſtructione dependent, ut ſunt icteritia, hydrops, & ſplenis craßities, iecoris etiã dolori conueniunt, lienis, & renum, abſceßibuſq; in ipſis ſuccurrunt, urinam prouocant, menſes, atq; uterum mundificant, uermibus aduerſantur, et colorem bonum reddunt; iſchiæ conferunt. & iuncturarum doloribus, antiquis febribus quæ ex eterogenea materia conſtitutæ ſunt opitulantur, febriumq; prædictarum typum ſedãt.

SE. Infinitas igitur hi trochiſci dotes habẽt. BRAS. Sunt agarici dotes quæ à Meſue referuntur, & quæ longe plures ſunt, quam ille quæ à Dioſcoride, & Galeno ſcriptæ ſunt. ſed his de agarico dimißis trochiſcis, alios ſecundum tuum ordinem referto.

SENEX V.

Trochiſci de alkakengi huc pedes conferunt. BRAS. Quãquam in nomine erres, ſino ut ad tua uota nominibus utaris, modo in re ipſa non erres. SE. In quo errẽ ignoro. BRAS. Erras quia alkakengi Barbarum nomen eſt, Græci ἀλικάκαβον uocant, Latini autem ueſicariam, ut trochiſci de ueſicaria nuncupari debeant, at tibi uniuſcuiuſq; nominis uſum cõſentio, modo i re ipſa nõ diſſentias. SE. Nõ diſſentiã ut ſpero. BRAS. Trochiſcos igiẽ quos paras de ueßicaria referto. SE. Iã refero. Recipe Granorum Alchechengi drach. III.

Seminis citruli
Albatechæ, Cucurbitæ } Sing. drach. III. et ſem.

Boli armeni
Gũmi arabici, Thuris
Sanguinis draconis
Papaueris albi
Amygdalarum amararum
Succi glycyrrhizæ
Tragacanthi
Amili, Granorum pini
} Sing. darch. VI.

Seminis apij
Charabæ, Boli
Hyosciami, Opij
} Singul. drach. II.

Præbe drachmam unã cum iuleb, aut cum aqua mellis.

BRAS. Hi sunt trochisci de uesicaria Mesue, & in omnibus ferè pharmacopolijs ipsorum est per totã Italiam usus, quãquam uariæ sint apud multos authores descriptiones, tamen neq; ista apud omnes quoàd simplicium pondera eodem modo conficitur, nam aliqui uesicariæ genera apponũt, ad drachmas tres & semis. SE. Hoc forte melius est, ut uesicaria cum alijs saltem in eodem sit pondere, ut trochisci de uesicaria à quantitate denominari possint, nam nisi ingrederentur in tanta copia, quanta sunt alia simplicia, immo & in maiori, nõ magis essent trochisci de uesicaria, quam de citruli seminibus, uel albathecæ. propterea illos magis probo, qui granorum uesicariæ unciam unam apponunt, cum quia ita exigit usus, tum ut merito de uesicaria nuncupari possint, tum ut maior sit uesicariæ usus quàm aliorum simplicium, nam uesicaria urinas pellit, propterea in hac descriptione in magna copia recipi debet, ut alia adstringẽtia simplicia ad urinæ uias ducat, nam & ad hunc finem

apij

apij semẽ additur, reliqua deinde præter grana pini, & amaras amygdalas adstringentia sunt, & consolidationem parantia, iccirco hi trochisci ad renum, & ueſicæ uulnera quadrant, immo & omnibus opitulantur ulceribus. Valẽt præterea ad ueſicæ excoriationem: et ad dolorem, ac ardorem quem aliqui in meiendo habent, immo quandoq; eorum usus est ad extrinsecas partes ulceratas consolidandas. sed dic quomodo hæc omnia simul iũgis? SE. Aqua mellis ut Mesue docet, uel iuleb. BRAS. Mesue non dicit esse ex aqua mellis conficiendos, sed ex aqua mellis præbendos, tamẽ nihil refert si ex aqua mellis conficiantur, immo si ex ea sumi debent ex eadem confici posse quid prohibet? SEN. Nihil ut arbitror. BRAS. Si ex iuleb conficiantur, quod nam iulebi genus sumis? SE. Violaceum, & ita multi intelligunt, ac eo conficiunt. BRAS. Ad urinæ ardorem etiam cõuenit iuleb uiolatum, sed roſaceũ ubi ulcera adfuerint magis consolidat, utrunque genus sumi potest, nam neque Mesue dicit, quòd ex iuleb fieri debeant, sed quòd sumi debeant ex iuleb. mihi magis placet quod ex roſaceo cõficiantur, tamen cum eo digladiari noluerim, qui ex iuleb uiolato conficeret. SE. In huius compositionis simplicibus primo scriptum est Boli armeni, postea simpliciter scriptũ est Boli, quid per hoc intelligendũ est? BRAS. At tu dic prius quando hos trochiscos conficis, quid Boli loco accipis? SE. Quandoq; terram sigillatam accepi, quandoq; macram. i. terram illam rubram qua lignarij fabri utuntur. BRAS. Est illa quæ fit ex combusta ochra, sed probarem potius ut sigillata terra acciperẽtur, quæ est tenuiorum partium, quam macra, & exul-

cerationes

cerationes magis consolidat. at quid accipis tu per batecham? SE. Anguriæ uocatæ semina. BRAS. Illa etiam deinceps sumito, nam quid sit ambiguum est, ad intentionem uero ista conueniunt quæ accipis semina: reliqua quæ compositionem ingrediuntur per plana sunt. SE. Reperiuntur ne apud antiquos hi de uesicaria trochisci? BRASA. Immo inueniuntur, & non possum non putare Mesuem à Nicolao Alexandrino accepisse, nonnullaq; simplicia addidisse. dicit enim hic uir in suo de Compositione medicamentorum libro capite nongentesimo quinquagesimo secũdo ubi inscriptio est Trochiscus diaphissalidos Alexandri, & ita ait Salutaris ad renum, & uesicæ passiones, ad eos qui cum urina mucilagines uel sanguine reddũt, lapides frangit, et de renibus et uesica expellit, ad ureteras & uesicam uulneratam cum lacte mulieris, uel asinæ, aut sapa cum syringa iniectus, ad stranguriam, & dysuriam. SE. Ad tot non conferunt Mesue trochisci. BRAS. Immo & ad plura, sed ipse omnia non expressit. compositio uero hæc est.

Recipe physalidos. i. uesicariæ grana. XXIIII.
Seminis lapathi drach. XIII.
Seminis cucumeris domestici drach. XII.
Seminum fœniculi drach. VI.
Amygdalarum amararum drach. IIII.
Nucleorum pini
Hyosciami albi
Opij, Conij seminis
} Singulorum drach. III.

Sapæ quod sufficit. Opium cum sapa dissolue, & cũ specierum puluere drachmeos trochiscos informa, & cum apozemate apij utere. SE. Hic author suos hos conficit

conficit cum sapa trochiscos, cur postea non præbet ex aqua mellis? BRAS. Quia præbet ex re efficaciori. nam apij decoctum ad urinarias uias facilius medicamenta ducit, hæc simplicia ad prædictas intẽtiones perficiendas sunt satis, uerũtamen & idem author refert trochiscos minores de uesicaria. est uero capite nongentesimo quinquagesimo tertio ubi inscriptio est Trochiscus diaphysalidos minor. SE. Ad quos confert hic minor affectus? BRAS. Authorem audito ita scriptis tradentẽ. Ad uitia renum, & uesicæ ad stranguriã, & dysuriam. SEN. Ex quibus conficit hos trochiscos simplicibus? BRAS. Ex his quæ sequuntur.

Recipe physalidos. i. uesicariæ gra. XXV.
Seminis cucumeris domestici drach. XII.
Sem. hyosciami drach. VI. Fœniculi drach. IIII.
Nucleorũ pini, Croci, Lapathi Sem. papaueris } Sing. drach. III.

Sapæ q. sufficit. Ex hoc puluere cũ sapa drachmeos trochiscos informa, & drachmam unam cum apij decoctione dabis, & per uirgã cum sapa, in qua decoctæ fuerint baccæ hederæ, inijcies. SE. Non est magna inter unam & alteram cõpositionem differentia? BRAS. Non quidem ut uideo, tamen hæc compositio nouem recipit simplicia, & quæ præcessit decem sapam numerando qua commiscetur, in secundaq; compositione adest crocus, qui non adest in prima, in prima uero duo sunt quibus caret secunda. ueruntamen & alij authores alias faciunt de uesicaria trochiscorum compositiones, inter quos unus est Actuarius, qui in suo de Compositione medicamentorum libro. ita inscriptionem habet.

Pastillus

Pastillus Diaphysalidõ, id est è uesicaria pollet aduersus renum, & uesicæ exulcerationes, fluentem sanguinem, & mucosa strigmenta excernentes, & uehementi dolore conflictatos. huius pastilli pondus drachmæ datur febri non obnoxijs ex dulci uino, uel sapa, febrientibus cũ dilutiore uino. SE. Ex quibus conficit pastillum hunc Actuarius? BRAS. Ex his quæ sequuntur.

Recipe lachrymæ papaueris
Seminis cucumeris, Apij
Apollinaris herbæ
Fœniculi, Vesicariæ } Sing. quadrantem.
Amygdalarum trientem, Croci sextantem.

Vini dulcis quãtum erit satis, ut hoc ueluti fermento concrescat in pastillos. SE. Cum aliquo prædictorum modo non conuenit. BRAS. At in intentione saltem conuenit. Verum & apud authores adsunt de uesicaria pastilli ex mineralibus confecti. SEN. Qui nam sunt? BRAS. Vnum genus apud Galenum reperitur libro quinto de Compositione medicamẽtorum p genera. Est uero inter medicamenta quæ scripsit Andromachus in calce operis de Exterioribus, & denominatur Pastillus δι ἀλικακαβῶν. i. de uesicarijs. cuius cõpositio hæc est. Recipe argenti spumæ pondo denarium. XXIIII.

Cerussæ pondo denarium. XII.
Alicacabi radicis pondo denarium. VIII.
Calcanthi, Aluminis } Sing. pondo denarium IIII.
Minij quantum ad colorem accipiendum satis est. Ex aqua subigatur. SE. Ex quo aquæ genere? BRAS. Ex aqua fontis, quãq; & pluuialis aqua ad hæc recipienda erit haud mediocriter idonea. Reperiũ & Dialicacabus

bus Trochiſcus apud Oribaſium in illis quos cõficere docuit trochiſcis. SE. Et mihi pergratum erit hos audire. BRAS. Efficiam ut audias, nam author hic dicit uocari & cirros eiuſcemodi trochiſcos, qui faciunt ad eryſipelas, & trimala, & ad narium tumores reſolutos cum aceto, aut poſca, aut aqua frigida.

Recipe litharg yrij drach. XXIIII.
Pſimmythij drach. XII. Aluminis ſciſſi drach. IIII.
Calcanthi drachm. IIII. Alicacabi corticis uiridis uel pro alicacabo ſtrycni drach. VIII.

Sinopidem ſi uolueris ad colorem faciendum mittes, & facies trochiſcos ex aqua, et uteris aliquando cum uino, aut aqua. SE. Quomodo ſciuerim quando ex uino, & quando ex aqua ſumendi ſunt? BRAS. Cum adeſt febris ex aqua adhibentur, abſq; febre ex uino. Adde & uinum etiam in febre accipi poſſe, quia medicamẽtorum uim magis penetrare facit. Adeſt et hoc apud antiquos (licet cum præcedenti conuenire uideatur.) Ex alicacabo paſtillus quem ueſicariam uocamus ad prægnãtes aqua puſtulas, et epynictidas efficax, narium ulceribus, & rimis ſedis, & quibus citra dolorem ducere cicatricẽ placet auxiliatur. ipſius uero compoſitio hæc eſt.

Recipe ceruſſæ lib. I. Spumæ argenti ſemiſſem.
Aluminis ſciſſi, Corticis alicacabi, Atramenti ſutorij, Sinopidis } Sing. ſelibrã
Quæ aceto accipito. SE. Medicamentum hoc per os ſumendum non eſt. BRAS. Non prorſus, tamen poteſt & in uirile mẽbrum inijci, quãdo exulceratio aderit, in aqua uel ſucco plantaginis diſſolutus, in reliquis extrinſecis applicãdus eſt, ſed & Paulus libro ſeptimo

capite

capite 12° ubi inscriptio est Pastillus διὰ φυσαλίδων inscriptus, refert trochiscos de uesicaria, hæcq; est ipsius Pauli compositio quam nunc refero.

Recipe seminis cucumeris satiui pelle exuti unc. IIII.
Seminis alterci, Cicutæ ℈ Sing. unc. II.
Fœniculi
Seminis rumicis, Croci
Nucleorum pineorum } Singulo. unc. I.
Amygdalarum amararũ
Opij
Physalidis sextarios. III.
Vini quantum opus est.

SE. Non ne edocetur à Paulo ad quos ualeãt affectus hi trochisci? BRAS. Non edocetur, sed tu ad eosdẽ conferre iudicato ad quos cõferunt trochisci Nicolai Alexandrini superius enarrati, nã & eadem ferè simplicia recipiunt nõnullis exceptis. habetur & alia compositio apud eundẽ Paulum in eodẽ capite cuius inscriptio est Pastillus διὰ ἀλικακάβου. i. ex uesicaria. ita uero cõficitur.

Recipe spumæ argenti denarios. XXIIII.
Cerussæ denarium pondo. XII. uel XXI.
Alicacabi radicis pondo denarium octo.
Chalcanthi, atramẽti ue sutorij denariũ pondo. IIII.
Aluminis fissi tantundem.
Rubricæ quantum ad colorem inducendum sufficit.
Aqua excipe. SE. Non arbitror Paulum per os præbuisse eiuscemodi pastillum. BRAS. Non quidem: tamen arbitrandum q; in penem exulceratum iniecerit in aqua plantaginis, uel re alia simili dissolutum. SE. Sunt ne alij apud antiquos huius generis pastilli? BRAS.

Nulli

Nulli adsunt, quos sciuerim. sed apud Auicẽnam alij reperiũtur de alvaxengi (ut eius utar uerbo) pastilli, qui à præscriptis diuersi sunt. SE. Vnam aut alteram refer, si lubet, cõpositionem. BRAS. Id libenter efficiam, modo amplius non me lacessas, ut Arabum cõpositiones refferam. SE. In hac cõpositione amplius non te lacessam, de alijs uero secus erit. BRAS. En igitur hæc est compositio quam in quinto Canone refert, & dicit Trochisci alvaxengi conferentes ad dolores renũ, & uesicæ, & mictum sanguinis & saniei, & ad urinam mucosam, & confert ad scabiem uesicæ, quorum hæc est pmixtio.

Recipe seminis melonis aur. XXXVI.
Opij aur. VI.
Seminis hyosciami albi
Apij, Acetosæ } Sing. aur. VI.
Seminis Hyosciami nigri
Coriandrorum } Sing. aur. VIII.
Seminum fœniculi
Granorum pini torrefactorũ
Croci
Amygdalarum amararum } Sing. aur. VIII.
Granorum alvaxengi montani gra. LXXV.

Confice, & fac trochiscos cum coagulo uaccæ, dosis à duabus aureis usq; ad tres. SE. Mihi uidetur quòd aliquam habeant cum illis Nicolai Alexandrini affinitatẽ. BRAS. Immo habent, ad eosdemq; cõferunt affectus. uerum in Auicẽna alia statim sequitur compositio, nam dicit Trochisci alvaxengi descriptione alia, qui conferunt ad ulcus renum, & uesicæ, & ad destillationem urinæ. ipsorum compositio hæc est.

Recipe

Recipe seminis Apij
Hyoscyami albi } Singulorum drach. VI.
Schedenegi
Seminum fœniculi drachm. II.
Croci
Sem. acetosæ sylvestris
Amygdalarum } Sing. drach. III.
Nucleorum pini, Opij
Amygdalarum amara-
rum excoriatarum
Granorum alchachengi numero. XXV.
Seminis cucumeris drach. XII.

Tere, & cõfice, & fac trochiscos. SE. Quomodo confici debent? BRAS. Ab Auicenna nõ exprimitur, sed plãtaginis aqua accipiatur, uel mel rosatum colatũ, uel aliud simile: possent & ex uino albo cõfici. SE. Extant ne aliæ apud hunc authorem huius generis cõpositiones? BRAS. Extat & tertia compositio, quam à prædictis seorsum retulit, & alio nomine inscripsit. forte arbitratus est cõpositionem aliam esse à trochiscis de uesicaria, ita uero trochiscos ꝓponit. Trochisci disulidis cõferentes ad ulcera renum & uesicæ, & ad mictum sanguinis, & ad urinæ difficultatem, quorũ permixtio hæc est.

Recipe seminis Apij
Iusquiami albi } Sing. drach. VI.
Sem. hedenegi. i. cicutæ
Seminis fœniculi drachm. II.
Croci
Granorum pini }
Semi. lapathi ace-

tosi

toſt
Opij
Amygdalarum amarorũ excoriatarũ } Singulor. drach. II. I

Granorum alkakengi montani numero XV.
Seminum cucumeris excorticatorum

Tere, & confice, & forma trochiſcos. Compoſitiones omnes in aliquibus ferè conueniunt, immo & in maiori ſimpliciũ parte. SE. Quid ſignat uocabulũ diſulidis? BRAS. Eſt corruptum uocabulũ, & in aliquibus etiã exẽplaribus ſcriptum eſt diſalidis, cum legi deberet trochiſci διὰ φυσαλίδων. i. de ueſicaria: ita. n. à Græcis uocantur. SE. Arbitrabar & ego illud uocabulum eſſe corruptum, ſed unà etiam putabam eſſe authoris nomẽ, qui trochiſcos innenit. BRAS. At eſt nomen plantæ quæ ueſicas facit, & grana in ueſicis clauſa. SE. Sunt ne aliæ apud authores compoſitiones? BRAS. Et Serapio ipſe in 7° ſui Antidotarij trochiſcos poſuit de ueſicaria, corruptoq; uocabulo trochiſcos, aleſculidis uocat, cum dicere debuiſſet trochiſci διὰ φυσαλίδων: dicit uero ad renum ulcera, et ueſicæ conferre, et ad illum qui ſanguinem mingit, & ad urinæ difficultatem: Ita uero refert Serapio.

Recipe ſem. hyoſciami
Apij
Fœniculi } Singulor. drach. VI.

Croci
Granorum pini
Sem. acetosæ excorticati
Opij
Amyg. amararũ excorticatarum
} Singulor. drach. III.

Granorum alkakengi numero XXV.
{ In alia descriptione sunt numero L. }
Sebedenegi drachm. VIII.
Seminis citruli drachm. XII.
{ Et inuenit Serapio in alia descriptione Thuris drachmam I. }

Terantur cũ rob, aut iuleb, aut aqua tepida, et fiant tro chisci unius drachmæ, & administrentur post sex dies. SE. In sex dierum spatio fermentari debent, tamen C multum conueniunt cum nonnullis supradictis compos tionibus. BRAS. Immo eædem esse debuisset, sed scr ptores peruerterunt: nam aliqua addiderũt, aliqua pr teriere, ut deinde compositiones alias describere coga tur, quam sint illæ quas ipsi ab antiquis accepere. SE. Ne amplius conteramus tempus in his Arabum compo sitionibus contemplandis. BRAS. Neq; ego hoc libe ter efficio: uerum hoc non præteribo, & Rasim in dis sionũ Antidotario, ubi de urinæ medicinis agit, duas h rum trochiscorum compositiones referre, quarum una inscriptionem habet. Confectio ad ulcera renum, et uesi cæ: secunda uero habet. Confectio trochiscorum ultimo

rum

rum qui nominãtur trochiſci alkakengi. Reperitur & apud Halym una horum trochiſcorum compoſitio: uerũ & uocabulum apud hũc authorem eſt corruptum: nam ubi legendum eſt διὰ φυσαλίδων, legit abſolidis. SE. Extraneæ profecto ſunt hæ uocabulorũ corruptiones. BRAS. Pro exulcerato pene nonnunquam ſequentibus noſtris trochiſcis de ueſicaria uſi ſumus.

Recipe Veſicariæ ſem. granorum. unc. I.

Maſtiches
Bolli armeni
Terræ ſigillatæ
} Singulor. drach. ſem.

Roſarum rubrarum
Balauſtiarum
} Singulor. drachm. I.

Miſce, & cum ſyrupo myrtino fiãt trochiſci, quos in aqua plãtaginis diſſolui iuſſi, et in urinarium meatum injici: tamen et ad renum, ac ueſicæ exulcerationem conueniunt. Alijs præterea ad urinam prouocandam ſum uſus trochiſcis, quorum compoſitio hæc eſt.

Recipe Granorum ueſicariæ unc. I.

Seminum urticæ
Fœniculi
Apij
Petroſelini
Amidis
} Singulor. drach. ſem.

Miſce cum aqua ſaxifragiæ quorum unuſquiſque ſit unius drachmæ pondere, qui præbeatur uel ex uino albo potentiore, uel ex aqua capillorũ ueneris uel ſaxifragiæ. SE. Non mihi diſplicet te hos adduxiſſe, quibus uteris trochiſcos, & quos ego in meo ſeruo in tui gratiam pharmacopolio. BRAS. Aliud trochiſcorum genus in examen afferendum eſt.

SENEX. VI.

Sua ſponte trochiſci de abſynthio accedunt. BRAS. Multis ſunt nominibus digni, ut & abſynthium ipſum nobiliſsima eſt herba, ſed eia cõpoſitionem quam paras referto. SE. Ego Meſue compoſitionem paro, quam antiquis febribus conferre dicit, & hepatis obſtructiones, ac ſtomachi aperire, ſtomachũ confortare, & mẽbris nutritionis cõferre, apetitumq; excitare. BRAS. Ego his frequenter utor in longis morbis, in quibus uentriculus, & iecur praue affecta ſunt. at cõpoſitionem a ferto. SE. Iã attuliſſem niſi me intercepiſſes. BRAS Fieri non poteſt quando aliqua occurrunt loquenda q aliquando homo loquatur. SE. Hæc eſt apud Meſuem horum trochiſcorum de abſynthio compoſitio.

Recipe Roſarum
Abſynthij
Aniſi
} Sing. drachm. II.

Rhaued
Succi eupatorij
Aſari

Apij
Amyg. amararum
Spicæ
Masticbes
Folij
} Singulorum drachm. I.

Fac trochiscos cum succo endiuæ, da cum succo herbarū BRAS. Quid intelligit per herbarum succum? SE. Herbarum supradictarum, supradictæ uero sunt eupatorium, apium, asarum, absynthium. BRAS. Intelligis ne omnium harum herbarum? SE. Omnium prorsus in copositione positarum. BRAS. Præberes ne tu hos trochiscos cum illarum herbarum succo? SE. Præberē maxime, nisi ægrotus refugeret, tū in præsentiarum summuntur cū aquis ui ignis eliquatis. BRAS. At ego semper præbeo cum aliquo syrupo iecori, et uētriculo proprio, uel febri cōuenienti, fiuntq; syrupi ex herbarum succis, iccirco cum bysantino præbentur hi trochisci, uel cum alijs affectui proprijs. at quid accipis per Rhaued? SE. Rha barbarum simpliciter. BRAS. Probè agis, nam cū simpliciter Rhaued dicitur uel radix, illa per excellentiam intelligitur, quæ Barbarica radix uocatur, nā oēs alias pfectione superat radices, iccirco simpliciter proferendo radix ista intelligitur, & apud Mesuem potißimū radix de sceni ītelligitur, quæ est exquisitißimum, rha barbarum. SE. Cur nō uocātur trochisci de rosis, uel de anisis, ut de absynthio nominati sunt, cum hæc sint in æquali pondere in compositione cum absynthio? BRAS. Quantum sit de rosis adsunt alij uocati de rosis trochisci, de absynthij uero po-

tius quam de anisis nominati sunt, quia absynthium magis efficax est ad intentionem, ad quam confecti sunt trochisci, quã anisum. Adde paulo post Mesuem trochiseos de anisis posuisse, propterea nõ ab re fuit ut hi ab absynthio denominationem sortirentur. SE. In meo pharmacopolio folium quoddam habeo, quod Venetijs emi, & simplici uocabulo folium nominant, & dicunt esse ex India Venetias euectum, et esse uerum folium, tamen postea audiui non esse uerum folium, cui profecto descriptio non quadrat. BRAS. Folium quod malabathrũ antiqui uocarunt, nõ habetur in Italia, nec ad nos ab Indis defertur, tamen Indi folium quoddam habent quod masticant ad halitus suaueolentiã incitandam, & ego folium istud nactus sum ab Illustri Beatrice de Luna Lusitana. nobilißima uirago hæc ab indis Ferrariam illud uehi iußit, nomen quo illud nominant Indi à malabathro deflexum est, nã ipsi appellant hoc folium Betre ab Arabibus tambul uocatur. Frutex est surculosus folijs iuglãdibus, maioribus, pinguioribus, frangi cõtumacibus tribus per medium concurrentibus neruis, suauiter spirantibus cum recentia sunt, sicca quendam lauri gustum sub lingua referunt, ubiq; ferè in tota India prouenies, cultu, et sine cultu nascitur, cultũ magis probatur. Indi foliũ, et fructum quod Arecam nominãt, et calcem ostreorum simul miscent, medicamẽtumq; componunt ad abstergẽdos dentes aptũ, ad uẽtriculũ firmãdũ, ad habitus inculpatos reddẽdos, uice pacis hoc foliũ inter sese offerũt. Illustris Beatrix de Luna mulier, si quæ alia in toto orbe sit, solertißima non tantum me participem fecit malabathri, sed et ipsius historiam, ac dotes scriptis tradidit

didit. SE. Tu igitur malabathrum habes? BRAS. Habeo, et in gratiã. Illustrißimi HERCVLIS Ducis nostri pro cõficienda theriaca seruo. SE. Quomodo scis tu illud esse folium? BRAS. Quia apud Indos nullum aliud inuenitur quam istud foliũ, quod in pretio sit, nec aliunde affertur, cui Dioscoridis figura conueniat, imo nec Dioscorides, nec Galenus, nec Plinius ipse de folio exquisite locuti sunt, sed de eo loquuntur tanq̃ de re ignota, neq; aliud ẽ præter hoc foliũ ĩ India quo ad suaueolẽtiã excitãdã utãtur. SE. Nõ ne portionẽ aliquam huius folij mihi impartieris, ut trochiscos hos exquisite confieere posim? BRAS. Non ne dixi tibi me in gratiam Illustrißimi Ducis nostri hoc folium seruare? SE. Quid ergo à me folij loco accipiendum erit? BRAS. Lege Galeni succedanea, & uide qd malabathri loco ponat: hoc. n. accipies, & absq; trochiscis de absynthio tuũ non erit pharmacopolium. SE. Quid tandem pro malabathro Galenus accepit, & quid illi substituit? BRAS. Nardum indicam. SE. Habemus ne indicam nardum. BRAS. Quid ni. SE. Est ne illa uulgata quam Venetijs emimus? BRAS. Illa est, & illa inquã quæ cũ tenuioribus capillamẽtis cæteris odoratior est. SE. Reperitur ne apud antiquos pastillorum de absynthio compositio? BRAS. Apud Græcos nõ reperitur, at apud Arabes multæ scriptæ sunt compositiones, quæ in aliquibus conueniunt, in alijs differunt, Nicolaus autem Alexandrinus capite noningẽtesimo septuagesimo tertio compositionem quãdam refert trochiscorum hepaticorum, & ictericorũ quæ ex quinq; simplicibus in Mesue positis constat, nimirum dicit.

Recipe amygdalarum
purgatarum
Abſynthij
Aſari
Aniſorum
Apij
} Aequalia pondera

Aqua quod ſufficit. hæc omnia cribrata confice, & trochiſcos informa, cumq; opus fuerit cum uino dabis: SE. Hæc ſimplicia in Meſue cõpoſitione prorſus ſunt, ſi per amygdalas amaras ipſas intelligamus, ſed à Meſue multo plura dicuntur. BRAS. Reperitur & apud Galenum trochiſcorum amarorum compoſitio in octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos quam ad ſtomachicos ualere dicit, & cœliacos, uentrem mollire, ad ſomnum facere ex comentarijs Aphrodæ, ualet etiam ueſicæ, & colli uitijs.

Recipe Apij ſeminis drach. VI.
Aniſi tantundem
Piperis albi ſexquidrachmam
Caſtorei drach. II.

Myrrhæ
Nardi gallicæ floris
Opij
Cinnamomi
} Singulor. drach. I. et ſem.

Abſynthij comæ drach. III.
Aloes obolos III.

Maſtiches

Maſtiches drachm. I.

Ex aqua paſtillos formato triobolares, aut drachmales, et dato cum aquæ cyatis tribus SE. Poſſunt & paſtilli de abſynthio uocari, quia abſynthiũ recipiunt, et ob ipſum potißimum ſunt amari. BRAS. Neq; intẽtionem cuariant paſtillorum de abſynthio, quãuis hic opium ponatur. At Galenus apponi dixit, quoniam medicamenti author uoluit ſimul conficere medicamentum exiccans & anodynon, quodq; ſomnum induceret. Actuarius etiam in libello de Medicamentorũ cõpoſitione paſtillos quoſdã refert amaros uocatos ad intentionẽ troſchiſcorũ de abſynthio Meſue: inquit uero trochiſcus amarus, qui opitulatur ſtomachicis: item iocinoroſis, lienoſis, & regio morbo laborantibus: ita uero conficiuntur.

Recipe ſem. Apij
Aſari
Abſynthij
Aniſorum
Amygdalarum amararum
} Singulor. unc. II.
Miſceantur.

SE. Idem ſunt cũ Nicolai Alexãdrini de abſynthio trochiſcis. At cum non referat, quo liquore confici debent?

BRAS. Cum nihil ab authore dicitur, accipe uel aquã puram, ut Nicolaus facit, uel liquorem alium qui ſit ad compoſitionis intentionem. Auicenna (ut ad Arabes redeamus) duas ponit trochiſcorum de abſynthio compoſitiones, quarum una hæc eſt: non enim adeo ſunt ſpernẽdi Arabes, ut eorum compoſitiones nunq̃ adducãtur.

Recipe

Recipe Aniſorum
Abſynthij
Aſari
Seminum apij
Amygda. amararum
} Sing. partes æquales.

Conficiantur cum aqua frigida, & fiant trochiſci, & dẽ tur in potu. SE. Idem ſunt cum prædictis. BRAS. Auicennæ compoſitionem adducere uolui, ut eandem eſſe cum prædictis noſceres: Auicẽnaq; dicit ad aliquas febres conferre, eſſe aperitiuos ualde, & prouocatiuos, & appetentiam proritare. SE. Poſtea quam primam horum. trochiſcorum apud Auicennam compoſitionem retuliſti, & ſecundam afferre ne graueris. BRAS. Ita dicit Auicẽna. Trochiſci de abſynthio alij facientes ad hepar, & ad ſplenem, ac ſtomachum, & febrẽ tertianam, & triangulam: ita uero conficiuntur.

Recipe Aniſorum aur. II.

Aſari
Abſynthij rom.
Seminum Apij
Amygdalar. excor-ticatarũ
} Singulor. aur. I.
Maſtiches
Spicæ

Aloes

Aloes succotrini Folij Indi	Singulor. aur. I. & sem.

Succi eupatorij aur. I.
Terantur, & conficiant, & informẽtur trochisci. SE. Hæc cõpositio aliquo modo similis est compositioni Mesue. BRAS. Similis profecto præterquã in aloe, quæ in hac ponitur compositione, et in illa Mesue Rha barbarum, & in Mesue compositione adsunt rosæ, quæ in Auicennæ compositione absunt. SE. Audiui & apud alios authores alias esse compositiones ab his differẽtes. BRAS. Adsunt profecto, & ad eandem sunt intentionem: nam Serapio in septimo tractatu, ubi de Antidotis uerba facit. Trochiscos de absynthio refert, quos ait obstructiones in hepate aperire, & conferre ad febrem antiquam, & urinam prouocare.

Recipe Absynthij Anisorum Asari Sem. apij Amyg. amararum	Singul. partes æquales

Terantur, & cum aqua conficiantur. SE. His similes sunt quos Actuarius descripsit. BRAS. Immo idem sunt, & eadem præcise habent simplicia. Duæ etiam reperiuntur apud Halyabatem horum trochiscorum compositiones, quas breuitatis causa, cũ eædẽ ferè sint, prætermittere decreui. SE. Per herbarum succum, herba

rum

rum in compositione positarum intellexisti, cur nõ alia rum herbarum, cum herbæ hæ in cõpositione iam sint? BRAS. Nihil refert, & si in compositione sint, iterum eas in succum redactas assumere: tamen si tibi placuerit intelligere poteris illarum herbarum succum ex quibus fit syrupus acetosus de succis herbarum, et infusio fit de herbarum succis: poteris per herbarum succos, illos intelligere ita à Mesue uocatos. SE. Tandem quæ sunt hæ herbæ, ex quibus hic syrupus conficitur? & simpliciter hic succus herbarum succus dicitur? BRAS. Suntiendiuia, lupulus, buglossum, borago, apium, & fœniculus. In hac uero compositione non est accipiendus omniũ harum herbarum succus, sed tantum fœniculi succus, et lupulorum: tamen res hæc minimi negocij est, nec magni refert an hic, an ille sumatur, modo intentioni non sit oppositus. nos cũ syrupo aliquo semper præbemus, uel cum aliquo decocto ad trochiscorum intentionem ualente, et cum trochiscis de capparibus nonnunq̃ commiscemus, præsertim quando simul adest in liene durities. SE. Ob hoc & consequenter de trochiscis de capparibus uerba faciamus. BRASA. Sunt ne in tua scheda per hunc ordinem dispositi?

SENEX. VII.

Hoc nihil refert, modo trochiſci de Capparibus ſub examen ueniant. BRAS. Iam igitur ueniant: poſteaquam hic de illis tibi pertractare placuit. At compoſitionem quam paras referto. SE. Paro cum omnibus alijs totius Italiæ pharmacopolis compoſitionem Meſue quæ ex his conficitur.

Recipe

Recipe Corticum radicũ capparis
Seminis agni casti } Sin. drach. VI.

Nigellæ
Calamenti
Succi eupatorij
Acori
Amygd. amararũ } Singulor. drac. II.
Nasturtij
Ammoniaci
Foliorum rutæ
Aristolochiæ rotũdæ

Cyperi
Scolopendriæ } Sing. drach. I.

Ammoniacũ dissoluatur in aceto, et aliarũ rerum pulueres cum eo conficiantur, & sit dosis eius aur. i. cum uino, in quo coquãtur radix capparis, cortex fraxini, et cortex tamarisci, aut extremitates ramorum eius, et cortex salicum, & sunt qui duplicant ammoniacum, & est melius. BRAS. In tota prorsus (ut dixisti) Italia est horum trochiscorum de capparibus usus, quanquam apud Auicennam una sit horum trochiscorum compositio ab hac diuersa. SE. Quæ nam est illa? BRAS. Hæc quam refero.

Recipe corticum radicum capparorum sextaria. IIII.
Ammoniaci sextaria. IIII.
Rha barbari sextaria. II.

Seminis agni casti
Piperis } Sing. sextaria. VI.

Aggrega

Aggrega has medicinas tritas, & confice ammoniacum cum aceto uini, & aggrega cum eo medicinas, & fac trochiscos. SE. Sunt longe distinctæ compositiones. BRAS. Immo si Serapionis cõpositionem spectabis, ab his differre percipies. SE. Illam (nisi referas) spectare non potero. BRAS. Referam, ut distinctionem agnoscas, ita uero dicit Serapio. Trochisci de capparibus ad spleneticos.

Recipe corticum radicum
capparorum
Ammoniaci
} Sing. sextarios. II.

Aristolochiæ longæ
Piperis
Seminum agni casti
Seminum Alphagdi
} Sing. drach. III.

Soluatur ammoniacum cum aceto, & conficiantur cum eo sicca, & fiant trochisci, quorũ unusquisq; sit drachmæ unius & semis, & dentur cum secaniabim. SEN. A prædictis profectò differũt. BRAS. Immo et alij scholæ Arabicæ authores in cõpositionibus differũt, ut Halyabas in primo Practicæ, qui duas ponit descriptiones, quæ ab illa Mesue distinctæ sunt. At Rasis duas & ipse refert, descriptiones, quarum una multum cõuenit cũ illa Mesue, alia minime. illa quã scribit in nono ad Almansorem in capite de Dolore splenis cum hac Mesue haud modice conuenit, at illa quam in Antidotario diuisionum refert in capite de Medicinis splenis cũ illa Mesue non conuenit. SE. Reperiunt ne hi trochisci apud antiquos? BRAS. Hos qui à Mesue describuntur,

apud

apud neminẽ inuenire licet: sed apud Nicolaum Alexandrinum duæ inueniuntur trochiſcorum compoſitiones ſub hoc nomine trochiſci ſplenidion, ita enĩ ait author ille ualidus ad duritiem, & uẽtoſitatem ſplenis, & diuerſas eius intẽperies, quo prior, et melior non inuenitur.

Recipe Splenidion
Corticum radicum cappa=rorum
Lepidos ferri
Spicæ
Matris foliorum
} Sing. drac. XVIII

Myrobalani drach. X.
Thimi drach. VIII.
Pelecini drach. V.
Stœcadis drach. IIII.
Scolopendriæ
Abſynthij
} Singul. drach. III,
Oxymelitis quod ſufficit.

Ex his cum oxymelite drachmeos trochiſcos informa, quos cum oxymelite exhibebis. SE. Intentio eadẽ omnino eſt. BRAS. Eadẽ prorſus eſt, iccirco & hi nuncupari poſſent de capparibus trochiſci. SE. Non ne Serapio multos refert ſpleneticos trochiſcos? BRAS. Multos nimirum, ſed in uſu non ſunt, at Alexandrinus ſplenidium trochiſcum magnum uocat, quia alterum facit minorem ſplenidium ad eandem tamen intentionẽ. SE. Ex quibus conficitur? BRASA. Authoris uerba tibi afferam. inquit ille ad omnes paßiones ſplenis, tumorem, & duritiem.

Recipe

Recipe Myrobalani } Sing.drach. X.
Stœcadis }
Guttæ ammoniacæ drach. IX.

Radicis capparis
Myrrhæ
Splenidij
Squammæ ferri
} Singulor.drachm. III.

Oxymelitis quod sufficit.

Tritis cum oxymelite trochiscos conforma, quos cum oxymelite epotandos dabis. SE. Eadem est etiam in his trochiscis intentio, sed rebus ipsis ab illis Mesue differunt. BRAS. Non præteribo etiã tibi referre pastillorum quoddã genus de capparibus ab his diuersum ab Actuario in libro de Compositione medicamẽtorum descriptũ. SE. Illud referas ni molestũ sit. BRAS. Minime molestum est, ita dicit ille author. Trochiscus e capparibus aduersus lienis œdemata.

Recipe corticum radicum capparis
Costi indici
Lachæ mundæ
Spicæ
Polij
Rhei
Aristolochiæ rotundæ
Casiæ duplicatæ
Iunci odorati
Hyeræ amaræ
} Sing. duellam.

Misceto

Miſceto cum apiorum aqua, aut cum aceto. SE. Ad intentionem quidem aliorum trochiſcorum cõuenire uidentur, ſed compoſitio ipſa ab alijs ſupradictis differt. at quid intelligit per duplicatam caſiam? nondum enim legi caſiam eſſe duplicatam. BRAS. Non ne audiuiſti caſiæ duplũ idem pollere quòd uerum cinnamomũ, atq; ſimplex? SE. Audiui. BRAS. Hoc eſt q, intelligit author in hac compoſitione (cum cinnamomo caremus) caſiam, hoc eſt uocatam canellam duplicari oportere, ut cinnamomi uim enanciſcatur, erit ergo in compoſitione ipſa accipienda caſia ad duplum ponderis aliorũ ſimplicium. SE. Quid eſt hoc ſimplicium pondus? nã author dicit duellam, quid uero ſit duella ignoramus. BRAS. Cum omnia ſimplicia in æquali põdere in hac cõpoſitione ponãtur unũquodq; pondus intelligi poſſet, at quia uſus eſt uocabulo duella, ſcito duellã eſſe tertiã unciæ partẽ, ut. ſ. ſit drachmæ duæ ſcrupuli duo. SE. Cur cyclamen in Meſue compoſitione additum non eſt? BRAS. Ego plærunq; adiungi iubeo ad ſplenem attenuandum, & tunc præcipue craſſas materias atrabilares attenuant, quas etiam reſoluunt, obſtructiones aperiunt, et ſplenis, ac hepatis duritiem remouent, craſſos flatus in eiſdem membris reſoluunt. SE. Meminit ne horum trochiſcorum Galenus? BRAS. Non quidem horum, ſed in nono de Compoſitione medicamentorum ſecũdum locos compoſitionem quandam ponit, cuius inſcriptio eſt, Paſtillus ſplenicus tumorem eliquat. compoſitio uero eſt.

Recipe Ericæ fructus drach. IIII.

Piperis albi
Nardi syriacæ
Ammoniaci thymiamatis } Sing. drach. II.

Arida tunduntur, & cribrantur, ammoniacum aceto scillitico dissoluitur, & aridis additum in pastillos cogitur, fiunt aũt pastilli drachmæ põdere, datur drachma una ex aceti mulsi cyathis tribus. qui pharmacum hoc tradidit, dixit porcellum ad triduum hoc bibisse, & postea resectum sine liene inuentũ esse. SE. Cur non recipit cappares eiuscemodi compositio? BRAS. Non est semper necessariũ cappares recipere, at alij sequuntur in Galeno splenctici pastilli, qui lienis tumorem tollunt, & cappares recipiunt. SE. Quomodo cõficiuntur? BRAS. Hoc modo secundum Galenum.

Recip. ammoniaci thymiamatis
Rubi foliorum tenerrimorũ } Sing. drach. VIII.
Capparis corticis drach. IIII.

Myricæ fructus
Herbæ asplenij dictæ, quæ & scolopendrium, & hemionitis dicitur.
Nuclei scillæ assatæ, & purgatæ
Piperis albi
} Sing. drach. II.

Excipe aqua, & redige in pastillos, atq; exhibe drachmam unam, cum aceti mulsi cyathis tribus.

Senex

SENEX VIII.

Trochiſci de Charabe moras rũpunt, ut in examem ueniant. BRAS. Cur potius non dicis de ſuccino, uel ſaltẽ de electro, quæ ſunt Latina nomina, quã de charabe quod Barbarum nomen eſt? SE. Hoc ad rem nihil facit apud nos, ita conſueti ſunt nuncupari hi trochiſci. BRASA. Neq; nos de nominibus curare ſolemus. at à quo authore illos accipis? SE. A Meſue qui dicit, Confectio trochiſcorum de charabe abſcindentium ſanguinem de omni loco manationis eius. cõpoſitio aũt hæc eſt.

Recipe charabe aur. VI.

Cornu cerui aduſti Gummi aduſti Coralli aduſti Tragacanthi Acatiæ Hypocyſtidos Balauſtiæ Maſticis Laccæ Papaueris nigri aßi	Singul. aur. II.
Thuris Croci Opij	Singul. aur. I. & ſemis.

Fac trochiſcos drachmæ unius cum mucilagine pſyllij. BRAS. Hi ſunt trochiſci de charabe qui paßim per totam Italiã conficiunt. De charabe et ſimplicibus alijs, in noſtro Simplicium examine à nobis ubertim ſcriptũ

est. SE. Ad quos proficiunt hi trochisci affectus? BRAS. Sanguinem sistunt undequaq; fluentẽ, sed potissimum profluuio sanguinis narium obsistunt, & uenarum ani profluuio, & uteri. extra applicati etiam adstringunt, sed intus sumpti uehemẽtius hoc agunt, si ex plãtaginis aqua, uel alia simili adstringente propinentẽ, & in anum iniici possunt p clysterẽ in dysenteria, si cũ aliquo liquore misceãtur. sunt qui præbent cum sanguis à thorace profluit, at in initijs cõuenire possunt, cum uero sanguinis portio in thoracis cauitate in pus cõuertitur, præberi non debent nisi alijs mixti rebus, quia nimis adstringunt. SE. Audiui quandoq; hanc compositionem, quam attuli in diuersis exemplaribus esse diuersam. BRAS. Hoc nihil refert, quia eiuscemodi diuersitas non magni facienda est, nam in aliquibus exemplaribus nõ adest gũmi, ne dum gummi adusti, sed uel adsit, uel non adsit parum refert, tamen potius adesse probamus, an uero magis adstringat gummi quando adustum est, & non adustum, tu ipse contemplator, nam lingua hoc facile deprehendere poteris. scito præterea in aliquibus exemplaribus legi hypocistidis, in alijs hensistidis, utrunq; adstringens est, tamen maior codicum pars legit hypocistidis. SE. Cum aliqua in hac cõpositione adurantur, aliqua assentur ad quem finem hoc fit? BRAS. Aduruntur medicamẽta, & comburuntur, ac assantur quando uis una alicuius medicamenti transmutatur, & alia robustior efficitur, ut cum Rha barbarũ aduritur, & myrobalani, tunc pars tenuis, & quæ soluit imbecillior efficitur, ps uero terrestris styptica augetur, assatio uero fit ut pars humida remoueatur, &

glutino

glutinosa attenuetur, ut i semine lini fit, quãdo assatur. uerum tamẽ aliud tertium est quod præterire non oportet, hoc uero est torrefactio, quæ fit ut parua quædã humiditas, quæ in medicamẽto est, aboleatur. at tu dicito quomodo deprehendes medicamentum aliquod esse adustum, uel torrefactum, uel assatum? SE. Tunc dicimus medicamentum esse torrefactum, quãdo calor per totam substantiam penetrauit, sed non combussit. tunc uero medicamentum combustum esse deprehenditur, quando calor naturalis, & medicamenti proprius in tota medicamenti substantia deperditur, & alium quendã calorem acquirit. assatum uero tunc est medicamentum cum in superficie colorem mutare incipit, & ad oppositum eius quod est reducitur. BRAS. Quomodo aduris cornu cerui, genera gummi, & corallos? SE. Ita facio, illa quæ aduri debẽt primo i puluerem redigo, et in terrea olla digesta in furno pono, in quo tota nocte immorẽtur, si combusta sint ab olla remoueo, sin minus sequenti nocte in eundem furnum pono, & integre aduri permitto, et tertio ac quarto (si opus sit) in furnum remitto, quoad fuerint cõbusta. BRAS. Ita faciendum est. SE. Mihi uidetur adustionem nulli competere medicamento, quia adustio substantiã medicamenti aufert, ut non sit amplius idem medicamentum, nec easdem habeat uires. BRAS. Iam dictum est aliquas uires resolui, alias roborari in medicamẽto quod aduritur, at sex adduntur cãæ cur aduratur medicamentum: quarũ una est, ut medicamenti acredo remoueatur, Mesue teste in Canonibus uniuersalibus, et ob hãc causam calchantum aduritur. secunda causa est primæ opposita, aduri quã-

doq; ut acredo in medicamẽtum inducatur, ut de lapidibus fit, qui cũ aduruũtur calx efficiũtur, et acuũtur: tertia causa est, quando medicamentum partes ualde crassas habebit, tunc enim penetrare non potest, aduritur uero ut attenuetur, & ad internas partes penetrare possit, ob hanc causam cornu cerui aduritur: quarta cã medicamentum quãdoq; aduritur ut melius conteri possit, et ob hoc sericum comburitur, quod ante combustionem difficulter conteritur: quinta causa cur medicamẽta comburantur est ut ipsorum malitia remoueatur, ob quam causam scorpiones aduruũtur: sexta causa est aduri medicamentum, ut humiditas superflua resoluatur, ob hanc causam myrobalani comburũtur, rha barbarũ & omnia gummi genera, quæ contra uentris profluuia præbentur. Adde aduri quandoq; medicamenta ut naturam mutent, quando humectant exicandi. SE. Hi omnes modi, & rationes hæ apud Mesuem colligi possunt in suis uniuersalibus Canonibus, at in præsentiarũ potius scire cuperem num eiuscemodi trochiscorum cõpositio apud antiquos reperiatur. BRAS. Immo reperitur, licet ab hac sit diuersa. nunc autem Auicennam prætereo, qui in quinto Canone multos habet trochiscorum de charabe compositiones. pretermitto & Rasim in nono ad Almansorem in capite de Mictu sanguinis et puris, ubi horum trochiscorum compositionem quandã refert, et in Antidotario diuisionũ in capite de Medicinis menstruorum, & hemorrhoidarum alteram ponit descriptionem, prætermitto & Serapionem, & omnes alios Arabes authores quos tu ipse legere poteris, huc uero Græcorum authorum compositiones solum adducam

cam, quæ ita inter se diuersæ sunt, ut illæ etiam sunt diuerse quæ apud Arabes constant. SEN. mihi rem pergratam feceris si Græcorum compositiones in medium affere non pigeat. BRASAVOL. = Immo erit gratissimum. Actuarius in libro de Compositione medicamentorum compositionem refert διὰ ἠλέκτρου, id est de electro, siue succino: est uero hæc quæ sequitur, quã dicit auxiliari sanguinem expuentibus, & tam inueteratis, quam recẽtibus tussibus, mederi phthisicis, humorẽ à pectore reicientibus, purulẽta excreãtibus, cæliacis, dysentericis, inflante spiritu turgẽtibus opitulari. est et medicamentum siniendis doloribus efficax.

Recipe psyllij drach. XLV.

Iridis
Mastiches
Succini
Scobis loti
Croci

} Singulorũ drach. XXX.

Lachrymæ papaueris drach. XV.

Psyllium in feruẽtem aquam cõiectum sinitur macerari dum glutinosa, et uiscosa euadat aqua, dein humor exprimitur, & in pastillos formatur. SE. Nihil habet cum pastillis de charabe Mesue cõmune. BRAS. Nihil prorsus, tamen ad illa ualet, quæ retulit author. SE. Quid intelligit per loti scobẽ. BRAS. Loti arboris limaturam, uel friamẽta illa quæ decidunt dum lotus secatur. SEN. Alij antiqui sunt ne de hac compositione locuti? BRA. Ab antiquis aliæ de electro, seu de succino

cino scriptæ sunt compositiones. Nicolaus Alexandrinus unam ponit capite nõgentesimo quinquagesimo primo de Compositione medicamẽtorũ, ubi ita ait author. Valet hæmoptoicis, empijcis, dysentericis, diabeticis utilis est. ita uero conficitur.

Recipe electri
Iridis maturi
Croci
Mastiches — Singulo drach. LXXXV.

Psyllij coagulati drach. XLIIII.
Opij drach. IIII.
Psyllij decoctionis quod sufficit.

E pulueriz atis cum decoctione pastillos informa. SE. Video & hanc descriptionem à præcedente differre. BRAS. Differt solum in simplicium ponderibus, & in loti scobe, quæ præsentem compositionem non ingreditur. Paulus AEgineta libro septimo capite duodecimo pastillum refert ex electro ita confectum.

Recipe psyllij unc. V.
Mastiches unc. IIII.
Scobis electri
Ireos
Croci — Singul. unc. IIII.
Opij unc. II.

SE. A præcedentibus non differt. BRAS. Modice differt. arbitrarer esse mẽdũ in cõpõne illa in qua legebaẽ scobis loti, et legẽdũ esse scobis electri, nisi statim in compositione iterũ esset positum electrum, tu uel tuam equaris de charabe compositionem, uel hanc Pauli cõfi-

cito

cito. SE. Ego illã sequor quæ in usu iam est. BRAS. Illam ut lubet sequaris, nam non est despicienda compositio. SE. Adsunt ne aliquæ apud antiquos huius generis compositiones. BRAS. Oribasius Sardianus in trochiscorum cõpositionibus trochiscum διὰ ἠλέκτρου, id est de succino ita confectum refert, quem dicit facere ad hæmaptoicos, et ad tussim antiquam, et recentem, et phthisicos, & anaphreticos, empijcos, cœliacos, dysentericos, in pneumatominos, est autem ad aurium causas bonus.

Recipe psyllij purgati drach. XI. quidam drach. XX.

Iridis illyricæ	}	Singul. drach. XXX.
Mastiches		
Electri		
Limaturæ croci		

Opij drach. XV.

Psyllij semen in aqua calida infundẽs, et quando glutinosa fiet aqua exprimes eam, & ex liquore ipso conficies medicamen fingens trochiscos, & dabis tres obolos dormitum eũti. SE. Arbitror particulam limaturam non esse addendam ad crocum, sed potius ad electrum. BRAS. Tecum sum, quia electrum limaturam quidem habere potest, id est scobem, quam crocum habere non potest. SE. Eadẽ esse cum præcedentibus uidetur compositio. BRAS. Eadem profecto, nisi in pondere differret. SE. Miror apud Galenum horum pastillorum mentionem non fieri. BRAS. Immo fit, & omnes alij à Galeno accepere, in septimo de Compositione medicamentorum

mentorum secundum locos, prope quarti capitis finem, ubi Galenus ait. Pastillus ex succino, facit hæmoptoicis, diuturnæ, & recenti tussi, phthisicis, sanguinẽ reijcientibus, suppuratis, cœliacis, dysentericis, & inflatis. est etiam Auricularis bona.

Recipe Psyllij mundi drac. LXV.

Iridis Illyricæ
Mastiches
Ramentorum succini
Croci
} Singulor. drac. XXX.

Opij drachm. XV.

Psyllium in aquam calidam coniectum macerari sinito, atq; ubi uiscosum, ac glutinosum de se in aquam deposuerit, liquorem exprimito, & cum eo pharmacum præparato, in pastillos ipsum cogẽdo, ex quibus obolos tres ad somnum euntibus dato. Sint autem aquæ sexarij tres, in alijs exẽplaribus psyllium ad triduum madescit: deinde ter donec ebulliat coquitur, et ab igne adeptũ rursus ad triduũ sinitur: atq; tunc liquor ad pharmaci confectionem segregatur. SE. Eadem cum alijs uidetur compositio. BRAS. Pondere tantũ in aliquibus differt. alias nunc compositiones prosequaris,

SENEX. IX.

Trochisci de Spodio accedunt. BRAS. Quos de spodio paras trochiscos? SE. Duas compositiones in meo

seruo

ſeruo pharuacopolio, alteram ſimpliciter de ſpodio inſcriptam, alteram de ſpodio cũ ſemine acetoſæ. BRAS. Vtraſq; referto, nam & Meſue utraſq; ſcribit compoſitiones. SE. En refero.

Recipe Spodij drachm. IIII.
Roſarum rub. drachm. VII.
Seminis portulacæ
Succi liquiritiæ } Sing. drach. II.

Confice cum mucilagine pſyllij, & fac trochiſcos drachmæ unius, & da cum ſucco mali granati, & alij addidere quatuor ſeminũ, gummi arabici, tragacanthi, croci, Singulor. drachm. I. & ſem. Hi ſunt trochiſci, qui ſimpliciter apud Meſuem de ſpodio uocãtur. Qui uero dicuntur de ſpodio cum ſemine acetoſæ ita fiunt.

Recipe Roſarum rub. drachm. XII.
Spodij drachm. X.
Seminis acetoſæ drach. VI.

Sem. portulacæ
Granorum coriandri infuſorum in aceto, & torrefactorum
Pulpæ ſummachiorũ } Sing. drach. II. & ſem.

Amyli aßi
Balauſtiarum.
Berberorum } Singulorum drach. II.

Gummi

Gummi arabici aßi. drachm. I. & ſem.
Confice cum ſucco acreſtæ, da cum aliquo ex robuſtis ſtypticis. BRASA. Multum differunt hi cum ſemine acetoſæ à præſcriptis, & ipſis etiam magis adſtringunt, quos & ſi tu in tuo ſeruas pharmacopolio: alij tamen multi non ſeruant. SE. Et nonnulli etiam ſecundã ſeruant compoſitionem, & non primam. BBAS. Probarem ut ſecunda hæc ſeruaretur potius quàm prima, quia intẽtionem, ad quam ſunt confecti, magis perficit: nam ad acutas proficiunt febres, & ad ſtomachi inflammationẽ et hepatis, et ad ſitim uehementem, conueniũtque ad profluuia alui bilioſa. At hi ſecundi hæc uehemẽtius agunt quàm primi: ualentq; ad dyſenteriam, & ad omne alui profluuiũ. SE. Ad quam copiam præbẽtur hi trochiſchi? BRAS. Ad drachmam unam cum aliquo adſtringẽte ſyrupo, uel cum aliqua adſtringente aqua. Scito tñ non fuiſſe ſpodij uſum apud antiquos Grecos per os, ſed Arabes qui ex præaduſtis cãnis ſpodium faciũt, illud per os præbere poſſunt: tñ neq; cum noſtro confecti uero ſpodio uenena ſunt, ſi p os ſumantur, quia magnam ſpodij quantitatem non recipiunt: neq; eſt ſimplex ſpodium. in ulceribus his trochiſcis plærunq; uſus ſum, & in clyſterijs diſſolutis cum aqua plantaginis, uel cum re aliqua ſimili. ubi legitur amyli aßi, à nonnullis amyli legiũ, poſtea aſſæ: at eiuſcemodi lectio conuenire nõ uidetur, quia neq; fœtida, neq; odorata aſſa ad horũ trochiſcorum intentionem conuenit, propterea legendum eſt amyli aßi. SE. Semper ex aſſo amylo cõfeci BRAS. Quomodo amylum aſſas? SE. Eo modo, quo & omnia gummium genera aſſanda docet Meſue: nam in fruſtra

redigo

redigo ad ciceris magnitudinem plus minus, postea sartago multum calefiat, & ab igne remoueatur, et in ipsa gummi ponãtur, uehementerq; ac cito conficiantur, ac moueantur, donec dealbescant, si uero caliditas remitteretur, sartago iterum calefiat, idq; tertio, uel quarto fiat gummi semper remouẽdo, cum uero album effectũ est, tunc à sartagine remoueatur, quia assatio perfecta est. BRAS. De gummi generibus optime dicis, sed qũo amylũ assas. SE. Eodẽ mõ? BRA. At eodẽ mõ q; assatum sit cognoscere non potes, quia gummi assatum esse cognoscitur cũ dealbescit, at amylũ suapte natura album est. SE. Amylum assatum esse cognoscitur, quando ipsius, color alteratur, & immutatur, à te aut ẽ peto quare coriandra præparẽtur, et quare torrefiãt. BRAS. Præparari dicunt ut nescio quid uenenosi ab eis auferatur, quod authores illis inesse dicunt, & Dioscorides iubet frequentem eius usum esse cauẽdum, quia mentem largius commouet magno discrimine. Dioscorides etiã ubi de Vino in communi uerba facit, de mera co syncero & austero dicit copiosiore haustu ualere cõtra cicutã, et coriandrum: ut arbitrari uideatur inter frigida uenena coriandrum numerari, quia antidotum contra ipsum est uinum meracius, et in sexto libro capite decimo quinto inter uenena coriandrum numerat, signaq; ponit, ac symptomata quæ infert, deniq; cum quis illud ederit, & lædatur, antidotum est uinum meracius solum, aut meracius cum absynthio. SE. Ergo uino præparandum erit? BRAS. Tu igiturquomodo præparas? SE. In primis aqua padana coriandra lauo, ut puluis abeat, optimeq; lauentur, & in aqua per tres

dies

dies dimittantur, quotidie aquam mutãdo, sed ego muto etiam sæpius in die, deinde ab aqua remoueãtur, & per quatuor dierum spatium in acerrimum acetum infundãtur, quotidie uero sunt sæpius manu uertẽda, deinde colanda, postea per tres dies in cotoneorum succum, & aquam rosaceam ad æquales partes infundantur, & frequenter manu tractentur, deinde percolentur, & soli exponantur, ut exiccentur, itaq; præparati dicuntur, sed egregie exiccari debent. BRAS. Hec est cõmunis apud omnes præparatio. at cum aqua frigida sit, acetumq; frigidum, nescimus quomodo coriandrum præparare possint, quod sua frigiditate uenenũ est. SE. Quid igitur agẽdum? BRAS. Ego potius uino meraciore hoc modo pararem. uino meraco coriandra egregie lauarẽ, postea p quatuor dies in meracius uinum seruarẽ, interdiu manu tractando. Deniq; in uinũ creticum odoratum per alios quatuor dies seruarem, postea in sole egregie exiccarẽ, quia uinum uenenosam coriandri naturam potius corrigit quàm acetum, uel aqua, quoniã ut Dioscorides monet, coriandri noxæ meraciore uino corriguntur. SE. Tamen uniuersus orbis ex aceto semper præparauit. BRAS. Præparet quomodo lubet, hic est uerus secundum Dioscoridem præparãdi modus, ex uino. s. meraciore. SE. Cur dicis ita præparãda esse secundum Dioscoridem? BRAS. Quia Galenus alterius sentẽtiæ est: nam ut Dioscorides coriandra frigida esse iudicat, ita Galenus calida, & ex contrarijs facultatibus constare, & cõposita esse plurimumq; habere essentiæ amaræ, quo ostenditur esse tenuium partium, et terrenarum, neq; parum obtinere aqueæ humi

ditatis

ditatis, quæ tepentis est facultatis, his habent nonnihil obstructionis adiunctum, unde illa quæ à Dioscoride dicuntur ad quæ ualeãt coriandra, uera prorsus sunt, sed illa agit uarie, & nõ ex sola frigiditate. Dioscoridemq; reprehendit, ut pote qui dicat coriandrum cum pane, aut polenta illitum sanare erysipelas. At hoc absurdum est (inquit) si de uero loquatur erysipelate. at erysipelas profecto sanat cum in declinatione est, & refrigeratum sit. Dioscorides præterea ex se ipso reprehenditur, qui dixerit coriandrum strumas discutere cum exiguo lomẽto, at si frigidum esset, hoc efficere minime posset, propterea calidum esse oportet. SE. Si calidum est, ergo nostra conueniet præparatio. BRAS. Iuxta Galenum cõuenire poterit. At ego non arbitror coriandra magnam habere caliditatem, sed illam solum, quæ in primo ordine est habere, & forte ad primam partẽ secundi ordinis attingere. Auerois in primo ordine illud esse dicit, arbitraturq; si quispiam succum coriandrorum in nouilunio biberet, moriturum esse. Auicẽna uero secũdum Humain illud frigidum facit in fine primi, uel in principio secundi, & siccum in secundo. hicq; Humain Galeno cõtradixit ex Rufo, & Archigene, qui coriandra fecere frigida. At Auicenna siccum quidem esse arbitratur, sed modice calidum. Auicennaq; inquit, quatuor succi coriandrorũ uncias hominem (tristitiam inducendo) necare, & ipsius frequentem usum syncopim prohibere. SE. Tu uero quid censes? BRAS. Nunquam probaui coriandrorũ usum, neq; aliorum simplicium, quorum qualitates sunt apud authores incertæ, et sub dubio, illamq; ex uino correctionem probo. SE.

Deinceps

Deinceps ut docuisti efficiam. sed ob quàm causam coriandra torrentur? BRAS. Vt magis stiptica sint, nam ignis uis illa magis exiccantia reddit. SE. Reperitur ne eiuscemodi compositio apud alios authores? BRASA. Apud antiquissimos minime reperitur, at Actuarius in libro de Compositione medicamentorum pastillos conficit de spodio cõtra febrem acutam, & iocinoris excalfactionem, et aduersus sitim, quæ continenter excruciat, quorum compositio talis est.

Recipe rosarum sextulas quatuor.

Spodij
Seminis portulacæ
Succi dulcis radicis
} Singul. duellam.

Tragacanthæ candidæ
Amyli
} Sing. sexquidrachmam.

Sacharis duellam.

Subigito cum psyllij succo. potio ex punicorum malorum latice. SE. Non magnopere differt à prima cõpositione, quæ est simplex de spodio uocata. BRAS. Tamen differt, & si simpliciter illa accipiatur, & etiã in illa addantur quæ à Mesue subdunt. SE. Illa ne intelligis quæ de quatuor frigidis seminibus dicit? BRASA. Illa inquam cum tragacantho gummi arabico, & croco. sed quid accipis tu per quatuor semina, cum non se determinet Mesue de quibus intelligat seminibus? SE. Ego semper accipio quatuor semina maiora frigida communia dicta, quæ sunt peponis semina, cucurbitæ, cucumeris, & citruli. BRAS. Cur potius nõ accipis

cipis semina minora frigida, quæ sunt lactucæ, endiuiæ, scariolæ, & cicoreæ semina? SE. Quia illa accipi consuetum est apud authores. BRAS. Immo & præter consuetum illa etiam merito intelligenda sunt, cum simpliciter dicitur quatuor semina maiora. s. frigida semina, cum quia nobiliora, tum quia perfectiora. SEN. Sunt ne aliæ horum trochiscorum apud Arabes saltem compositiones? BRAS. Immo multæ extant, quæ ad eandem tendunt intentionem, nam apud Halyabatem in decimo Practicæ tres sunt trochiscorum de spodio compositiones, & Auicenna in quinto Canone duas refert cõpositiones, quæ & si aliquo modo ab his Mesue differant, tamen & ipse unam habet cum semine acetosæ, Serapio & ipse tres habet compositiones, quarum una acetosæ semẽ recipit. Rasis uero non quidem in uno loco, sed diuersis in partibus diuersas etiam scribit compositiones, ut in nono, et in decimo ad Almansorem, & in Antidotario. SE. Auicennæ compositiones, & Serapionis saltem audire percuperem. BRAS. Tu illas cum otium dabitur legere poteris, interim ad alias trochiscorum compositiones te accingito.

SENEX X.

Trochisci de Camphora huc accedũt. BRAS. A quo authore illos accipis? SE. A Mesue, qui ait ad febres conferre multæ inflãmationis, et ad sitim uehementem, & incensionem choleræ rubræ, & sanguinis ebullitionem, & supercalefactionem stomachi, & hepatis, & icteritiam, & cõferunt hecticæ, & phthisi. BRAS. Quomodo illos conficit? nam per totam Italiam, hi

ſeruantur de cãphora Meſue trochiſci. SE. Ita illos parari docet Meſue.

Recipe foliorum roſarum drach. IIII.
Spodij drach. II.
Sandalorum citrinorum drach. II. 5.
Croci drach. I.
Glycyrrhizæ drach. II.

Seminis citrulli
Melonis
Cucumeris
Cucurbitæ
Tragacanthi
Gummi
Spicæ
} Singul. drach. I.

Ligni aloes
Cardamomi
Amyli
Camphoræ
} Singu. drach. I. partes duas idem ſcru. II.

Zucheri tabarzet
Tereniabin
} Sing. drach. III.

Cõfice cum mucilagine pſyllij et aqua roſacea. BRAS. Auicenna quinq; poſuit horum trochiſcorum compoſitiones, ſed hæc ſola illa eſt quæ in uſu habetur, ueruntamen aliqua Auicennæ compoſitio ad hanc alludit, nulla tamen eadem eſt. Serapio unam habet ab hac diſtincta compoſitionem, & Halyabas in primo Practicæ duas, et Raſis duas refert compoſitiones. SE. Sunt ne in eodem loco apud Raſim? BRASA. Non prorſus quia

una

una est in capite de Cordis tremore, altera uero ĩ capite de Ictericia, suntq; inter se differentes. Adde præterea in capite de Medicinis hepatis aliam attulisse ab his descriptionẽ, hocq; est in diuisionum Antidotario, immo & in capite de Hectica febre aliam quandam describit, quas oẽs surda aure pertransire decreuimus. SE. Hæc compositio secũdum Mesuem conuenit ad febres multæ inflammationis, & ad sitim uehementem, at cur spicam recipit quæ calida est? BRAS. Cum in biliosis præbetur febribus spicã prorsus auferrem, crocum, cardamomum, & lignum aloes, quanquã rem hanc haud magni faciendam esse arbitror. SE. Sunt ne apponẽdæ æquales partes aquæ, et mucilaginis psyllij. BRA. Minime, at intelligẽda ẽ psyllij mucilago aqua rosacea extracta. SE. Nonnullos audiui qui inquiunt horum trochiscorũ loco collyrio albo Rasis nos uti posse, quod calida haud recipit. BRAS. Cum hi trochisci de Camphora per os quãdoq; sumantur, et collyrium album per os summinõ debeat, quia cerussam recipit, iccirco pro eodem accipi non debet, quod autem superius dixi intelligendum esse psyllij mucilaginem aqua rosacea esse educendam ita forte intelligendum est, quod gũmorum genera quæ compositionem ingrediuntur aqua rosacea disoluantur reliqua deinde psyllij mucilagine commisceantur, & in trochiscorum formam reducantur, tamen quicquid sit hoc non est magni momenti negotium, tu uero compositionem aliam adducito. SE. Nullus est apud antiquos qui de his trochiscis mentionem fecerit? BRAS. Neq; ipsa camphora fuit antiquioribus nota, ne dum de camphora trochisci.

Ad trochiſcos igitur de Terra ſigillata pedem conferamus. BRAS. *A quo authore deſſumuntur?* SE. *A Meſue.* BRAS. *Sunt ergo illi quos Meſue inuenit, qui ad ſanguinis ſputũ, ac egreßionem (ut ait) ſunt ſummi iuuamenti, et præſertim ſi cum aqua arnogloſſæ recipiantur, Additq; Meſue nõnunquam liniri ex uno eorum ſupra frõtem, et fluxum ſanguinis à naribus ſedari, et liniri ex eo ſupra uterum ad menſtruorum fluxũ, & ſedari, & quandoq; (inquit) in matricem immittuntur, & quandoq; linitur ſupra pectinem, et immittuntur in ueſicam, & nonnunquã ſupra membrum ponuntur à quo ſanguis emanat, & mirum in modum iuuant. at tu compoſitionẽ referto.* SE. *Hæc eſt quæ ſequitur.*

Recipe sãguinis draconis
Gummi arabici aßi
Ramich
Foliorum roſarum
Seminum roſarum
Amyli aßi
Spodij
Acaciæ
Hypocyſtidos
Lapidis hæmatitis
Eupiſtidos
Balauſtiæ
Boli armeni
Terræ ſigillatæ
Sedenagi

Singulorum drach. II.

Coralli

Coralli
Charabe

Margaritarum
Tragacanthi
Papaueris nigri
} Sing. drach. I. uel ptẽ trtiã

Portulacæ assæ
Cornu cerui adusti
Thuris
Gallarum
Croci
} Singulorum drach. II.

Misce & fiant trochisci cũ aqua arnoglossæ, & da cum aqua, idest decoctione spodij, gummi, boli armeni, et spicæ. Mesue post hæc ita sequitur, & quandoq; inuitat necessitas ut ponatur in eis opij drach. II. & quandoque plus, & quãdoq; minus, ut oportet. BRAS. Cur non prosequeris? SE. Compositio iam finita est. BRAS. Multa alia à Mesue dici non ignoro. SE. Ad compositionem uero non spectant. BRAS. Tamen ad compositionis usum magnopere faciunt, propterea & illa adducenda sunt. SE. Ita igitur prosequitur Mesue. Modus autem administrationis eorum est, secũdũ tres modos. Ad fluxum sanguinis ex pectore aut pulmone administrandi sunt cum aqua portulacæ. Et ad excoriationẽ cum rob citoniorum, aut cum aliquo robub stypticorum. Et ad manationem sanguinis ex partibus inferioribus confert iniectio eorum cum aqua uirgæ pastoris. BRAS. Cur hoc erat pretereundum? at quid intelligis per sedenazi? SE. Canabis semen, tu uero? BRA.

Barbarum nomen est quidam interpretantur terræ fumum, alij canabis. semen canabis semen potius intelligerem, cum sit adeo siccum, ut uehemẽter in corpus humanum siccitatem inducat. Nota uero aliquos ubi dicit emphistidis, uel ensistidos intellexisse canabis semen, & per sedenegi lapidem hæmatitim, à quibus non dissentirem, nisi lapis hæmatitis iterum esset positus, propterea arbitror latinum nomen fuisse positum, & unà arabicum fuisse retentum, uel per ensistidem illud intellige quod in nostro Simpliciũ examine scriptum reliquimus. quicquid tamen sit magnifaciendum non est. at dic sodes quid accipis per ramich? SE. Galliam moscatam accipio, et semper accepi. BRAS. Et semper erraſti, nam ramich compositionis nomen est, & Serapio capite ducentesimo quadragesimo libri de Simplicibus inquit, esse materiam ex qua fit gallia, hoc est esse compositionem quæ galliam ingreditur. multæ sunt compositiones quæ ramich dicuntur, omnesq; stypticæ sunt, & adstringentes, unde ramich unum fit ex gallis, aliud fit ex dactylis immaturis, aliud fit ex granatorum corticibus, aliud ex herbis asperis. In summa uero Albasari concludit, quod huius compositionis species, idest pulueres ex quibus cõponũtur sunt frigidæ, et sicce. in Mesue per ramich compositionem intelligo, quæ ex rebus fit adstringentibus, que galliam moscatã ingrediuntur, et erit moscata gallia, si illi moscus addatur, & puluercs odorati, unde ita fiet ramich.

Recipe ambræ. i. succini prrtes tres.
Glutinis tragacanthi quantum sufficit.

Misce

Misce ex aqua rosacea quantum satis est ad commiscendum, uel fiat ramich ex gallis, si postea addideris illi cõpositionis quã ex succino, et tragacantho fecimus, xyllo aloes partes quinq;, moschi boni partem unam, & simul misceantur, tunc est perfecta gallia moscata, ut hinc ellici possit ramich galliam moscatam ingredi. Arbitror in hac cõpositione ramich istud accipiẽdum esse, hæcq; compositio est ex calidis, & frigidis cõposita. SE. Tamen ego uidi alios, aliter confeciſſe ramich. BRAS. Neq; ego pharmacopolas ignoro qui suum ramich ita conficiunt.

Recipe succi acetosæ uel citoniorum unc. XVI.
Bulliant ebullitione una, cum uncia una foliorum rosarum, & cum uncijs duabus granorum myrti, & postea colentur, & in colatura misceantur gallarum recentiũ humidarum tritarum ultima cõtritione unc. V. coquantur adhuc, deinde puluerizentur foliorum rosarũ unc. I.

Sandalorum alborum unc. I. & quartam partem.
Gummi assi unc. 5.
Carnis summachiorũ, Spodij } Singul. drach. V.
Succi agrestæ drach. VII.
Succi granatorum, Myrtilorum tritorum ultima contritione } Sing. drach. IIII.
Ligni aloes, Gariophyllorum, Macis, Nucis moscatæ — Singul. drach. IIII.

Inuoluantur omnia simul, & extende in scutella lapidea donec siccentur, & postea subtiliter puluerizentur, & cum aur. uno camphoræ, & aqua rosacea fiant trochisci, quorum unusquisq; sit ad unius drachmæ pondus. SE. Aliquos uidi qui ex gallis, ac passulis ramich conficiebant. BRAS. Immo & ramich multis alijs conficitur modis, quod tibi magis placuerit accipito, mihi uero id sumendum uideretur quod moscatã galliam ingreditur, de qua superius mentionem fecimus, tamẽ hoc q; statim retulimus est Mesue ramich, & est cõpositio quã dicit alias ingredi compositiones, & confortare stomachum, cor, & hepar debilia, & ad uiscerũ ualere lubricitatem, & intestinorũ, acuitatemq; sedat, & biliosum fluxum sistit, ac uomitum, & sedat animam, & ex eo acquiritur in hoc iuuamentũ magnum, & ad sanguinis fluxum undecunq; confert, & exuflatur ex eo in nares ob sanguinis fluxũ ex eis. SE. Intentionẽ habet trochiscorũ de terra sigillata. BRAS. Prorsus habet, at nisi uniuersus orbis compositionem constringentem intelligeret, arbitrarer ego ramich nõ esse legendum, sed rimech, est uero rimech herbæ simplicis nomen, quæ in parietibus nascitur, & uim constringendi habet. SE. Mesue ad tot affectus conferre dicit, tamen extrinsecus semper applicat, non ne posset & per os præberi? BRAS. Posset profecto, & debet quando opus est, & nõnunq̃ per os exhibui, et Mesue per os exhibet, at alia in præsentiarum prosequaris trochiscorum genera.

SENEX. XII.

Trochisci Stellæ huc accedunt. BRAS. Cuius authoris sunt? SE. Hoc nunquã legi, neq; audiui, sed in meo

pharmacopolio

pharmacopolio semp paraui, ut præceptor meus à quo hanc artem didici parare consuetus erat. BRASA. Quo parabat tuus ille præceptor? SE. Hoc modo.

Recipe myrrhæ
Castorei
Spieæ nardi
Casiæ ligneæ
Terræ sigillatæ
Corticum mandragoræ
} Singul. drach. IIII.

Opij
Croci
Costi
Stellæ terræ
} Singul. drach. V.

Papaueris albi drach. VI.

Dauci
Anisorum
Sileris montani
Seminis iusquiami albi
Styracis liquidæ
Seminis apij
} Singul. drach. VIII.

Infunde Gummi in uino odorifero, & tere medicinas, & cõfice cum eo, & fac trochiscos, quorum unusquisq; sit ponderis semidrachmæ, & exiccentur, in umbra. BRAS. Horum igitur trochiscorum authorem ignoras? SE. Prorsus ignoro. BRAS. Quid deponeres si illum tibi patefacerem? SE. Quod tibi animo erit.

BRAS.

BRAS. Sunt apud Serapionem septimo de Antidotis tractatu, primiq; sunt in ordine trochisci, in hoc tãtum à prædictis differunt, quia in prædictis drach. V. stellæ terræ ponuntur, in illis uero Serapionis drachm. IIII. sunt, & apud Auicennam in quinto Canone primi ordine, & Auicenna quinq; stellæ terræ drachmas recipit. SE. Ad quos ualent hi trochisci affectus? BRASA. Auicenna dicit esse compositionem ab antiquis magnificatam, quæ nõ permittit uitam recedere, conueniunt (inquit) stomacho superfluitates recipienti ex reliquis membris expulsas, et auferunt eructationẽ acetosam, & liniuntur supra frontẽ, & capitis dolorẽ sedant, & conferunt ad catarrhos, & ad dolorem dentium positi cum galbano in coroso ex eis, & cõferunt ad auris dolorem, & ad sputum sanguinis, & cursum eius ex omni mẽbro, & ad tussim chronicam, & conferunt ad periodicas febres sumpti in potu cum aqua sampsuci, & ad uenena ex percussione cum aqua rutæ ebibita, & ponatur in eis stella terræ. SE. Sunt ergo non modice profici trochisci. BRAS. Immo dignissimi ut in usu sint, qui ità uocãtur à stella terræ quæ compositionem ingreditur, est uero terræ stellares illa, quæ talco uulgo appellatur, de qua in Simpliciũ examine ubertim disserui mus. Mesue in calce capitis de Tussi humida mentionẽ facit trochiscorum stellæ secundum Galenum, sed neq; Galeni locum, neq; cõpositionem refert, nam dicit Galeni trochisci cognominati assemus, & sunt trochisci stellæ, conferunt huic tussi iuuamẽtum sublime, & proprie dati cum rob. dosis eorum est à tertia unius drachmæ parte, ad semidrachmã, & sunt ex hominibus qui dant

ex

ex aqua hordei. SE. Reperiuntur ne apud Galenum, aut apud aliquem antiquum authorem? BRAS. Compositionem hanc apud antiquos nunquam inuenire licuit, tamen apud eosdem trochiscorum compositiones inueniuntur, quas uocant aster, quod nomen stellam significat. Paulus Aegineta libro septimo capite duodecimo pastillum refert cui cognomentum aster.

Accipit Croci
Opij
Castorij
Spicæ nardi
Casiæ
Myrrhæ
Terræ lemniæ
Corticis mandragoræ
} Singul. unc. IIII.

Dauci
Apij
Anisi
Seseleos
Seminis alterci
Styracis
} Singul. drach. VIII.

In uino diligenter contere, & leuigato. SE. Hæc compositio illi mihi similis uidetur, quam ex Serapione, & Auicẽna adduxisti. BRAS. Immo hi authores à Paulo (ut arbitror) acceperũt. SE. Tamen Pauli compositio terræ stellam non recipit. BRAS. Non recipit ut uidetur, sed hos suos trochiscos à dignitate aster appellat, nõ autem ab astro, uel terræ stella, quæ compositionem

tionem ingrediantur. SEN. Sunt ne alij authores qui eiuſcemodi compoſitionem referant? BRAS. Immo adſunt. nam Aetius libro nono capite decimo unam refert, quæ ab hac aliquãtiſper differt, & ad infinita propemodum ualere dicit. SE. Ad quæ ualet, niſi referre te pigeat? BRASA. Immo non piget, iccirco audias quid de illa dicat Aetius, inquit enim Aſclepiade paſtillus inexuperabilis, aſter appellatus, Pharmacum ℔ proſpere accõmodatur, dolorem leuans, ſomnum inducens, multæ omnino utilitatis, etenim morbos circa ſtomachum mirabiliter ſanat, acidos ructus, & difficilem concoctionem auſert, inteſtinorum tormina, & uoluolos, inflationeſq; curat, ꝓdeſt hic paſtillus, ad capitis dolores potatus, & aceto dilutus forinſecus fronti illitus. Ad dolores aurium facit, perdicij ſucco liquefactus: facit & ad dentium dolorem tritus, et galbano exceptus, aut fici ſucco, & cauernæ inditus. Ad oculorum affectionem, ex fluxionum impreßione, paſſo diluitur & lana ex eo irrigata imponitur. In tonſillarum affectionibus tepefactus ac dilutus ex aqua mulſa, præbetur gargariſandus. Vtilis eſt ad omnem ſanguinis fluxum uino myrtite diſſolutus. Ad deſtillationes, inueteratasq; & recentes tußis affectiones uino ſcybelite, aut thereo eliquatus. Prodeſt ſuppuratis, & phthiſicis marrubij decocto liquefactus, prodeſt dyſentericis, cholericis, & ſanguinẽ reiectantibus, ſanguinariæ ſucco dilutus, prodeſt ad omnium reptilium plagas ex rutæ decocto potatus. Solet per circuitum repetentes febriles acceßiones ſi duabus horis ante aduentantẽ febrem ex uini diluti cyathis tribus exhibeatur, Fœminarum menſes ciet artemiſiæ

ſucco

ſucco dilutus, ac potatus, facit et ad ueſicæ affectiõesui cc
no mulſo ſolutus, quo modo & ad uuluæ ſtrangulatio= cc
nes prodeſt potatus, facit ad articulorum dolores, & po cc
dagram gentianæ decocto diſſolutus, & potatus. SE. cc
Si ad tot confert eiuſcemodi after, alijs non indigebimus medicamentis. BRAS. *Ad multa prorſus ualet, ſed ad aliqua non tam uehementer ut alij faciunt trochiſci.* SE. *Aetij compoſitionem referto.* BRAS. *Refe=ram, ita dicit author.*

Recipe Caſtorei
Opij
Myrrhæ
} *Vniuſcuiuſq; drachm.* IIII.

Gingiberis drachm. IIII.

Spicæ nardi
Caſiæ
Terræ lemniæ
Corticis mandra=goræ
} *Vniuſcuiuſq; drach.* IIII.

Croci drachmas VI.

Dauci
Styracis
Aniſi
Seſeleos
Seminis hyoſciami
} *Singulor. drach.* VIII.

Gingiberem

Gingiberem, styracem, & opium in uino odorato disolue. Reliqua autem contusa, & cribrata insperge, ac simul unita in pastillos redige ciceris magnitudinem æquãtes, quibus in umbra desiccatis utitor. SEN. Mihi nõ uidentur à pastillis Pauli multũ differre. BRAS. Nemo multum differre dixit: nam in simplicium numero nõ differunt: in eo aũt differũt, quòd unus aliqua habet simplicia, quæ ab altero non habentur: utræq; tamen compositiones in eandem intentionem collimant. Actuarius & ipse in libro de Compositione medicamentorum suũ astrum describit, cui & multa attribuit, at non tot quot Aetius, et hæc quæ ab Actuario dicũtur in illis continentur, quæ ex Aetio retulimus. Ita uero cõpositionem parari iubet Actuarius.

Recipe Croci terni oboli
Seminis apollinaris herbæ drachm. VI.
Seminis apij drachm. VI.

Anisi
Styracis
Seminis dauci
} Singulor. drach. IIII.

Cnici
Lachrymæ papaueris
} Singulor. drachm. III.

Castorei
Myrrhæ
} Singulor. siliquum

Sunt

Sunt qui quaternas succi mandragoræ drachmas adijciant, ut Xenocrates, piperis cãdidi drachm. VI. ex aqua cogũtur in pastillos qui trium obolorum pondus æquẽt, & ex aqua præbentur. SE. Hæc compositio cnicũ habet quo aliæ carent compositiones, quinque præterea in ipsa desunt simplicia. BRAS. Immo nulla desunt simplicia, quia talis est, qualẽ retulit author. SE. Alij authores fecerunt ne astra ab his diuersa? BRASA. A quo putas Aetiũ accepisse? à Galeno accepit prope caltem tertij capitis octaui libri de Compositione medicamentorum secundum locos, ubi duas refert compositiones astra nuncupata, quarum secunda ab illa Aetij modice differt, immo ubi differt arbitrandum est Aetium esse mendosum, aut certa fide illa non accepisse quæ à Galeno scripta sunt. Aetius uero omnia retulit Galeni uerba in affectibus ad quos ualet, ut ĩ ipso sunt authore, propterea repetere non est opus, sed compositionem tãtum adducemus ut differentiam quæ in his habetur astris cognoscere possis: ita igitur conficit.

Recipe Myrrhæ drachm. IIII.
Styracis drachm. IIII.
Nardi Indicæ drachm. IIII.
Casiæ fistulæ drachm. IIII.
Terræ lemniæ quæ sphragis, hoc est sigillum appellatur drachm. IIII.
Corticis mandragoræ drachm. IIII.
In alio exemplari etiam piperis drachm. IIII.
Croci drachm. VI.
Succi papaueris drachm. VI.
Sem. Dauci cretici drachm. VIII.

Aniss

Aniſi drach. VIII.
Seſelis maßilienſis drachm. VIII.
Seminis Apij drachm. VIII.

Myrrhã, et ſtyrax, atq; opium uino diſoluuntur odorato, & teruntur. Arida uero tunduntur & cribrantur, ac deinde ſimul miſcentur, ſubiguntur, ac in paſtillos coguntur ponderis drachmæ dimidiæ, & in umbra reſiccantur. SE. Non adeſt in hac Galeni compoſitione caſtoreum. BRAS. Nihil ad me facit: nã ſatis mihi fuit cõpoſitionem præ oculis tibi oſtendiſſe, ut ex te ipſo differentiam deprehendere poßis. SE. Quodnam eſt alterum Galeni aſtrum? BRAS. Hoc quod ſequitur: tamen in Galeno eſt ante præſcriptum: inquit uero Aſter ſtomachicus, facit ad eos quibus cibus in uentre aceſcit, ad tormina, deſtillationes, dolorem capitis ſpuentes ſanguinem, tabeſcentes, affectiones circa ueſicam, et uterũ. præparatur ſic.

Recipe ſucci mandragoræ drachm. IIII.
Myrrhæ drachm. IIII.
Balauſtij drachm. IIII.
Caſtorei drachm. IIII.
Croci drachm. IIII.
Opij drachm. VI.
Aniſi drachm. VIII.
Seminis apij drachm. VIII.
Styracis drachm. VIII.
Hyſſopi cretici drachm. XII.
Seminis hyoſciami albi drachm. XII.

Componito pro more, & digerito in paſtillos, dato pro uiribus, liquor ſit affectioni conueniens. SE. Et hoc

aſtrum

astrum aliquam habet cum alijs affinitatem. BRAS. Adde & multam cum alijs habere differentiam, sed hoc ad rem nihil facit, pro stellæ trochiscis ego astrũ ex Galeno adductum in meo pharmacopolio conficerem. Serapionis uero, et Auicennæ stellam prætermitterem, quã quam neq; horum authorũ stella uitio uertenda sit: nam intentiones ferè æquales habent: at tu trochiscos alios in medium afferto.

SENEX. XIII.

Trochisci de Thure sese sponte offerunt. BRAS. A quo desumuntur authore? SE. ARasi in nono ad Almansorem in capite de Singultu. BRAS. Quomodo illos conficis? SE. Vt author ipse refert, q ita conficit.

Recipe Thuris drachm. V.
Enulæ drachm. III.
Mentastri
Foliorum rutæ siccæ } Singulor. drachm. II
Amyli

Seminis nemen drachm. III. & sem.

Informentur ex his trochisci põdere unius aur. BRA. Quo liquore, aut qua re conficiendi sunt? SE. Ab authore non exprimitur: ego autem sẽper mel rosatum colatum accepi. BRAS. Prosequaris & deinceps, nam ex melle confici summe placet. SE. Per nemen quid uere intelligendum est. BRAS. Quid accepisti tu quando aliàs eiuscemodi trochiscos parasti? SE. Serpilli semen semp accepi. BRAS. Et eo deinceps semper utitor, non sunt in magno usu. SE. At in meo pharmacopolio semp habui, licet raro uendiderim: uerum ad quos conueniunt affectus? BRAS. Pars illa in qua apud Ra-

sim referuntur, ad singultum conuenire ostendit. At ad alias compositiones te conuertito.

SENEX. XIIII.

In meo inordinato ordine trochisci de Violis suã sedem hic fixere. BRA. A quo authore accipiuntur? SE. A Mesue in suo Antidotario, qui illos ponit sub nomine hamech: unde nonnulli ita illos inscribunt, Trochisci de uiolis hamech. BRAS. illi sunt quos dicit inflammationes sedare, uentrem lenire, et pectus mundificare. Illorum uero compositionem referto. SE. En refero.

Recipe Foliorum uiolarum inter humiditatẽ, et siccitatem mediarum aur. XII.

Turbith albi, & gummosi aur. VI.

Succi glycyrrhizæ aur. III.

Tereniabim drachm. IIII. Fac trochiscos.

Dosis eorum est aur. II. cum zuccaro, aut pulpa casiæ fistulæ, & quandoque inuitat necessitas, et ponũtur in eis Scammonij aur. II. BRAS. Bilem euacuant, & pituitam, & bilem magis si scammonium receperint. SE. Deinceps ergo scammonium sum additurus. BRAS. Si addideris, illis frequentius utar, & si dixeris hos esse in usu, non ita constat, quoniã Ferrariæ adsunt pharmacopolæ qui trochiscos de uiolis seruant à Mesue in capite de Turbith descriptos, quorum compositio hæc est.

Recipe Turbith partem unam.

Foliorum uiolarum partes duas.

Gingiberis partem semis. Misce, & fiant trochisci.

SE. Quo subigi debent? BRAS. Violarum foliis, quæ sicca esse non debent, sed humiditatem habere, at si folia non essent satis, uiolarum succus accipiendus esset,

donec

donec conficerẽtur, compingerentur, ac subigerentur. SEN. Arbitror illos quos ego præparo esse meliores. BRAS. Neq; ego istud inficias eo, et illos potius probo quos conficis, qui ab eodem repetuntur authore in capite de Asthmate, ubi ait Confectio trochiscorum de uiolis est huiusmodi.

Recipe Foliorum uiolarum mediocrium in siccitate & humiditate drachm. VI.
Turbith boni arundinei drachm. IIII.
Succi glycyrrhizæ, Tereniabim ℈ Sing. drach. II.
Scammonij drachm. II.

Fac trochiscos, qui ad anhelitus constrictionem conferunt, naturãq; leniunt, & pectus mundificant. SE. Ab illis in pondere differunt, & scãmonium recipiunt, quod ego in meis trochiscis nõ pono. BRAS. Tamen à Mesue dicitur quandoque necessarium esse ut ponatur. SE. hoc necessarium à medico præuidendum est, qui addere debet quando opus erit, & urgebit necessitas ut scamoneo utamur, at audiui à Mesue uarias fieri trochiscorũ de uiolis compositiones. BRAS. Tres iam ex hoc authore retulimus compositiones, quartã in capite de scãmoneo ponit, Hamechq; imitatur: hæc uero talis est.

Recipe scãmonei partẽ unã, Succi uiolarũ ptes duas.
Succi glycyrrhizæ partem semis.

Misce cum oleo rosaceo, & fac unius drachmæ ac semis trochiscos, dosis est drachma una. SE. Sunt ut illi qui in capite de Turbith scripti sunt, sed hi turbith loco scammoneum recipiunt. BRAS. Innuit ferè & aliam descriptionem in capite de Violis illi similem quæ est in capite de Turbith, et quæ in capite de Scammonio: nam di

cit: Et quidam addunt quantitati earum. ſ. uiolarũ medietatem ex turbith, & faciunt trochiſcos, & uigorant cum hoc operationem eorum, & quidã addunt ſcammoneum. Cæteri quoq; Arabes plures habent trochiſcorũ de Violis compoſitiones ab his Meſue differentes. poteris apud Serapionem duas legere huius generis compoſitiones, apud Halyabatẽ in decimo Practice unam, apud Raſim in capite de Medicinis colicæ duas. At ſi uiolæ illæ quas ſemiuirides recipis, non eſſent ſatis ad pinſenda, ac iungẽda ſimplicia: quo liquore uteris ad illa ſimul dẽ ſanda? SE. Ex ſucco uiolarum conformo, uel ex aqua uiolarum per infuſionem factam. BRAS. Manna liquefieri poterit in modico uini optimi, & ex hoc erunt reformandi trochiſci, & tunc à Serapione non diſſentiet, qui ex uino trochiſcos de uiolis informat. At Raſis ex pſyllij mucilagine, & Halyabas ex aqua cõficit. SE. Arbitror non eſſe magni momenti negocium, ſiue hoc, ſiue illo liquore conformentur. BRAS. Tamen compoſitionis intentionem ſequi debet. SE. Qui nam trochiſci ſunt illi qui apud Nicolaum uocantur diaui? BRAS. Immo ſunt, & qui eoſdem uocent diani cum legi debeat διὰ ἰοῦ, id eſt de uiolis: nam ἴον uiola eſt. ita uero apud Nicolaum Propoſitum conficiunt.

Recipe Foliorum uiolarum albarũ uiridium drach. V.
Seminis plantaginis drach. I. Amyli drachm. III.
Seminis papaueris albi drachm. II. ſcrup. I.
Balſami ſcrup. I. Rhodoſtomatis quod ſufficit.

Ad modum præcedentium trochiſcorum. arbitror autem Nicolaum iſtum ab antiquiori Nicolao Alexandrino accepiſſe, nam ipſe prius horum trochiſcorum compoſitionem

positionem retulerat capite centesimo sui libri de Compositione medicamentorum, ubi ait.

Recipe Florum uiolarum drachm. XV.
Amyli drachm. IX.
Seminis papaueris albi drachm. VII.
Rhabarbari electi drachm. V.
Seminis plantaginis drachm. III.
Balsami drach. I.
Rhodostomatis quod sufficit.

Confice ad exemplum proxime præcedentium. SE. Est eadem omnino compositio, sed in ponderibus differunt. quod etiam ab hoc Alexandrino sumpserit alter Nicolaus extrema compositionis uerba ostendunt, cum ait. Confice ad exemplum proxime præcedẽtium, nam & Præpositus dicit ad modum præcedentium trochiscorum conficiendos esse, sed cur Nicolaus Præpositus dicit foliorum uiolarũ albarum cum Alexandrinus simpliciter dicat uiolarum? BRAS. Omnes arbitrãtur albas uiolas accipiendas esse, tamen nullus rationem cur ita fieri debeat reddit, sed omnes Nicolaum ita dicentem adducunt, at mihi uidetur posse & nigras uiolas intelligi, neque ratio adest cur hæ potius quàm ille sint recipiendæ, nisi quispiam dixerit ab re non esse albas uiolas recipere, quoniam diamargariton ingrediuntur, ut album euadat. SE. Semper albas accipiendas audiui licet raro huius generis trochiscos in pharmacopolijs uiderim. BRAS. Et ego nunquam illos uidi, propterea ad alios trochiscos pedem conferas.

SENEX. XV.

Trochisci de Berberis sese sponte offerunt. BRAS.

Cum infinitæ sint ferè apud authores trochiscorum de Berberis compositiones, quam paras tu? SE. *Illam Mesue, quæ in ordine prima est, & ex his quæ sequuntur conficitur.*

Recipe berberorũ, aut succi eius }
Spodij } *Singu. drach. III.*
Succi glycyrrhizæ }
Seminis portulacæ
Rosarum drachm. VI.
Spicæ, Croci } *Singu. drach. I.*
Amyli, Tragacãthi
Seminis citruli drach. III. & semis
Camphoræ drach. semis
Confice cum tereniabin.

BRAS. *Maior pharmacopolarum pars, qui trochiscos de Berberis seruant, hos seruant, dixi qui seruant, quia haud multi seruant, neq; inter illos qui seruant, oẽs hos seruant quos retulisti, sed aliqui secũdã apud Mesuẽ compositionem conficiunt, quam ne desyderes refero.*

Recipe Berberorũ drach. II.
Spodij, Xyllo aloes }
Seminis acetosæ } *Singul. drach. I.*
Masticis }
Galliæ, Spicæ
Rosarum drach. V. Gummi drach. III.
Confice cum aqua rosacea

SE. *Ad quos conferunt affectus?* BRAS. *Mesue de primis dicit, ad febres ualere inflammatiuas, et eas extinguere, & unà angustiosam sitim. De secundis dicit, conferre ad calefactionem, & ad uentris solutionem & hepatis*

hepatis dolorem. SE. Quam compositionem magis probas? BRAS. Primam, quia secunda galliam habet spicã, & xylloaloem quæ calida sunt, hæc uero prohibent ne tam acriter contra caliditatem pugnent, primos uero contra sitim ualere si in ore seruentur expertus sum. SE. Antiqui medici sunt ne de his trochiscis locuti? BRAS. Si de Arabibus intelligeres, responderem Auicẽnam in quinto Canone septem posuisse trochiscorum de Berberis compositiones, Serapionem tres, Rasim duas, alterã in nono ad Almãsorem, ubi de Ieco-ris dolore agit, altera in Antidotario diuisionũ, ubi de Inflammato hepate pertractat. SE. Scire optarim nũ antiquiores Græci de ipsis sermonẽ habuerint. BRAS. Inueni apud Actuarium in libro de medicamentorum Compositione pastillum ex oxyacantha, quem dicit obstructo iocinori, lieniq; auxiliari, in ijs spiritus pellere, qui iam aqua intercutem tentantur, potionis modus sextula cum oxysachare, & aqua. Vides aliam esse horum trochiscorum de oxyacãtha intentionem, quam sit intẽtio trochiscorum de Berberis, apud Mesuem tamen pro eodem accipiuntur, oxyacãtha & Berberis, de hac autẽ re nostrum lege Simplicium examẽ. SE. Compositionem, ni pigeat, referto. BRA. Nõ piget hæc uero est.

Recipe oxyacanthæ
Succi dulcis radicis
Rosarum
Seminũ cucumerorũ
} Singul. drach. III.

Mastiches
Spicæ
Eupatorij
} Singulorum drach. II.

i iiij Rhei

Rhei } Singulorum drach. I.
Croci }
Cassuthæ } Singulorum drach. III.
Seminis intuborũ }
Spodij sextulam unam, Mannæ drach. VI.

Tusa cribrataq; in pastillos redigito. SE. Sunt longe diuersi ab illis Mesue. BRAS. Iccirco nec admiratione afficiaris, si intentionẽ aliam his attribuit Actuarius quam Mesue fecerit suis, uerum cum nihil sit in Mesue compositionibus annotandum, iccircó ad alias te conferas trochiscorum compositiones.

SENEX. XVI

Trochisci de Lacca suam sedem post prædictos habent. BRAS. Sedeant igitur, & tu eorum compositionẽ re ferto. SE. Hæc est quam in meo seruo pharmacopolio ex Mesue sumpta.

Recipe laccæ mundatæ ——— }
Succi glycyrrhizæ |
Absynthij, Berberis |
Succi eupatorij, Rhaued |
Aristolochiæ longæ } Singulorum drach. I.
Costi, Asari |
Amygdalarum amararum |
Rubeæ tinctorum }
Apij, Schœni ——— |

Fac trochiscos quorum unusquisque sit unius drachmæ BRAS. Conferunt hi trochisci iecoris, & splenis obstructionibus, febribus diuersis, et antiquis: asciti, et urinam prouocant. SE. Per laccam est ne cãcamum intelligendum? BRAS. Nostrum lege Simplicium examẽ,

ne

ne ubiq; omnia miſcere cogamur. plæriq; autumãt ſemper abluendam eſſe laccam, cum aliquam compoſitionẽ ingreditur, quod minime probo, at quo liquore ſimplicia nectis, et in paſtillos digeris? SE. Sẽper accepi ariſtolochiæ, et ſchœni decoctum, quo ad abluẽdam laccam paſſim utuntur. BRAS. Alij ſunt qui ex abſynthij, aqua, uel ſucco conficere malunt, alij ex uino, alij ex eupatorij decoctione, uel apij, at haud magnifaciendũ eſt an hoc an illo modo, et an hoc liquore uel illo conficias, quoniam liquor ille quo ſimplicia iunguntur, in pauca copia recipitur, tamẽ abſynthium ſemper probabo, et alia, quæ iecori conueniunt, & obſtructiones aperiunt. SE. Eſt ne apud antiquos eiuſcemodi compoſitio? BRAS. Non quod ſciuerim, apud Arabes uero multæ ſunt horum trochiſcorum deſcriptiones, Auicenna in quinto Canone ſequentem refert compoſitionem.

Recipe laccæ lignorũ
Rubeæ
Aniſorum, Sem. apij
Abſynthij, Aſari
Amygdalarum amararũ } Sing. partes ſex.
Coſti, Cinnamomi
Ariſtolochiæ longæ
Succi eupatorij

Miſce, tere, & trochiſcos confice.

SE. Si hæc compoſitio quatuor haberet ſimplicia eadẽ eſſet cum illa Meſue. BRASA. Differunt præterea quia hæc recipit cinnamomum, quod illa Meſue non recipit, & illa Meſue quatuor habet quæ dixiſti ſimplicia. ſ. glycyrrhizæ ſuccũ, berberi, rhaued, & ſchœnũ,

quæ

quæ in hac non adsunt, tamen apud Auicennam in calce ferè illius partis, in qua de Trochiscis agitur cõpositio alia habetur trochiscorum de lacca. SE. Illam refer= to, ut differentiam inter ipsas comtemplari possimus. BRAS. Hæc est.

Recipe laccæ, Rubeæ	ʒ
Anisorum, Seminis apij	
Absynthij romani, Asari	
Amygdalarum amararum excorticatarum, Costi	Sing. partẽ. I.
Aristolochiæ longæ	
Succi eupatorij	
Succi Glycyrrhizæ, Succi berberis	

Informentur trochisci drachmæ unius, & dentur in po tu cum eo quod cõuenit de syrupis. SE. In his compo sitionibus omnes conueniunt, q; singulorum simplicium æquales partes recipiunt, neq; liquorem aperiunt quo confici debeant. BRAS. Est modicus error, differñt uero quia hæc plura recipit simplicia quã præcedens, at illa Mesue cõpositio plus habet schœnum & rhaued, quàm ista, arbitror autem Mesuẽ ab Auicenna accepis se, quia Auicẽna expresse utitur uerbis, quibus usus est Mesue, nam dicit ad iecoris obstructiones conuenire, et splenis, & febrẽ assiduam, & prouocare urinam. SE. Non dubito quin acceperit, at Serapionis compositionẽ his comparari optarim. BRAS. Comparato, Sera= pio ita dicit, Trochisci de lacca cõferentes ad oppilatio nes in hepate, & liene, & ad febrem antiquam, & uri= nam prouocant. SE. Eisdem ferè uerbis usus est Me= sue. BRAS. Compositio hæc est.

Recipe

Recipe laccæ mundatæ
Rubeæ, Aniſorum
Seminis apij
Abſynthij, Aſari
Amygdalarum amararum
excorticatarum
Coſti, Rhaued
Ariſtolochiæ longæ
Succi eupatorij
Succi glycyrrhizæ
Succi berberis
} Sing. partes æquales.

Terantur & cribrẽtur, & fiãt trochiſci, quorum unuſquiſq; ſit drachmæ unius, & detur cũ eo qui cõuenit ex potibus. SE. Hi Serapionis idem præciſe eſſent cum illis Meſue ſi in ipſis adeſſet ſchœnon. BRAS. Halyabas in decimo Practicæ compoſitionem refert his quidẽ in multis ſimilem, ſed & in aliquibus diuerſam. SEN. Omnes (ut uideo) eandem ſequuntur intentionem, & eandem forte habuerunt compoſitionem, ſed à diuerſis trãſcriptoribus aliqua fuere addita, alia prætermiſſa. BRAS. Ita factum eſſe non dubitarem, niſi Serapio in cõpoſitionis calce omnia ſimplicia quæ illa ingrediuntur enumeraret, & dicit eſſe tredecim, ſimplicia uero quæ Meſue compoſitionem ingrediuntur quatuordecim ſunt, at iſtud haud magnifaciendum eſt. Raſis præterea in nono ad Almanſorem in capite de Iecoris dolore, & in Antidotario diuiſionum in capite de Medicinis hepatis ſimilem ferè horũ trochiſcorũ cõpoſitionẽ deſcribit. SE. Poſtquã ſimilis eſt illam reticere oportet. BRASA. Tu ergo trochiſcos alios in mediũ uocato.

SENEX

Hos in mea scheda trochisci Alandaal sequũtur. BRASA. De his in Pillularum examine locuti sumus, at ne laborem subterfugere uideamur de eisdem in præsentiarum iterũ agemus cum illo in loco non sint exquisite pertractati. compositionem refer, ut à Mesue præcise scripta est. SE. Ita scriptum inueni.

Recipe pulpæ colocynthidis albæ, & lenis, et mũdæ à granis drach. X.

Incidantur cultro incisione conuenienti, & fricentur cum uncia una olei rosacei, deinde

Recipe tragacanthi, Gummi, Bdellij } Singul. drach. VI.

Iusundantur in aqua rosacea per dies quatuor, & conficiatur colocynthide incisa cum glutino eorum, et fiant inde trochisci, & exiccentur, in umbra, deinde iterum terantur contritione bona, & iterum confice cum glutino eorũ, & fiant trochisci, et administrẽtur. BRASA. Hæc est ne Mesue compositio? SE. Et integra. BRAS. Hinc colligi potest quomodo præparetur colocynthis, nimirum ex madefactione in oleo rosaceo, et ablutione, & admistione gummi arabici, bdellij & tragacanthi. nõnulli notant id quod legitur drach. x. legendum esse uncias decem, quia oleum esset nimis, uerumtamen si nimis sit in decem drachmis, minus est quam esse deberet in decẽ uncijs, iccirco ego intelligo drachmas, ut omnes ferè contextus scriptum habent, nec opus est ut tota uncia in ablutione consumatur, sed tantũ de oleo recipit colocynthis quantum recipere potest, si uero petas quanto tempore fricari debeat, ego intelligo fricari

debere

debere per ſpatium trium dierũ, non quidem cõtinue, ſed intermittendo, poſtea fiant trochiſci. nonnulli per hos trochiſcos alandaal nihil aliud intelligũt, quam colocynthida præparatã. deinde probe exiccentur in ſole ut oleum magis penetret, ſcitoq; hoc medicamentum ab Arabibus trochiſci alandaal uocari, ſed Latine dicitur trochiſci de colocynthide. SE. Non præbentur ſoli. BRAS. Tamẽ præberi poſſunt, at magnas ingrediuntur colocynthidis loco compoſitiones, quod & à Meſue notatur, cum ait Confectio trochiſcorum alandaal, quiponuntur in hiera Hermetis, & in alijs confectionibus loco colocynthidis, ego illis ſolis nonnunquã uſus ſum in morbo gallico ad pituitam euacuandã quam à remotioribus partibus mirifice euacuat, tuteq; præbentur, ſed opus eſt ut ſit prædicto modo parata, & non accipiantur decem unciæ, quia illa quæ corrigunt eſſent in minima copia, ſemidrachmã præbeo, plene educit, quãdoq; ad duos ſcrupulos deueni, nũquam præbui drachmam, at alia potius ſecum commiſcere uolui. Dioſcorides colocynthidis uim uenenoſam alio modo corrigit. SE. Quonam? BRAS. Quatuor medullæ colocynthidis obolos in aqua mulſa cum nitro & myrrha præbet, & decocto melle deuorata, ut poßint hi trochiſci ſecundum Dioſcoridem ita parari.

Recipe pulpæ colocynthidis drach. X.

Myrrhæ, Nitri } Singul. drach. VI.

Ex melle cocto cõficiantur, et ex aqua mulſa bibantur. SE. Sum ne hanc compoſitionem paraturus? BRAS. Satis eſt te illam ſeruare compoſitionem, quam ex Meſue adduxiſti, quoniam illam ſexcenties expertis ſum,

q̃q̃ neq; ista ex Dioscoride compositio despicienda sit.

SENEX XVIII.

Trochisci de Myrrha ut ad examen ueniant cõtendunt. BRAS. Bene uenerint, illorum faciem detege ut ipsos uidere possimus. SE. Quam faciem dicis? BRAS. Eorum compositionem. SE. Hæc est quæ sequitur à Rasi descripta in nono ad Almansorem libro in capite de Mensium prouocatione.

Recipe myrrhæ drach. III.
Lupinorum optime tritorum drach. V.
Foliorum rutæ drach. III.
Mentastri, Pulegij ceruini } Singul. drach. III.
Cimini, Rubeæ tinctorum }
Assæ fœtidæ, Serapini } Singul. drach. III.
Oppopanacis }

Conterantur omnia, & cõficiantur trochisci cum aqua in qua bullierint, & coctæ fuerint drachmæ duæ seminis iuniperi. BRAS. Antiquos uidi qui ex sabinæ decoctione conficiebant, quos etiã non improbo. sed quid accipis per ceruinum pulegium? SE. Aliàs serpillum accipiebam, nunc usuale pulegium accipio. BRAS. Quantũ sit de re ipsa. i. de cõpositionis intẽtione utrũq; summi potest, tamen pulegium potius accipiendum est omnibus notissimum, ut Dioscorides ait, nam mẽses trahit, secũdas, ac partus. nihil habet amplius cõpositio q̃ contemplatione indigeat, cum addiderim omnia quæ ad uterum spectant aperire.

SENEX XIX.

Ob hoc trochisci de Eupatorio in medium accedant. BRAS. A quo authore desumuntur? SE. A Mesue

qui

qui asserit contra febres antiquas, & earum rigorẽ ualere, hepatis, & lienis obstructiones aperire, & esse medicamenta optima abscessuum in ipsis icteritijs conuenire, & in initio hydrope captis. BRAS. Compositionem referto. SE. Refero.

Recipe tereniabin
Succi eupatorij } Singul. unc. I.
Rosarum unc. 5. Spicæ drach. III.
Rhaued, Asari
Anisorum } Singul. drach. II.
Spodij drach. III. & semis.

Fac trochiscos cum succo herbarum, & da cum eis. BRAS. Quid accipis per herbarum succos? SE. Id quod superius etiã dictum est. BRAS. Sunt qui intelligant eupatorij succum, quos nõ probo, quia iam eupatorij succus receptus est. alij accipiunt quatuor herbarum succum, ex quibus syrupus bysantinus conficitur, hæ uero sunt herbæ endiuia, apium, eupatorium, & borago, cum dicitur herbarũ succus, prædictarum succus intelligitur, & cum hæ herbæ ad trochiscorum intẽtionem cõueniant, illarum succo uti poterimus, & si etiam ueri eupatorij, q̃ nunc uulgò agrimonium dicitur, succo utereris, nihil referret. Serapio horũ trochiscorum cõpositionẽ quandam ponit, quæ nihil cum hac cõmune habet. SE. Quæ nã est Serapionis cõpositio? BRAS. Hæc quæ sequitur, Serapio in primis inquit, Trochisci auctrion, & est eupatorium conferentes ad febres antiquas, & dolorem hepatis, atq; icteritiam.

Recipe rosarum drach. V.
Spicæ drach. II. Spodij drach. I.

Succi

Succi eupatorij drach. VIII.
Terantur, & misceãtur cum aqua tereniabin, & fiant trochisci, & dentur cum eo quod conuenit ex potibus. summa medicinarũ est res quatuor. SE. In illis Mesue octo adsunt simplicia. BRAS. Iccirco dixi ualde differe, quanquam hæc quatuor in illis octo Mesue contineantur. Auicenna et ipse in quinto Canone trochiscos de eupatorio ad eãdem quidem intentionem refert, sed ab illis Mesue differunt. SE. Compositionem audire optarem. BRAS. Audias igitur

Recipe succi eupatorij sextaria. VI.
Rosarum rubrarum
ablatis capitibus } Sing. sextaria. II.
Spicæ odoriferæ.
Tereniabin mundatæ, sextaria. VI.
Spodij drach. IIII.

Misce, & puluerizentur, & fiant trochisci. miror Auicennã dixisse ualere ad febres inflammatiuas, & ad sextim, cum sint calidi trochisci, & antiquæ febres non sint inflãmatiuæ, sed potius ex materia crassa sint, glutinosa, pituitosa, uel atrabilari, et quãuis aliqua frigida recipiant, tamẽ calida superant. SE. In uno simplici Auicennæ compositio est magis propinqua Mesue compositioni quam illa Serapionis. BRAS. Si id quo miscetur recte perpendes in põdere tãtum differe percipies, sed & Halyabas aliã refert compositionem quæ ab hac aliquo mõ differt, quã uocat trochisci casetti. i. de eupatorio. SE. His post habitis Arabibus, sunt ne antiqui de his pastillis locuti? BRAS. Actuarius in libello de medicamentorum compositionẽ, pastillorum de eupatorio meminit.

meminit. SE. Quæ nam est apud hunc authorem compositio? BRAS. Hæc quam refero.

Recipe absynthij
Iunci odorati
Succi eupatorij
Rosarum
Seminis fœniculi
Mastiches
} Singulorum unc. semis.

Anisorum
Tragacanthæ albæ
} Singulorum drach. II.

Santali citrini
Spodij
} Singulorum sextulam

Tusa & in cerniculo creta cum intuborum succo subigito, et in pastillos ex aqua, in qua lacha maduerit, et oxymelite cogito. SE. Sunt longe distincti hi trochisci ab illis Mesue. BRAS. Recte dicis, tamen oēs recipiunt eupatorij succum, immo nisi illum reciperēt nulla esset ratio cur de eupatorio nuncupati essent. SE. Ad quā intentionem suos conficit Actuarius? BRAS. Authoris uerba audito, qui ita ait. Pastillus ex eupatorio iecur, & stomachum adiuuat, inflationes discutit, & horrores febrium, quas pituita creauit. SE. Ad eandem ferè ualent intentionem cum alijs. BRAS. Cum nihil aliud in his trochisis considerandū uideatur, ad alia trochiscorum genera sermonem conuertito.

SENEX. XX.

Trochiscis omnibus illi finem imponunt, qui constrictiui nuncupantur. BRAS. Quid intelligis per finem imponere? SE. Intelligo esse in mea scheda ultimos.

BRAS. Tam paucos igitur seruatis trochiscos? SE. Non plures seruamus, immo ego plures seruo trochiscorum species, quam alij faciant ubiq; locorum pharmacopolæ. BRAS. Ob hoc, & ob tuam quam adhibes diligentiam in optimis emendis simplicibus, & in compositis probè concinandis pharmacopolium tuum semper omnibus prætuli qui in tota sunt Italia, neq; unquam, ob ista te ipsum laudare desistam. at à quo authore summuntur hi constrictiui trochisci? SE. A Mesue. BRAS. Tamen in illa haud sunt parte, in qua de trochiscis sermo habetur. SE. In uniuersalibus canonibus scripti sunt, in capite tertio, Canone secundo. BRAS. Compositionem referto, ut si quid ambiguum in ea sit, illud contemplemur. SE. Hæc est quam refero.

Recipe balaustiarum
Corticum glandium infusorum
in aceto, et torrefactorum
Summachiorum
Granorum myrti
Hypocystidis
} Sing. drach. II.

Cimini carmeni
Gallarum infusarum in aceto,
& torrefactarum
Capitum granatorum
Fructus tamarisci
Macris
Xyllo aloes
Galliæ Aromaticæ
Mastiches, Spicæ
} Sing. drach. I. ſ.

Seminis

Seminis acetosæ
Gummi
Boli
Granorum passularum torrefactarum } Sing. drach. I. ſ.

Granorum coriandri infusorum in aceto, & assatorum drach. II.

Misce, et fac trochiscos unius drachmæ ex uino pōtico, et sit dosis trochiscus unus cum Syrupo cotoneorum, uel cum aliquo ex robub stipticis. BRAS. Quid boli loco simpliciter posito accipis? SE. Armenum bolum. BRAS. Probè agis. quid uero intelligis per grana passularum torrefacta? SE. Ipsius uuæ grana intelligo. BRAS. Deinceps intelligito semina, quæ ualde adstringūt, idq; uehemētius agunt si fuerint torrefacta. p gūmi uero simpliciter positū qd itelligis? SE. Arabicū gūmi. BRA. Nec ab re est, qa cū simpliciter gūmi dicitur illud per excellentiā intelligere oportet. Tu, & nō multi alij pharmacopolæ Ferrariæ compositionem hanc seruatis, alij uero sunt qui nullam seruant constrictiuorum trochiscorum cōpositionem, sed cum indicuntur, trochiscos de charabe præbent, uel de terra sigillata, aut alios similes. Alij sunt qui aliam seruant trochiscorum constrictiuorum cōpositionem à Mesue positam prope finēferè illius partis, in qua de Fluxu sanguinis ab ore uerba facit, & dicit. Paulus confectio trochiscorū restringentium screatum sanguinis, etiam si sit antiquus, et sedantium agitationes, & inducentium somnum, quorum compositio hæc est.

Recipe acaciæ lotæ
Hypocystidis
Balaustiarum
Florum mali granati } Singulorũ drach. V.
Gallarum drach. I. & semis.
Opij, Croci } Sing. drach. III.

Misce, et fac trnchiscos cum aqua pluuiali, dosis est aur. semis cum aqua frigida. SE. Neminem uidi, aut audiui qui hos conficeret trochiscos. BRAS. Deinceps ita dicere non poteris. SE. Sunt ne aliqui antiqui qui constrictiuos confecerint trochiscos. BRAS. Multi quidem antiqui constringentes pastillos confecerunt, sed nõ sub hoc nomine, solus Nicolaus Alexandrinus capite nõgẽtesimo quinquagesimo nono sui de Compositione medicamentorum libri trochiscos refert, quos adstrictorios uocat, ad omnes uentris fluxus & cacoetica uulnera. SE. Ex quibus suos coaficit trochiscos Alexandrinus? BRAS. Ex his quæ sequuutur.

Recipe chartæ combustæ. drach. X.
Calcis extinctæ } Singulorum drach. V.
Libani }
Stypteriæ scissæ } Singulorum drach. III.
Lemnij sigilli }
Sandaracæ } Singulorum drach. II.
Oppopanacis }

Vini quod sufficit. E contritis cũ uino trochiscos informa, quos cum decoctione balaustiorum offeres, & cum uino clysterizabis. SE. Hi (ut arbitror) uehemẽter adstringunt trochisci. BRAS. Ita prorsus est, sed potissimum per exteriora adhibentur, per os uero minime,

Dixisti

Dixisti nullos alios adesse in tuo pharmacopolio trochiscos, non ne superiori anno M D XLIX. In pestilentia illa, quæ Ferrarienses uexauit, trochiscos nostros confeciſti, quos de bolo armeno nuncupauimus, & quibus usi sumus, et multũ profecere in præseruando à pestilentia, & in affectos sanando? SE. Et confeci, & magnam copiã uendidi, sed in hac scheda trochiscos scripsi anteq̃ illos confecerim, quorũ cõpositiones et nũc memoria habeo. BRAS. illam refer to. SE. En refero.

Recipe boli armeni drach. IIII.
Terræ sigillatæ drach. II.
Scordei, Thlaspi } Singulorum drach. III.
Vincitoxici drach. I.
Theriacæ magnæ drach. semis
Musci, Ambracani } Singulorum gra. II.
Coralorum rubrorum
Sandalorum luteorum
Camphoræ } Singulorũ. grana. III.
Styracis calamitæ
Ligni aloes

Misce, & cum syrupo de acetositate citri fiant trochisci. BRAS. Mirum est quod senio confectus tanta memoria polleas, uerum cum nullos alios habeas in tuo pharmacopolio trochiscos, & cæteri pharmacopolæ forte pauciores habeant, quid nobis deinceps agendum erit? SE. Quod tibi lubebit. At uteris ne tu his omnibus trochiscorũ generibus? BRAS. Omnibus profecto in diuersis affectibus, diuersisque hominibus utor, immo in his qui sunt adstrictæ alui, & qui clysteres renuunt aloem plærũque addo, uel aliquod pillularum genus

nus in pauca copia cum trochiſcis, ut paulatim fiat aliqua materierũ quæ ſunt in uijs euacuatio, & ægroti facile reualeſcant, hocq; abſq; clyſteri fiat. SE. Tu ergo materiam euacuas antequam ſit cocta? BRAS. Hoc non eſt materiam euacuare, quæ concoqui debet, neq; quæ in aliquo ſit fixa loco, ſed eſt paulatim eã quæ in uijs continetur abſque clyſteriorum incommodo euacuare, hic uero locus nõ eſt de materiæ cõcoctione diſſerendi cum de ea ſatis ſuperque in ſecundo cõmentariorum Galeni in librum Hippocratis primum de Morbis uulgaribus diſſeruerimus, & oſtenderimus quid ſit coquere, cõcoquereue, et alia omnia aperuerimus, quæ ad hanc materiam ſpectare uidebantur. Nota uero frequentiſſimũ fuiſſe apud antiquos trochiſcorum uſum, nunc uero non eſt adeo frequens, præterquam in longioribus affectibus, & in materia frigida, glutinoſa, pituitoſa, atque atrabilari, & in iecoris, ac lienis obſtructionibus, ac duriciebus. SE. Ergo non omnium quos retulerim eſt uſus? BRAS. Aliqui ſunt qui rariſſime in uſum ueniunt. SE. Ob hoc non miror ſi aliqui ſint in meo pharmacopolio trochiſci, quos ſtatim confeci cum pharmacopoliũ erexi & aperui, immo adhuc ſunt plenæ pixides. BRAS. Amplius boni nõ ſunt. SE. Ob quid ſi theriaca ad ducentos perdurat annos? BRAS. Poſt tertium annum trochiſcorum uires euanneſcunt. Immo aliqui ſunt, quorũ uires citius etiam reſoluuntur. SE. Qui nam ſunt? BRAS. Illi potiſſimum qui ex herbarum ſuccis conficiuntur, hi etenim ſingulis annis de nouo parari debent. Tibi igitur ſuaderem ut illos quos tandiu ſeruaſti uti inutiles eijce-

res

res, nam ægrotis potius obesse possunt, quam prodesse. SE. Animaduertito autẽ quod ab illis frequenter ſi-tum abigo. BRAS. At uetuſtatem non abiges, quæ eſt omnium rerum edax, & conſumptrix, uetuſtate ni-mirum ſimplicia corrumpuntur, & compoſita marce-ſcunt, ac putrent, immo & in uenenũ tranſmutantur, dic uero ni refugis quot anni ſunt q̃ hanc artem exer-cere cœpiſti? SE. Illã exercere cœpi M D. in Menſe Ianuarij ut quinquageſimus annus iã agatur. BRAS. Ego eodem anno ab utero matris in lucem prodij, & in eodem menſe, ut unà cum tuis trochiſcis ſim quinquage narius. SE. Si hæc ætas abiectionẽ deſiderat, ergo & tu cum illis abijciendus eris. BRAS. Si ut illi pu-tridus, & ſine uiribus ero, abijci non recuſabo, at non-dum acceſſit mea uetuſtas, ut tuis contigit trochiſcis, immo nemini (Dei gratia) in hac ætate inuideo, uerũ-tamen cum de trochiſcis finitum ſit, ad alia tranſeundũ eſſet, niſi hora ſerotina colloquium dirimeret, at cras unguenta in examen uocabimus, et de illis unà diſſerere poterimus. SE. Me igitur ad omnia unguenta quorũ apud Ferrarienſes pharmacopolas uſus eſt, pro craſti-na luce præparabo. BRAS. Immo ne deficito, ut cras de ipſis ſermonem perficere poßimus. SE. Vale igitur. BRAS. Et tu quoque Vale.

Trochiſci unde ſint dicti I
Trochiſci de Rha barbaro II
Trochiſci de Roſis III
Trochiſci de Agarico IIII
Trochiſci de Alkakengi V
Trochiſci de Abſynthio VI
Trochiſci de Capparibus VII
Trochiſci de Charabe VIII
Trochiſci de Spodio IX
Trochiſci de Camphora X
Trochiſci de Terra ſigillata XI
Trochiſci Stellæ XII
Trochiſci de Thure XIII
Trochiſci de Violis XIIII
Trochiſci de Berberis XV
Trochiſci de Lacca XVI
Trochiſci Alandaal XVII
Trochiſci de Myrrha XVIII
Trochiſci de Eupatorio XIX
Trochiſci conſtrictiui XX
Trochiſci de bolo armeno XXI

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANTONII MVSAE BRASAVOLI

Medici Ferrarienſis

Examen omnium Vnguentorum, quorũ apud Ferrariẽſes pharmacopolas vſus eſt:

AD ILLVSTRISS. AC PVDICISS.

VIRGINEM

LVCRETIAM ESTENSEM.

AD ILLVSTRISS. AC PVDICISS.

Virginem LVCRETIAM Estensem

Hieronymus Brasauolus.

SIcut inter antiquiores Romanas matronas nobilissima uirgo Lucretia illa pudicitiæ specimen inter tot eiusdem æui mulieres omni honore digna existimabatur, ita & nostris his tpibus tu ipsa LVCRETIA ESTENSIS inter nostrates, ac uirtute præditas uirgines primum locum proculdubio obtines: nam non solũ omnibus animi, ac ingenij dotibus (absit assentatio) es prædita: uerum & in græcis, ac latinis literis adeo profeciſti, ut nemini sis in his qui tuam agunt ætatem secunda: in clementia uero, liberalitate, pudicitia, ac reliquis animi moribus cæteras adeo superas, ut oẽs te amare, uenerari, ac suspicere cogas. De corporis autem dotibus mihi nihil attinet dicere, quoniã hæc ad naturam spectant, quæ te tam pulchram, tamq; decoram effecit, ut nulla unquam fuerit, neq; sit in præsentiarum, neque in posterum futura sit, quam pulchritudine, & decoris gratia non excedas. Nulla igitur admiratione afficiaris Illustrißima Virgo, si ego in cuius manibus est patris mei libellus imprimendus, illum tibi dicare statuerim, quoniam & longe maiori munere digna es, utpote quæ omnes pulchritudine, doctrina, ac uirtutibus moralibus excedis. Accipe igitur Virgo Illustriß. munusculum hoc, quod ab eo qui te summopere diligit, ac obseruat, prodit. Vale.

Antonij

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium VNGVENTORVM, quorũ apud Ferrarienses pharmacopolas usus est.

SENEX BRASAVOLVS.

QVid agis mi Antoni? ad te nunquam accedo quin libros euoluẽtem, ac legentem inueniã. BRAS. Hoc modo misera hæc, et infœlix uita traducenda est, ut nunquã in otio sit, ne torpore marcescat. SE. At quid illud est quod nunc præ manibus habes? libellus uidẽ manuscriptus. BRASAVOL. Nugas quasdam pueriles legebam, de insigni Hieronymi Brasauoli amitimi mei. SE. Quodnam insigne? BRAS. Murex, nunc eius Encomium, ac naturã legebam. SENEX. Quid per muricem intelligis? BRAS. Egregium corpus quatuor acuminibus constans, ad maximos rerum effectus ortum: nam unusquisque eius situs quod seq debeamus ostendit, hoc est omnẽ obliquam spurcitiam, & inquinamenta euitare. SE. Mihi pergratum feceris, si huius muricis naturam aperire non grauaberis. BRAS. Hoc fieri nequit nisi à diuisione quadam mathematicarum rerum exordiamur. SE. Vt lubet facito. BRAS. Duplex est mathematicæ pars, discreta, hæc in numeris, et oratiõe consistẽs, continua, illa quæ circa magnitudines uersatur, cuius ini-

tia paucis ad quadrãgulum usq; percurrenda sunt. SE. Forte ad hoc usque perucnire oportet, quia murex quatuor angulis constat. BRAS. Rem ipsam prorsus uaticinatus es. SEN. Sequaris igitur obsecro. BRAS. Punctum geometriæ initium est, et rerum quæ huic scientiæ supponuntur: quod in primo Elementorum ita definiuit Euclides, punctum est cuius pars nõ est, quam definitionem Censorinus decimo nono operis De die natali capite secutus est. Boetius uero è græco in latinũ hoc modo interpretatus est, pũctum est cuius nulla pars est. SE. Punctum ita definiri semper audiui. BRAS. Tibi forte mirum uideretur, si definitionem hanc absurdam esse demonstrarẽ. SE. Immo mirificum. BRASAVOL. Philosophi definitiones illas uanas esse arbitrantur, quæ definito preßiores sunt, uel plus complectuntur, at eiuscemodi definitio plus cõtinet quàm opus sit, iccirco uana est. SE. Quodnam continet amplius quàm continere deberet? BRAS. Multa, nam Deus est cuius pars non est: Deus igitur punctũ est. SE. Nec ego dubito Deum esse punctum cuncta complectentem. BRAS. Tamen non est mathematicum punctum. Intelligentiæ præterea sunt, cuius partes non sunt, & eiusmodi generis anima esse dicitur. SE. Et hæc indiuisibilia sunt. BRAS. Tamen ipsis geometrici puncti definitio quadrare non debet. Immo adde, et unitatem id esse cuius pars non est, tamen unitas in diuerso gñe à puncto continetur, aut igitur unitas punctum est, aut definitio alteri competit à definito. SE. In puncti definitione subintelligitur habere positionem, qua unitas caret. BRAS. At hoc ab authore ipso expressum non est, de-

nicq;

niq; res fictitiæ, quas philosophi chimæras uocant, sunt cuius partes non sunt: erunt igitur puncta, quod absurdum esse nemo dubitat. chimæras uero appellant, qualis illa, quam poeta tertio Aeneidos libro refert, et scyllam nominat, cum ait.

Prima hominis facies, & pulchro pectore uirgo »
Pube tenus, postrema immani corpore pistris. »
Delphinum caudas utero commissa luporum. »
Harpyias præterea eodem loco ita describit,
Virginei uolucrum uultus, fœdissima uentris »
Proluuies uncæq; manus, & pallida semper »
Ora fame. »
Pingit & in septimo libro Alecti formam his uerbis
Odit & ipse pater Pluton, odêre sorores »
Tartareæ monstrum. tot se se uertit in ora: »
Tam sceuæ facies: tot pullulat atra colubris. »
Horatius Flaccus in initio libri de Arte poetica fictitiũ illud monstrum fingit.
Humano capiti ceruicem pictor equinam »
Iungere si uelit, & uarias inducere plumas, »
Vndiq; collatis membris, ut turpiter atrum »
Desinat in piscem, mulier formosa superne, »
Adde sexto Aeneidos libro omnia ferè fictitia enumerari, cum poeta ait
Centauri in foribus stabulant, scyllæq; biformes, »
Et centum geminus Briareus, ac bellua lernæ »
Horrendum stridens, flammisq; armata chimæra, »
Gorgones, Harpyiæq;, & forma tricorporis umbræ. »
At recentiores illam potissimum chimæram uocãt, quæ ita à Lucretio describitur.

prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.
Hæc omnia quæ enarrata sunt puncta esse uidebuntur, cum eorum nullæ partes sint. SE. Cum chimæræ nihil penitus sint, absurdū est dicere, chimæra est cuius pars nō est, nam chimærā esse dicimus, quæ re nō est, sed solo intellectu cōcipitur. BRAS. Hanc solutionem absurdam esse ita ostēdo. Aristoteles in libro primo Posteriorum dicit, definitionem positionē esse, non propositionem, uerbum igitur est, in definitione acceptum, enuntiatiue sumptum non est, nihil igitur impedit si dicamus chimæra est cuius pars non est cum uerbum, est, chimæram esse non ponat, præterea in secundo de Interpretatione libro ab Aristotele docetur Homero etiam non existente propositionem illam uerā esse Homerus est poeta, q̄ absurdum esset, si uerbum est, enuntiatiue sumeretur, cum hoc uero similitudinē habet, chimæra est cuius pars non est. SE. Arbitrabar propositionem illam esse falsam Homerus est poeta, nisi Aristoteles ueram esse asseuerasset. BRAS. Frequentißimus etiā est apud Philosophos huius propositionis usus, chimæra est ens fictitium, quam uti uerā recipiunt, igitur & hæc uera censenda est, chimæra est cuius pars nō est, cum in utraq; propositione chimæra perimatur, hæc Hammonius in Prædicamentorum commentarijs cōtemplatus puncti definitionem sua sponte absurdam esse fassus est. SE. Quæ igitur uera erit, & cōueniens puncti definitio? BRAS. Stoici definitionē quādam præbent, quæ huic proposito cōmoda esse uidebitur, nimirum dicunt, punctū est lineæ finis, notaq; minima. SE. Cur potius principio quàm fine non definiunt? Adde minimum

non

rion semper esse indiuisibile. BRAS. Per finem extrema intelligunt, hoc est ipsius lineæ terminos, & per minimum indiuisibile intelligunt. SE. Ad rem ipsam redeamus. BRAS. Vt lubet. In puncti definitione aut lapsus est Euclides (quis autem aliquando non labitur) aut ipsius definitio in glossematibus in aliũ sensum deducenda. punctum hoc modo definiendum esse arbitror, punctum est continuæ quãtitatis initium, cuius pars non est, uel partibus carens, quod sub alijs uerbis, sed sub eodem sensu ab Alberto cognomento Magno in suis Prædicamentorum commentarijs definitur. SE. Alberti uerba libenter audirem. BRAS. Audito, ita ille dicit, punctum est indiuisibile habens positionem. SE. Intelligentiæ positionẽ habent, & indiuisibiles sunt, ergo intelligentiæ puncta erunt. BRAS. Diuus Thomas prima parte Summæ theologiæ, quæstione quinquagesima secunda articulo primo, et in primo suarum quæstionũ Quolibet uocatarũ quæstione tertia ad quartum intelligentias positione carere ostẽdit. SE. His prætermissis rem ipsam prosequaris. BRAS. Aristoteles in primo de Anima libro sectione sexagesima octaua antiquiores refert qui lineã ex ductu puncti fieri arbitrati sunt, immo & illos reprehendit, quia & animam unitatem esse censuerunt. At inquit qua ratione id astruere possunt, quia anima positionem habet, punctum igitur est, & non unitas, at fluens punctum lineam suo ductu perficit, anima igitur non quidem actiones proprias, sed lineam faciet. SE. Non mihi uidetur magnifaciendum argumentum. BRAS. Neq; magni momenti est nisi aduersus illos qui animam punctum esse uel unitatem fa-

terẽtur. Adde positionem habere puncti definitionem ingredi, ut per hoc ab unitate separetur, unde punctum ex omni parte dimensionibus caret, neq; enim longum est, neq; latum, neq; profundum. si uero fieri posset ut punctum colore aliquo coloratum duceretur, linea resultaret, quam oculis præsentem uideremus, at cum res ipsa hæc fieri non possint, satis erit hæc imaginatione ac cogitatione cõtemplari, est uero linea longitudo absq; latitudine, & profunditate, è lineæ ductu planum, idest superficies efficitur, unde superficies longitudo est ac latitudo absq; profunditate. SEN. Euclides lineam his uerbis definire uidetur, est longitudo absque latitudine, & profunditate, cuius extrema sunt duo puncta. BRAS. Ita profecto definiuit Euclides, sed audias definitionis errorem, nam omnibus lineis nõ competit, cum illis tñ cõpetere deberet. SE. Quomodo hoc suadebis? BRAS. En infinitarum linearum extrema non sunt duo puncta, cũ infinitæ lineæ extremis careant, quo argumẽto & Diuus Thomas usus est prima parte Summæ quæstione octuagesima quinta articulo octauo ad secundum. SE. Linea infinita sub lineæ definitione haud cõtineri debet. BRAS. Hoc absurdum est, quia communissima est lineæ definitio, quæ omnibus lineis accõmodari debet. Adde et circularem lineam à definitione excludi, cum & extremis careat, & duobus in extremis punctis. SE. Nonnullos audiui dicẽtes circularem lineam puncta uirtute solum continere. BRAS. At absurde loqui uidentur, quoniam æque dicere potuisset, linea est lõgitudo sine punctis. SE. Quomodo id fieri poterat, cum actu puncta habeat linea recta? BRAS. Dicam his

his poteſtate carere, ut dici debeat, linea eſt longitudo ſine punctis in potentia. SE. Poſſet ne excuſari Euclides? BRAS. Quid impedit? nam nullus eſt Euclidis error, ſed interpretis, uel potius interemptoris, aut eorum qui libros formulis excudunt inſcitia literarum, inopiaq; iudicij, ab Euclide nimirum ſcriptum eſt, γραμμὴ δὲ μῆκος ἀπλατὲς, id eſt linea uero longitudo eſt abſq; latitudine. in aliquibus codicibus additur ſine latitudine, et profunditate, in aliquibus ſolum adeſt hæc particula ſine latitudine, & abeſt particula & profunditate, at contextus quem habemus ſolum habet uerba illa, quæ ex authore adduximus, author uero poſt definitionẽ ſtatim addit, γραμμῆς δὲ πέρατα σημεῖα, id eſt lineæ autem extrema ſunt puncta, hæc autẽ uerba non ſunt definitioni coniungenda, ſed ab authore poſt definitionem addita ſunt, ut finem atq; finitarum linearum terminos afferret, hoc nõ ſolum Græcus cõtextus oſtendit, ſed & uulgata paſsim Boetij interpretatio, & Gellius unà in primo libro capite uigeſimo. Scito præterea uerbum illud ſine latitudine Græce eſſe ἀπλατὲς quòd nonnulli interpretãtur illatabilis, quibus minime aſſentio, cum linea eatenus (ut illorum uerbis utar) latabilis ſit, quatenus ſuperficies euadat. SE. Arbitror et addendam eſſe lineæ definitioni profunditatem, ſi linea in profundum abſq; latitudine ducatur. BRAS. Reſpondemus lineam in profundũ duci nõ poſſe, niſi prius in latus profluxerit, nam profunditas ſine latitudine longitudo eſt, cũ ex primo puncti ductu longitudo fiat, ex ſecundo unde uis facto latitudo, ex tertio deinde profunditas. SE. Legi Sipontinũ Epiſcopum in ſuo Cornucopio

nucopio inscripto libro Euclidis definitionem adducentem, atque dicentem ex puncti fluxu corpus unius dimensionis fieri. BRAS. Hic est maximus apud philosophos error, qui tribus dimensionibus corpus cõstare arbitrantur, nisi idem per corpus intelligere uoluerit quod & per hoc nomen res exprimitur. SE. Hæc excusatio cõueniens non uidetur, quia in eo loco secundum mathematicos uerba facit, qui nunquam corpus uocãt nisi tribus dimensionibus cõstitutum sit. Adde fluentem lineam superficiem inducere (hæc uero in intellectu solo concipiente intelligenda sunt) Auerroe tertio Physicorum libro sectione sexagesima prima dicẽte, hoc esse de capitulo propositionũ opinabilium, quæ sunt quasi fundamenta geometriæ, nam ipsa linea oblonga est latitudine, & profunditate carens, si uero linea fluat superficiem efficit, quam definiunt esse longitudinem, ac latitudinem absq; profunditate, cuius extrema sunt duæ lineæ. SE. Eadem argumenta quæ lineæ definitionem reprehendebant uidentur posse & superficiei definitionem reprehendere, quia circularis superficies, & infinita in extremis lineas non habent. BRAS. Respondere possem de infinitis nihil loquendum esse, cum infinitum nihil sit, neq; in rerum natura inueniri possit. SE. At solutionẽ hanc reprehendam], quoniã unius prædicamenti differentia inueniri non potest nisi & differentia sibi opposita inueniatur, at in quãtitatis prædicamẽto finitum inuenitur, igitur & in eodem prædicamento infinitum inueniri oportet, adde Aristotelem in tertio de Anima libro scriptũ reliquisse intellectũ omnia facere, & omnia cogitare, igitur si mathematici animi ui

gilantiam

gilantiam adhibuerint, infinitum assequi posse non uerẽdum. BRAS. At idem Aristoteles in tertio de Physico auditu libro censuit omne corpus siue naturale, siue mathematicũ sit esse finitum, nã corporis ratio est esse planitie terminatum, igitur & lineæ, & superficies in suis constabunt terminis, & non erunt infinitæ. SE. Aristoteles hoc intelligit re ipsa quòd corpora omnia sint finita, non autem imaginatione, ac cogitatione. BRAS. Idem Sipontinus Episcopus inquit, si lineã geminemus, alterum mathematicum corpus effici, quod duabus dimensionibus cõstat. SE. Verba hæc & Philosopho, & naturæ aduersari uidentur, ut nunc rationibus probabo, nam duæ istæ lineæ ex quibus corpus illud efficitur sunt ne continuæ, an contiguæ? BRAS. Nec unum nec alterum esse possunt. SE. Probè quidẽ dicis, nam si contiguas esse diceret, absurde loqueretur, quia illa quæ contigua sunt partes habent quibus se contangant, at linea nullas habet penes latitudinem partes, sed solum penes longitudinem, Philosophi uero contiguum uocant cuius partes se cõtangunt, si uero duas has lineas continuas esse cõtendat, en quo errore ducatur, quoniã aut pars parti, aut totum toto coniungitur, non quidem pars parti, quia linea secundum latitudinẽ partibus caret, at si totum toto cum utrãq; lineæ secundum latitudinem sint indiuisibiles, ex ipsis duabus iũctis nihil maius eueniet, nã iuxta Aristotelem indiuisibile additum indiuisibili nõ facit maius. præterea continui definitio, quæ est cõtinuum esse diuisibile in infinitum, absurda esset, si huius authoris sententiam ueram esse fateremur, nam diuidentibus indiuisibilia statim occurrerent. BRAS.

Denique

Deniq; ſuperficie data corpus efficitur, q̃ trina dimen-
ſione, hoc eſt longitudine, latitudine, & profunditate
conſtat. Inquit uir ille (doctus alioqui) corpus ex qua-
tuor lineis confici, cum duabus aliæ duæ ſupponuntur,
tunc enim corpus fit q̃ à Græcis στερεὸν, id eſt ſolidum à
noſtris quadrãtal appellatur, & huius denominationis
rationẽ reddit, quia ſex latera habet, hæc uero à Gellio
primo libro capite uigeſimo pro parte accepit. SEN.
Argumenta illa, quæ ſuadebant ex lineis ſuperficiẽ non
fieri, idonea ſunt ut prædictam ſententiam deijciant.
BRAS. Forte diceret ſe intellexiſſe lineas eſſe plano-
rum terminos, non quòd illas ſuo contactu efficiat. SE.
Hæc non eſt digna excuſatio, quia planis inquit uerbis
duas lineas ſuper alias duas poni ad corpus ipſum conſti-
ciendum, ut de his intelligere oſtendat, quæ unà coniun
ctæ ſunt. BRAS. Sed alio errore ducitur, cum ait id
q̃ ex hoc linearum contactu efficitur cubum eſſe, nam
& ſi ſex lateribus conſtet, nihil tamen fieri prohibuit
huius figuræ coſtas inæquales eſſe, cubus autẽ id eſt (ut
in numeris nunc loquamur) quod ex ductu numeri in ſe
ipſum per ſe ipſum euenit, ut ter tria ter uiginti ſeptẽ
efficiunt, qui numerus. ſ. uiginti ſeptem, eſt ternarij nu-
meri cubus, idem in figura ſpectare oportet aucta ex
ſe ipſa in ſe ipſam quãtitate, ut contigit cum apud Athe
nienſes peſtilentia uigeret, ab Appolinis oraculo reſpõ
ſum fuit ſedaturam peſtilentiam ſi altaris cubus multi-
plicaretur, ipſi cubum alium eiuſdem magnitudinis al-
tari addidere, at peſtilentia adhuc uigebat, & uiguit,
quoàd mathematicus quiſpiam admoneret multiplican
dum eſſe altaris cubũ per ſe ipſum in ſe ipſum, itaq; eſſe

ctum

ctum est, & pestilentia cessauit, cum uero ad huius negocij rationẽ satis dictũ esse uideatur, quæ dicta sunt brevibus repetere oportet. ex fluente puncto fit linea, ex ducta linea superficies, ex supficie eleuata uel depressa corpus. SE. Cũ toties de puncto mẽtio facta sit, optarẽ in hoc Horatij carmine qd punctum significẽt edoceri.

Omne tulit punctum qui miscuit, utile dulci. »

BRAS. Generalis est interpretum expositio de suffragijs Horatium intelligere, ut poeta ille omne tulerit punctum, idest suffragium, qui iucunde in suis poematibus fabulas connexuerit, & iocos, nec non & probos ac sanctos mores, et rerũ naturas miscuerit. SE. Hæc interpretatio mihi conuenire non uidetur. BRAS. Illa fortè tibi non displicebit quæ apud Platonem inuenitur duodecimo de Legibus libro, ubi Athenienſis Cliniam admonet qualis debeat esse in gubernanda Republica, & inquit. Quod trito prouerbio fertur, id nobis » amici nunc communiter competit, ac si de uniuersa re- » publica periculum subire uelimus, facienda omnia sunt » ita ut ter sex uel tres talos iaciamus. Erasmus in Prouer » bijs ter tres legisse uidetur, de quo mirandum est, cum Plato ter sex sua lingua scriptum reliquerit, inquit enim ἢ τρὶς ἓξ φασὶ, ἢ τρεῖς κύβους βαλλόντα, antiquiores nimirum tribus tessaris in lusibus utebãtur, (ut nunc etiam fit) undiq; tamen inscriptis, nõnulloſq; alios habebant ludẽdi modos, cum enim tres aut quatuor unà colluderent æqualem numerum deponebant, postea taxillos iaciebant, siquis unitatem deprompsisset, modo senio abesset numorum depositorũ cumulo numum addebat, qui uero ter sex iaciebat, omnes superlucraba-

tur

tur nummos, in tessaris enim nullus erat maior numerus isto, Horatius fortè in hoc sensu intellexit, omne tulit punctum, idest ter sex iecit, quo numerus alter in astragalis maior inueniri nequit, hoc est is omnes superauit, qui miscuit utile dulci. nostri hunc lusum Raffa nescio quo omine appellant, nisi quia æqualia in omnibus tessaris puncta iacientes uniuersam depositam pecuniam rapiant, antiqui uero in senario tantum uinci permittebant, nostri & in cane sinunt uinci, modo tres ipsæ tesseræ canem in superficie ostendant, at semper apud antiquos canes erant damnosi, propterea ab Ouidio decantatum est,

Quid ualeant tali, quo possis plurima iactu
Tingere damnosas effugiasq; canes,

Canem uero pro unione accipiebant, in opposito latere senio aderat, & in latere Veneris effigies, Nec deerant apud antiquos tesseræ undiq; non inscriptæ, quales & nũc illæ sunt quas uulgus talos farinæ, fortè ob albedinẽ laterum non signatorum, nuncupat, de quibus in libello de Astragalorum ac tesserarum ludis disseremus, nunc ad rem ipsam redeamus. Plato in ciuitate horum hominum cœtus, qui ætate, doctrina, moribus, consuetudine ad custodiam idonei sunt constituit, inde quæ discenda sunt, ipsa præterea, in quibus pcipere oportet singula frustra scribentur, neq; enim possunt ipsi qui discant, cognoscere quando quid oportune discat, atq; in eorum animo rei ipsius scientia sit, quæ igitur in his palam dicti non possunt non recte tentantur, dici autem non posse inquam quoniam si dicantur, nihil planius explicant, interrogat autem Clinias hospitem Athenienſem, quid

igitur

ſigitur agendum ſit, in his rebus, quæ palàm dici non poſ
ſunt? Athenienſis reſpondet, omnia ſunt facienda, ideſt
totum animum, totam mentem in his ponere debemus
quemadmodũ ſi reſpublica ſubiret periculum, ponere=
mus ita ut ter ſex, uel tres talos iaciamus, ideſt eatenus
apponẽdus eſt animus, uireſq; intendendæ quatenus to=
tum perfecerimus, ut Horatius in hoc ſenſu loquatur.
SE. Eraſmus aliter Platonẽ præſcripto loco interpræ=
tatur. BRAS. Cæterum in periculis, ac ſummis labo
ribus mulieres noſtræ idem ferè uſurpant adagium cum
ĩquiũt duo de uiginti iecit, noſtra uero materna lingua,
l'ha buttà diſdotto. SE. Ex his quæ ſuperius dicta ſunt
noua quædam huius carminis ſuccurrit expoſitio, fluẽs
punctum lineam, hæc ſuperficiem, iſta corpus efficit, at
nihil eſt (demptis intelligentijs) quin uel corpus, uel in
corpore ſit, corpus uero à puncto ceu à quodam primo
emanauit, ut ducere pũctum apud Platonem in paremiã
ceſſerit, pro eo quod eſt oĩa facere, ut Horatij ſenſus ſit,

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci. »

i. oĩa fecit poeta ille, q utile carmẽ, tabellis dulcibus in=
termiſcuit. BRAS. Non eſt deſpicienda expoſitio
præſertim à pharmacopola inuẽta, de his uero plus ſa=
tis, Ad id quod eſt huius libri caput redeamus. SEN.
Proſequaris ut lubet. BRAS. Ex lineis figuræ confi=
ciuntur, è ſuperficiebus corpora, ut geometræ figuram
hac definitione pfecerint, figura eſt q̃ termino uel ter=
minis clauditur, omnium uero figurarum ſimpliciſſima
eſt circularis, quæ una linea cõſtituta eſt, eandem in ſim
plicitate ſequitur oualis ab oui figura nuncupata, & ex
duabus minoribus ſemicirculi portionibus conſtituta,

quamquam

quãquam figuras aliter diuiserit Gellius primo Noctiũ atticarum libro capite uigesimo, et Cẽsorinus uigesimo etiam capite sui libri de Die natali, æque et superficies, rotunda corpora constituunt, et forma oui referta, triangularia, utque in summa dicam, omnia plurium angulorum corpora efficiunt, pluriangulæ figuræ ouales sequuntur, quamuis & ipsæ ouales angulorum quandam speciem præ se ferre uideantur, inter has uero pluriangulas figuras cœteris simpliciores sunt triangulares, quas in huius sermonis initio pertractemus oportet, aures igitur dicendis accomoda. SE. Iam accomodaui, et pileum ab ipsis remoui. BRAS. Triangulus figura est tribus lineis circõposita qualis hæc est quæ sequitur △. SE. Quot trianguli species à philosophis instituuntur? BRAS. Tres æquilaterus, isocheles, et scalenon, prima species lineas omnes æquales habet, secũda duas tãtum habet æquales, et reliquam inæqualem, tertia omnes habet inæquales. SE. Vt hæc quæ enarrasti facilius percipiãtur, horũ formulas subscribere libuit, æquilaterus. △. Isocheles. △. Scalenon. ◿. BRAS. Has formulas præsignandi labore me leuasti, scito autem angulum ab incidentibus lineis constitui quẽ rectum uocant si à recta linea supra rectam incidentem & non oblique fiat, acutum si modice sit recto minor, obtusum si recto maior euadat. SE. Neq; in præsentiarum horum exẽpla præteribo. ⌊. angulus rectus. ∠. angulus acutus. ∨. angulus obtusus. BRAS. Rogo diligenter auscultes quatuor triãgulis æqualiteribus unà coniunctis tetragonum corpus efficitur, quod undecũque iacueris recto acumine sistit, tribus pro basi subiectis

ſubiectis. SE. Hinc arbitror priſcos illos Romanorum Duces murices excogitaſſe, dura militum uaframenta, quibus in caſtra, aut naues ceu ſemina iactis equorum, & hominum pedibus auerſantur, utile iactoribus inſtrumentum, hos uero ſollicitat in quorum diſpendio ſeminatur. BRAS. De hoc murice nunc loquar, & ita commentabor, ut neque ſine uoluptate, neque ſine fructu ſis auditurus. SE. Hæc attentius quã aliàs unquã expecto. BRAS. Murex omnes tetragoni partes non habet, iccirco illo perfectior redditur, tetragonus etenim ratione qua ad mathematicum ſpectat, nullam materiam ſibi aſciſcit, ut mathematicarum rerum conſuetudo eſt, Auerroe quarto de Phyſica auſcultatione libro ſectione quinquageſima prima dicente. Vacuum & mathematicum corpus haud differre, murex uero ex oſtreæ cuiuſdam aculeatæ qua panos inficiunt ſimilitudine dictus eſt, uulgo tribulus uocatur, non ut aliqui putant, quia tribulet, & mortalibus malum incutiat ſed à cuiuſpiam ſeminis ueſtigio in ſenticetis orti, eò eſt à materia ſemotior tetragono, quò magis excauatus, & quò excauatior mathematicæ ſpeculatiõi propinquior, tamen eiuſdem generis ſunt, ideſt quatuor ſunt angulorum corpora, ſed non pauca de tetragono exordiemur, quæ de murice dicta eſſe putato. Tetragonum corpus cæteris ſine controuerſia angulos habentibus perfectius eſt, ob eius naturã orbiculari corpori propinquã, nam in ſe ipſum quaſi circulus, aut ſphæra reuertitur, ac regiratur. SE. Adde angulorum numerum præſtantiam huic corpori addere. BRAS. Non ab re dicis, nam quaternarius eſt pariter par, in numeri ratiõe tri-

no perfectior. SE. Hac in re audiendi non sunt quidam male feriati uiri, qui numeri perfectionem à rebus numeratis accipiũt. BRAS. Verum si nos hæc assidue pertractemus, tetragonum ex numeri substantia perfectionem summere deprehendemus, quæ partim in diuisione consistit, ut aliàs suo loco docuimus. SE. Immo & si à rebus ipsis numeros locupletari libeat, quid erit quaternario perfectius? quo elementa metimur, anni tpa, mensium hebdomadas, elementorum qualitates, hominum humores, & eorumdem ætates, quatuor rerũ formas: esse inquã, uegetari, sentire, ratiocinari, uires aiæ, Ecclesiæ doctores, sacri mysterij Euangelistas, quatuor mundi partes, lunæ quadrans, dentes gelasinos apta ad recte loquendum instrumenta, curriculi rotas, & alia infinita, quibus supersedendum potius censui, q̃ te hoc catalogo detinere. BRAS. Nullus esset numerus qui ex odore rei, quam metitur, non probaretur, si ex numerata re præstantiam ullam sumeret numerus, contempleris interim nõnullos aberrare, qui triangulum pro fide ponunt, quibus consuetudo errorem relaxat, si admoniti resipiscant, qd uero tetragono fidẽ planius ostendere põt? quid efficacius? uis hieraglipho aliquo inuiolatam demonstrare, quæ nec morte turbari possit? illam tetragono conferas, quem nec decliuis accessus, nec lubrica uia impedire possunt quin angulum semper eleuatum erectumque habeant, tribus pro basi subiectis, nec ratione subiecti trianguli hoc euenire arbitreris, sed ob quarti anguli naturam ita euenit, nam uniuersa tetragoni essentia ex quarto angulo perficitur, mathematica nimirum corpora ex ultima unitate,

uel

uel angulo ſpeciem ſummunt. SE. Inſuper accedit Ariſtotelem in Ethicis ſapiẽtem uirum tetragono com= paraſſe, cum ait, Sapiens ſcit bene ferre fortunam, quia habet ſe ſine uituperio, ſicut tetragonum, nam tetra= gonum corpus quocunque proijcitur, firmiter ſtat, uti ſapientis animus conſtans permanet quacunque fortu= naimminente. BRAS. Miranda igitur eſt tetrago ni, uel niuricis natura digna ut ſapiens illi conferaĩ, tan quam ſapientia ipſa participet, Ariſtoteles item in ſe= cundo de Anima libro ſectione trigeſima prima animæ paſſiones, uel potentias appellãs, tetragono compara= uit, cum inquit: In anima eſſe uti tetragonũ in trigono, quem locum Auerrois de figura interpretatur, dicens alteram altera priorem & poſteriorem eſſe, triangu= lus nimirum quadrangulo prior eſt: nam hic triangulũ potẽtia includit, quia quadrato exiſtẽte triangulus eſt, quo poſito quadratum poni non eſt opus, æque in ani= mæ uiribus nutritiuum ſenſitiuo prius eſt, in quo poten tia continetur, cum re ſenſibile ſit, nutritiuum eſt, é con trario minime. SE. Miror Auerroim qui inter præ= cipuos philoſophos numeratur figuram non eſſe figu= ra priorem ignoraſſe, nam omnes figuræ ſpecies ſunt naturalibus etiam perfectiores, quoniam mathematicæ dimenſiones naturalibus præſtant, cum illis ſint certio= res, nec eiſdem ſpecierum conditiones deſunt quarũ una eſt (Ariſtotele in Poſt prædicamẽtis teſte) ſimul eſſe, et non per prius, aut poſterius gña participare, nam trian gulus ita terminis clauditur, ſicuti triangulus, igitur æ= qualis naturæ ſunt figuræ ſpecies, & una non eſt prior, uel poſterior alia. BRAS. Obuiabunt forte huic

tuæ ſententiæ recentiores, quia figuræ ad duo referri poſſunt, nam nonnunquam ad genus referuntur, & ita una alijs prior eſſe non poteſt, quia æquales ſunt ſub eodem genere ſpecies, quandoque ad materiam cui inhærent referri poſſunt, ut triangulus huic materiæ inhæret, illi quadrangulus, & hoc modo in prius & poſterius näm uariare poſſunt. At hi Ammonij argumento in Porphyriana cõmentatione reprehendendi ſunt. Au-
« thor hic ſpecierum exempla ſubſcribẽs inquit. Triangulum figuræ ſpeciem: quidam uero eo tempore Porphyrium reprehendebant, & triangulũ quadrangulo prio rem eſſe ſuadebant, quoniam tria quatuor priora ſunt, non eſt igitur figuræ ſpecies, nam in ſpeciebus æqualis eſt tẽporis, rationiſq; natura. SE. Facile eſt horum argumentũ euitare. BRAS. At prius audias quid à nonnullis diceretur, qui Porphyrium abſurde defendere conabantur, nam & ipſi triangulum quadrangulo priorẽ eſſe arbitrabantur, Porphyriumque excuſabant, quòd exempli gratia ita locutus eſſet, hos ut digni erant Ammonius reprehendidit cuius argumentum, & in præcedentes etiam militare percipies, inquit uero.

τῶν δὲ οὐδεμία ἐστὶν ἀνάγκη ἵνα γένηται τὸ τετράγωνον, τῷ προϋποκεῖσθαι τρίγωνον, εἶτα τῇ συνθέσει τούτων τὸ τετράγωνον γίνεσθαι, ὡς ὁ Εὐκλείδης ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ ἕκτῳ αὐτοῦ θεωρήματι, ἄνευ τριγώνου τὸ τετράγωνον δι' εὐθείας ἀναγράφειν διδάσκει· οὐδὲν γὰρ κωλύει καὶ τριγώνου μὴ ὄντος τέσσαρας εὐθείας ἐπιζεύξαντας ποιῆσαι τετράγωνον. ὥστε οὐ ἀληθὲς τὸ ἀνερωμένου τοῦ τριγώνου συναναιρεῖσθαι καὶ τὸ τετράγωνον. quæ ſi latina lingua referre uoluerimus

rimus ad uerbũ ita ferè dicũt. Nũc nulla ē neceſsitas ut fiat quadrãgulus eò quòd triãgulus ſupponatur, poſtea horum compoſitione fieri quadrangulum, quemadmodum Euclides in quadrageſima ipſius ſpeculatione ſine triangulo quadrãgulum per rectam deſsignare docet', nihil uero impedit & triangulo non exiſtente quatuor rectas cõiugatas quadrangulum facere, quã ob cauſam falſum eſt triangulo ablato auferri quadrangulum. SE. Ammonij ſententiã audiui, ex qua colligitur neq; Auerroem eſſe ueritati propinquum, uel ſolutionem illorũ, quæ ad particularia cõfugit, nam Euclides atq; Ammonius de particulari loquuntur, qui ab homine fieri põt. BRAS. Minus etiam illi audiendi ſunt, qui dicunt exẽpli gratia locutum eſſe, at multa ab Ammonio in eodem loco referunt, quæ (ni pigeat) in noſtra porphyriana Panoplia legere nihil impediet. SE. In his ambiguitas mihi occurrit contemplanda. quia Plato de figuris in Thimæo loquẽs rectilineas omnes pluriangulas in triangulum reſoluere, ceu in ſimpliciſsimã figuram docet. BRAS. Reſpondemus Platonẽ non ita reſoluere, quin animaduerterit pluriãgulam à minori angulo nõ fieri, id uero dixit quoniam in figuris una deniq; reperitur, qua angulorum numero nulla minor fieri poteſt, at in additione nunquam terminus adhibetur, nam in infinitũ ut numeri figuræ creſcunt, ob hanc rationem diuinus Plato uiſus eſt nõnullis figuras in triãgulam reſoluiſſe, hunc nimirum inuenit, tanquam ultimum in figuris angulorum paucitate, immo in corporibus, & nõ in figuris authoris ſermo uerſatur. cæterũ Diuus Thomas contextũ illũ trigeſimum primum ſecundi de Anima li-

« bribis uerbis interpretatur. Plato numerorum
« ideam instituit alterius naturæ, quam aliarum rerum
« specimina, homines ideã habent non modice seiunctã, et
« boues æque ac reliqua. In numeris uero eadẽ est, qui nõ
« sunt inuicem separati, sed naturali quodã ordine se cõ=
« sequuntur, hinc dualitas omnium consequentium nume=
« rorum causa est, idem in figuris ĩtelligere oportet, Tri
« gonam. s. unamquanq; pluriangularum figurã ingredi,
« & earum est causa, ostendit prætereaexemplo trigonũ
« in tetragono potentia contineri, nihil enim prohibet
« in duos trigonos tetragonum partiri, ut subiecta formu
« la ostẽdit. ⊠ Hæc deinde Diuus Thomas ad anime
rationem componit, Nos autem arbitramur Diuũ Tho
mam in hac solutione Aristotelis mẽtem haud attigisse,
nam uerum prorsus est dualitatem numerorum causam
feciſſe, immo unaquæq; addita unitas causa est ut nume=
rus in specie constituatur. Ad tria igitur non est necesse
duo exigi, idest speciem hanc numeri quam dualitatem
uocant, sed tres unitates expetuntur, quarum tertia spe
ciei rationem tribuit, Minime ambigo numeros ob uni=
tates ordinem habere, nullus uero numerus in sui com=
positione alium recipit numerum, sed quantus quantus
est tot sibi unitates asciscit. SE. Numeros igitur ita
exoriri arbitraris? ut binarius duabus constet unitati=
bus, secundaq; uim speciei formalem tribuat? BRAS.
Ita intelligo, et ternarius eodem conficitur modo ex tri
bus unitatibus, in quarum tertia formalis ternarij ratio
existit, nec ternarius binarium claudit, idest speciẽ hãc
numeri quam dualitatem uocamus, immo tertia unitas
duabus adueniens ternario rationem formalem addit,

qua

qua resecta .s. unitate tertia, duæ unitates derelictæ bi= narius haud sunt, id est species illa numeri binarius ap= pellata, hocq; intellige ratione qua duæ illæ unitates pro ternarij perfectione accipiebãtur, cum uero unitas re= secatur relictæ unitates statim aliã numeri speciem su= beunt, sed non ratione qua erant ternarij unitates, & hæc, quæ de ternario numero dicta sunt, unicuiq; nume= ro accomodari possunt. SE. Arbitror eandem esse et in figuris rationem. BRAS. Immo eadem prorsus est, nec tetragonum à trigono fit, quoniam ex recta linea fieri utrunq; potest, quod quadrageſima speculatione Euclides ostendit. SE. Quid etiam prohibet ex linea= rum accessu, & recessu trigonum in tetragono, & te= tragonum in trigono collocari? BRAS. Nihil, at in Diui Thomæ quæstionibus Quolibetalibus uocatis, arti culo sexto primi quolibet partem illam libri de anima adductam ita exponit ipse Thomas, trigonum scilicet esse in tetragono uirtute, & hũc, uidelicet tetragonũ in trigono. SE. Sed cur æque in trigono tetragonum uir tute non est? nam trigonum (ut scriptum reliquerat) te= tragoni causa est, quæ causatũ uirtute, et potentia com= plectitur. BRAS. Non absq; ratione Diui Thomæ sententiã reprehendisti, qui prima parte summæ Theo= logiæ quæstione septuageſima sexta, articulo tertio in= quit, Pentagona figura non per aliam figuram penta= gona est, per aliã tetragona, ita est in animabus. in qui= bus locis Aristotelem exponit ac si de pentagono & te= tragono uerba feciſſet, cum de trigono solum, & tetra gono scribat: una tamen est & eadem sententia, sed ani= maduertisse uolui, ut integrum ac purum Aristoteliis

ſenſum, ac uerba haberemus. SE. At Themiſtius de hac re cautius locutus eſt, uerum et hoc authore prætermiſſo ad reliqua ſermonem conuertamus. BRAS. Ariſtoteles de tetragono corpore, & trigono locutus eſt, nihil etenim refert an corpus an figuram intellexerimus, ſiquidem ex quatuor æquilateribus tetragona pyramis efficitur: priuſquã uero quartum addideris, tres illi admiſti trigonum eſſe uidentur, quarto addito in tetragonum tranſit, hinc trigonum in tetragono eſſe iudicauit, aut triãgulus in tetragono corpore eſt, quia unaquæq; eius corporis ſuperficies triãgulus eſt, hunc ignis figuram habere in Platonis Thimæo oſtenditur, tetragonum præterea corpus ex cryſtallo compoſitum philoſophicas ſpeculationes, et admirandas habet, quas eaſdem in Euclidis trigono uidere licebit. SE. Sæpe colores illos in trigono contemplatus ſum, et mihi res uiſa eſt mirifica. BRAS. At forte non ita inſpexiſti ut ego feci, nam ſupercilijs admotus, rebuſq; per cryſtallũ inſpectis infinitæ uidentur colorũ uarietates, quæ nunq̃ poſſent uel arte pulchriores fieri, quales in Iride apparent, uerum hi tanto Iridis colores ſuperant, quanto cryſtallus terſa magis eſt, leuigata, alba, et diaphana nube, nanq; ibi puniceum colorem uidebis, cœleſtem, xanthum, fulgidum, coccineum, uiridem, ſub uiridem, & ſexcẽtos alios columbarum collo, ac pauonũ pulchriores. ſi trigonũ ſumpſeris angulo in ſupercilia admoto, & in coſtam ſuperiorẽ, uel inferiorẽ deſpexeris mille colorũ figuras inſpicies. idem euenit angulo ſupercilijs admoto, & altero ſupra nares, oculiq; coſta tegantur, poſtea in exteriorẽ uel interiorẽ angulũ deſpicies, trigono

gono aũt supranares, & supercilia uno latere posito si in angulũ inspexeris quæcũq; recta sunt obliqua præsentabit, ut hominũ pedes ad capita, et rerũ apices in fũda mẽta tãq in aere pẽdere uideãtur. idẽ fit angulo supercilijs admoto, si costam superiorẽ inspicias, costa præsertim frõti adnixa, cæterum sine coloribus res apparent & coloratæ admodum, et quasi in gyrum ac in semiorbem redactæ, ut quidã pinguis mineruæ iridem eẽ putarint. huius rei periculum feci crystallino tetragono à pudicissimis uirginibus mutuo accepto. Diua Isabella, simul & diua Iulia Taraconẽsibus Federici Regis Parthenopei filiæ, omnibus ingenij atq; animi dotibus præditis, quarum memoria donec aura uitalis hos artus moderabitur, à nostris cogitationibus nullo momẽto est abfutura. Viragines sunt & Formosæ pariter, & probæ, doctæ, integræ, benignæ, affabiles, in literis egregiæ, non dissimiles in moribus cœlestibus Diuis, immo Diuæ ipsis comparãdæ, humanitate, gratia, clementia, indulgentia, liberalitate, moderatione, fiducia, fortitudine, immensa rerum fortuitarum patientia, & animi stabilitate. Videor uidere antiquas illas nobilissimas Romanas in utrasq; sorores transmutatas, pulchriores sunt ipso pulchro, uenustiores uenusto, præstanti præstantiores: & si quid est præstãs, uenustum, pulchrum in his caducis rebus, ipsæ sunt, Isabella inquam & Iulia Taraconenses, de quarum laudibus tubam nostra maiorem exoptaremus, quæ illas Dijs pares esse ostenderet, nos autem uiæ ignari ad reliqua properemus. SE. De his Regijs filijs tot dici non possunt, quin etiam plura supersint dicenda, ad trigonum sermonẽ uertas. BRAS.

Si præsentem hominẽ per crystallinum trigonum inspi
cere lubeat, in duplo ferè maior q̃ sit uidebitur. Si uero
noscere uolueris an ipsũ inspicias, te qspiã è regione cõ
spiciat, nã si illi quatuor oculos habere uidearis, ipsum
respicis, illum aliter uidere non potes. mira est huius tri
goni natura, cuius causam rimari difficile est. SE. Has
tamen scire exoptarem. BRAS. Nos breui sermone
de his agemus ut uiribus nostris ac menti cõcessum erit.
SE. Neq; aliud scire uoluerim, quàm id quod tu ipse
depromes. BRAS. Non dubito eãdem esse coloris in
trigono, & iride causam, quã Aristoteles in tertio Me=
teororum libro refractionẽ esse docuit, uisuales etenim
lineæ in trigono constitutæ ob earum uarietates in colo
ribus quoq; uarietatem faciunt, nam ob uariam trigoni
crassitiem uario modo flectuntur. in angulis etenim te=
nuior est, propè medium crassior, hinc multæ linearũ,
ac umbrarum flexiones fiunt, quæ in crystallino subie=
cto undique lucido opacam umbram demonstrare ne=
queunt, causa autem cur hinc magis albæ, illinc nigrio=
res appareant, maior atq; minor angulorum crassities
est. SE. Et quo nam modo? aperias obsecro. BRAS.
Duo sunt colores extremi: album, & nigrum: umbra
magis propinqua nigro est, at lucidi corporis umbra in
nigrum ita nõ uergit, sed quanta est ad opacum interca
pedo, tanto umbra luci magis affinis est, at q̃ à nigro pa
rum abest in album declinat, cæterum nihil prohibet,
infinitos fieri secũdum maiorem accessum, et recessum
ad album, atq; nigrum colores, hinc colores propè tri=
goni angulos, quia umbra tenuior albo sunt magis affi=
nes, in crassitie uero sunt nigriores, quo igitur loco umi

bra

bra intẽsior est, eò color prorsus nigrior efficitur, quò tenuior magis albus est, trigonus autem ordine quodam magis & minus in acumen trãsit, ob hoc hi colores ordinem habent, ut nigriores primum appareant, uirides deinde, tertio loco punicei, & ita in magis albos accedunt. SE. Difficilis est eiuscemodi umbrarum speculatio, atq; maxima corporũ in lucido reflexio. BRAS. Experimentum esse possunt solares radij si alicuius fenestræ aduersam partẽ illustrauerint, quam è uestigio claudas rima derelicta, per quam rerum umbras in terra cõspicere poßis, omnia è contrario uidebis superiora inferius, & è contrario, quæq; antea post, porrò trigoni costa rei imaginem è regione existentem præsefert, sed in costã reflectitur in quam uisum exercemus, hinc quæ sursum sunt inferna esse uidentur, inferiora uero superius, dextra in sinistrum, & quæ sinistrorsum sunt ad dexteram inclinãt, si autem corpus esset omni parte in crassitie homogeneum, nullos colores intuitu assequeris, nã & umbræ homogeneæ essent, resq; in proprio colore modicum fuscæ cernerentur, & magis etiam ac minus, ut corporis diaphani crassities impẽderet, luxq; circumcirca præfulgens umbris nonnihil momenti addens. præterea trigonum noctu sume, inde unico tantum oculo per costam uersus lampadẽ inspice, mira asseqeris, dextera inquam sinitrorsum & è contra, ac superiora deorsum, pars itẽ rei lumini propinquior phœnicea præsentatur, remotior autem uiridis, una deinde tres lampades redduntur, si sumpto trigono & angulo supercilijs admoto per interiorem trigoni costam in lampadem inspexeris, lampas prima deorsum uidetur,

&

& naturalis, secunda in medio subuersa, tertia sursum decliuis mille coloribus picta. oculus huius apparentiæ causa est, qui naturalem lampadem dempto trigono uidet, deinde per inferiorem costam secundã lampadem intuetur, & tertiam per superiorem costam mille coloribus circũseptam. SE. Dispeream nisi hæc actu ante tres dies experiar. BRAS. Id fieri facile poterit, sed reliqua audias. angulo è regione oculorum posito per inferiorẽ costam superiora, per superiorem inferiora concipies, hocq; defferẽtis costæ ratione fieri arbitror. idem euenit costa supra oculos cõstituta, si deorsum exterioris anguli inspexeris superiora deorsum apparebunt, inferiora sursum, te ipsum cernere poteris trigono sumpto si deorsum p costam inspexeris, nã te ipsum in lampadis parte, & lãpada ubi es tu inspicies. Demiq; angulo supra oculos posito, si per costas in terrã despexeris, quæ opponuntur geminata esse apparebunt. sed ut uno expediam uerbo, trigono oculis admoto, atq; inuarios situs deuoluto ex te ipso mille rerum figuras, mille colores inuenies, qui nequeunt aut calamo describi, aut uerbo doceri, sola inuenti experiẽtia, eademq; probati: nam leuia corpora sexcentas figuras habere possunt, ut in chalybeo speculo modice concauo, quo ignis accenditur exemplum haberi potest, de quo Plinius capite centesimo decimo libri secundi mentionem facit, si oculis propinque admoueas rectam faciem tibi demonstrat tua lõge maiorem, equinos dentes tibi refert, atq; nasum rhinocerotis, supercilia suillis setis craßiora, neuos ut ungues refert, palpebras digitales, carnis scabriciem uti monticulos repræsentat, uultus tubercu-

la

la, grandiores ueſicas eſſe arbitraberis. SE. Hoc millies expertus ſum, ſed adde ſi longinque te ipſum inſpexeris facies decora tibi uidebitur, caro pulchra, præſtans aſpectus, ſed quod mirum eſt, faciem ſubuerſam repræſentat. BRAS. Ita profectò eſt, at ſi corpus leue ſit, ac diaphanum, ceu cryſtallinũ trigonum, longe præſtantiora, & fœcundiora referentur, quin & Parianus Artemidorus, de quo in primo Naturalium ſuorũ mentionem facit Seneca inquit, ſi concauum effinxeris ſpeculum, quod ſit rectæ pilæ pars, ſi extra medium conſiteris, quicunq; iuxta te ſteterint uniuerſi tibi uidebuntur priores, à te quàm à ſpeculo. SE. Quid? fieri poſſunt arte elaborata ſpecula, quæ unico præſente homine uti populum oſtendunt, fit uero ex paruis minutiſq; ſpeculis eiuſcemodi ſpeculum. BRAS. Adde quadrãgularia ſpecula altera parte magis longa ſi excauata fuerint, uultum per arctiorem coſtam inſpectãtibus ita latum præſentabunt, & per latiorem adeo ſtrictum, ut nõ modo riſum inducant, ſed ad hunc magnopere impellant. his lineis quibuſdã alterius materiæ uel cereis ſuperadditis, quot erunt lineæ tot diuerſos ac ſeiunctos naſos oſtendent, os palmo in cõtinuitate longiuſculum, lumina naſis numeroſiora. SE. Atqui ſpeculum fieri poteſt, quod non ſolum turpes oſtendet illas quas refert figuras, ſed & atras, & obſcuras, atq; cornutas, ea re mutata quæ ſpeculo ſubeſt, ad quàm radij refrãguntur, atque flectũtur: illo etenim abſente ſubiecto formæ deliteſcerent, & quaſi per tranſennam obliterarẽtur, in ſpeculis nimirum bractea uel tenue quodam ac denſum deſideratur formas in uiſum deflectens, nam formæ per

uitrum

uitrum natura diaphanũ transcurrentes frustra spectarent? BRAS. Iam uero quid referam mille in colũbarum colli flexu colorum uarietates. Seneca carmen refert in primo Naturalium de his columbarum collis, à Nerone decantatum, quod ne desideres ita cecinit.

» Colla Tyberiacæ splendent agitata columbæ.

SE. Varijs etiam coloribus pauonum ceruix aliquò deflexa nitet. BRAS. At hi potissimũ colores mortalium animos iugi cogitatione discruciant, qui à cœli arcu referũtur, rutilantes, crocei, glauci, phœnicei, & floridi omnes, hæc nonnihil poetarum animos commouere ut arcum hunc Deorum nuntium facerent, Virgilius irim Iunonis nunciam fingit, ἀπὸ εἰρεῖν, id est nunciare dictam cum cecinit.

» Ergo iris croceis per cœlum roscida pennis
» Mille trahens uarios aduerso sole colores
» Peruolat, & supra caput astitit,

SE. Alio quoque in loco ita cecinit,

» Irim de cœlo misit Saturnia Iuno

BRAS. Et deinde sequitur

» Illa uiam celerans, per mille coloribus arcum
» Nulli uisa, cito decurrit tramite uirgo.

Philosophi nimirum inquiunt lucem, & quæcunque ab ea fiunt nulla temporis ratione habita fieri, sed immediate induci, & non per quendam partium successum.

SE. Mox addit poeta.

» Cum dea se paribus per cœlum substulit alis
» Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.

BRAS. His in carminibus nonnihil ambigui mihi occurrit, cũ iris sit ipsa Dea quomodo sub nubibus arcum

secuit

secuit? commodius uidebatur dicere eam met in nubibus sistere, & in aere gradus defixisse, præterea non secuit sub nubibus arcũ, sed potius in nubes impreßit, quas etiã coloribus ornauit. SE. Fingunt poetæ quoàd illis fingẽdo progredi liceat: his uero eò progredi cõcessum est, quò heroum gesta res naturæ, rustica fabulamenta per aliquas species obliquis figurationibus summo cum decore, & maxima cum delectatione cõuersa traducãt: quod à Strabone eleganter proditũ est, cũ dixit: Sicuti quispiam argento circunfundit aurum, sic & poeta ueris cõtemplationibus fabellas apponit, quibus elocutionẽ & dulcedine conciliat, & ornatu. Irim poete Deã esse| fingunt, in cœlo hoc est in aere sedem habente, uisus effectus in nube uidentur, ob hoc Iunonis nuncia appellata, quod in aere inter nos, & Iunonem medio uersetur. in iridis uero contemplatione duo occurrunt consideranda, unum est arcus ipse, alterum diuinitas, quæ tali ratione ab aere se iungitur quali diuinæ essentiæ speciẽ participant, quamquam sint re ipsa idem, à Virgilio igitur decantatum est.

Secuit sub nubibus arcum.

Quia iridis diuinitatem ab arcus figuratione secernebat, interpretarique debet secuit, idest duxit atque induxit arcum sub nubibus, nam & in sexto Aeneidos secare pro ducere in illo carmine usus est.

Ille uiam secat ad naues.

Aut diuinitas ad Troianas mulieres accesßit, quas ad cõburendam classem excitauit, arcus uero in nubibus ad quem, igne accenso Troianorum nauibus debaccantibus regreditur, diuinitas igitur Troianis derelictis ad

arcum

arcum se recepit, ut intelligatur, secuit, ideſt arcum ſe-
cuta eſt, qui in nubibus expanſus diuinitatem expecta-
bat. nam & Virgilius in decimo Aeneidos ſecare pro
ſequi utitur, cum ait.

» Quæ cuiq; eſt fortuna hodie, quã quiſq; ſecat ſpem.

uel ſecuit, id eſt inſigniuit, et arcum in nubibus impreſ-
ſit, ut pictores faciunt, qui lineas ſecant. i. in aliquod
ſubiectum imprimunt. BRAS. Neſcio unde tam re-
pente grammaticus euaſeris. SE. Nondum quæ iuue
nis didicerim tibi aperui, at cõmodum uideretur de iri-
dis coloribus nonnihil pertractare. BRAS. A nobis
in hoc loco de iridis coloribus diſputãdum non eſt, quo-
modo. ſ. fiant, & an re ipſa ita ſint, uel fieri uideãtur,
& hominum lumina fallantur, putantia aliquid flãmei,
aliquid lutei, aliquid cærulei, et alia in picturæ modum
ſubtilibus lineis ducta cernere, ut in his carminibus ex-
preſſum eſt.

« Sed nunc diuerſi niteant cum mille colores,
« Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.

SEN. Cur de his in præſentiarum agendum non eſt?
BRAS. Quia ſuo, ac proprio tradẽtur loco. nũc uero
te docebo quot modis arcus cœleſtis colores in his infe-
rioribus rebus inſpicere poßis. SE. Neq; iſtud mihi
ingratũ uidebitur. BRAS. Si mille pelues ſereno die
acceperis, & è regione ſolis in orbem ac debitum ordi-
nem diſpoſueris, iridis colores referent, mille aquæ, au
roris guttæ idẽ efficiunt ſupra mille folia in ſingulis ſin
gulæ ordinatæ, nam bis quingẽti ſoles effulgebũt, ſi mo
do tu inde tanto abeas ſpatio, ut particulares in ſingula
gutta aut in ſingulo pelui ſoles inſpicere non poßis, ſed

tibi

tibi corpus unum ex omnibus reintegrari uideatur, iridem sereno die, aut eius imaginem inspicere poteris, q̃ si uolueris paruam inspicere, fistulam aqua impleto, cui modicõ foramen efficias, ut aqua aduerso sole guttatim stillet, iridis speciem ac colores in singula stillãte gutta uidebis, & Aristoteles in Meteoris dicit, aquã aduersus solem per remum fractam iridis colores reddere, quod nautæ experimento sæpius comprobant, eosdem refert colores striata crystallina uirgula, uel pluriangula, in modum clauæ tortuosæ si è regione solis ponatur, age uitrea perlonga admodum uirga in circũ flectatur, iridis colores inspicies præsertim si à uitro procul abeas, nam humida spatio decepta distinctos inter se colores, ac solis imaginem cernere nequeunt, sed quoddam integrum multis coloribus intersertum ac si iris sit, spectabunt. nec mirñ est oculos intercapedine falli, qui & celeritate, ut in stellarũ cursu, & tarditate, ut in gnomone falluntur. Aristotetes in libro de Insomnijs inquit, Sol oculos distantia perturbat, ut sapientes etiam (inquit Seneca) pedalem esse contenderint, quem uelocissimum omnium esse scimus, nemo nostrum moueri uidit, nec ire crederemus, nisi appareret ipsum mundũ hunc præcipiti uelocitate labentem, & ortus, occasusq; intra momentum tpis reuoluentem, nemo nostrum uidit procedere, quia si obiectũ nimis propè sit, alia sub specie præsentatur, immo & in ipsis oculis hæc percipi possunt. Plinio teste capite trigesimo sexto libri undecimi, ut hi quæ longinquius sunt inspiciant, hi non nisi propinqua, multorum uisus solis fulgore præsente cõstat, at nubila die non uidet, nec post solis occasum, alij interdiu hebe-

tiores, noctu præ cæteris cernunt. SE. Horum cau-
sas libenter audirem. BRAS. At illas in præsentia-
rum dicturus nõ sum, sed de illis tunc agemus cum de ocu
lorum ægritudinibus uerba faciemus. SE. Rem igitur
propositã prosequaris. BRAS. Sol uitreæ fenestræ
oppositus ex reflexo iridis colores repræsentat. ijdem
apparebunt si strictis in uitrum oculis per quod sol tran
sit aciem direxeris. fullonẽ obserua, quoties aqua in os
sumpta panum inspergit, animum tuum mouebunt illi
qui in his guttis fiunt admiratione colores. SEN. Scio
res maiores uideri quæ per uitrũ inspiciuntur, & plæ-
rumq; mutare colorem. BRAS. Pulchriora prorsus
apparẽt quæ per uitrum uisuntur, & maiora, unde fru
ctuarij emptores decipiunt uitro cancellis apposito, ut
poma ac reliqui fructus per uitrum inspiciãtur, nam
ampliores apparent, quàm propria natura sint, & co-
loratiores, ut hinc transeuntes rei pulchritudine allecti
fructus emant.. SE. Nunc tempus uidetur ut ad muri
cis historiam reuertamnr. BRAS. De Murice illa
ultimo loco referam, quæ erant in primo limine dicen-
da. Murex nomen est multiplex, nõnunquam pro gene
re conchæ accipitur, quo lanas inficiunt, Recentiores
purpurã esse arbitrati sunt, quibus Plinius libro nono
trigesimo sexto ac quinquagesimo primo capitibus ad-
uersatur. cum ait muricem à purpura alterũ esse, unde
cum à Virgilio in Bucolicis scriptum est.

» Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti.

» Murice. Seruius non probe exponit murice. i. cochlea
unde tingitur purpura, at murex (Plinio teste) purpu-
ram non tingit, immo concha est eodem nomine uocata,

non

non deest tamen murici suus color, qui & ruber est, & purpuræ affinis, quo lanas inficiebant. hinc à Virgilio dictum est. Suaue rubenti murice. SEN. Immo & ipse Seruius in quinto Aeneidos pro saxi acumine muricem interpretatur, cũ à poeta scriptũ est, Et acuto in mu rice remis obnixi crepuere. BRAS. Tamẽ nihil impedit de murice concha Virgiliũ intelligere, quæ aspera cautibus semper inhæret, nã illa quæ cautibus insunt saxa uocantur, non murices. SE. Adsunt & murina uocata uasa, de quibus mentionem facit Plinius capite secundo libri trigesimi septimi cum ait Neronem ad bibẽdum CCCC sextertijs sibi trulam parasse. BRAS. At ad muricẽ de quo loquimur reuertamur. instrumentum est quadruplici latere aculeatum, de quo in militaribus uaframentis Vegetius tractat, & nonnihil Valerius, trigonus uulgo nũcupatur, ex triplici cui inhæret acumine, at nos potius tetragonũ appellemus, quia eius essentia quarto angulo perficitur? SE. Plæriq; uero non trigonum, sed tribulum uocant, à cuiuspiam spinæ similitudine, cuius semen acculeatum est. de qua ita dicit in Georgicis Virgilius, Lappæq; tribuliq;. BRAS. Vel ita nuncupatum est ab instrumenti similitudine, quo spicas in grana deglubebant, tribus lateribus cõstituti, de quo eodẽ loco Virgilius dixit Tribuliq; trahæq;, cuius figura agricolis nostro tempore satis cõsulta non est. SE. Nonnulli instrumẽtum hoc curriculi genus deorsum asperi esse uolunt. BRAS. Alij instrumentum triplici baculo confectum, quorum uno tritu rantes manubrij uice utuntur, reliquis duobus spicas cõcutientes ut grana deglobent, à Ferrarienſibus rusticis

cerchia uocatur, hoc forte instrumentum illud est, quod Hornam hebræus Dauidi dedit, ut ignem in sacrificium Domino succederet cũ ipse in area trituraret, ita enim in primo Paralipomenon libro capite uigesimo primo scriptum est. Sed & boues do in holocaustum, & tribulas in ligna, & triticum in sacrificium. SE. Adde tribulum fructicis genus esse in lacubus, aut aquis ortum ducens aculeatum, quem mulieres elixant, acuminibus castrant ac mandunt. BRAS. Deniq; ut huic negotio finem imponamus, uel hinc uel inde murex nomen acceperit antiqui ab ostrea, uel pisce denominarunt, recentiores uero ab his iam enarratis trigonũ, uel tribulum nuncuparũt, de cuius natura hæc in Hieronymi Brasauoli militis strenuissimi gratiã scripta sint. SE. Nihil aliud nobis supereſt quàm ea pertractare in quorũ gratiam huc accessi. BRASA. Hoc ad te spectat, iam te ipsum labori accingas. SE. Ante quam huc accederẽ eram accintus, & omnibus Vnguentorũ generibus bene præmunitus. BRAS. Eia igitur de Vnguentis pertractare incipito, ut unumquodq; quòd paras in examen ducamus.

SENEX I.

Cum ergo de Vnguentis tractaturi simus, sæpiusq; audiuerim non fuisse eadem apud antiquos unguenta, qualia sunt in præsentiarum apud recentes, iccirco à te scire optarem quæ essent apud antiquos unguenta, & quæ sub unguenti nomen ueniebant. BRAS. Erant prorsus diuersa antiquorum unguenta ab his quæ nunc unguẽta uocãtur, immo ut ampliuscule loquar, tria hæc nomina, Vnguentum, emplastrum, ac ceratum, alia hoc

tempore

tempore significant quã antiquitus signficarẽt, & adeo in præsentiarum confusa sunt, ut cerata nonnunquam uocentur unguẽta, et emplastra unguenta, et é contrario, Antiqui etenim illa solũ uocabant unguenta quæ ex odoratis conficerentur, nunc adsunt & fœtidißima unguẽta, uocabant præterea emplastra illa quæ ex metallicis erant confecta, nunc autem unguenta uocantur, emplastra uero apud recentes sunt illa, quæ ab antiquis cataplasmata uocabantur. adde cerata fuisse apud antiquos ex oleo et cera confecta, nunc illa tantum uocantur cerata quæ ceram quidem recipiunt & oleum, sed maxime inhærent, ut quandoq; si auferre tentes pillos unà adimant, ob hanc uehementem inhærentiam à Galeno ἐχεμόλλα uocantur, at his prætermißis ad unguentum ueniamus, quod ab usu uidelicet ungendi nomen accepit, et quamuis apud antiquos per hoc nomen unguentum odorata significarentur, quæ & μυρόκοπα uocabant, tamen unguentum craßitiem quãdam habere debet, & lentorem ut inhæreat, ne à loco facile dilabatur, iccirco hæc esse uidetur inter oleum & unguentum differentia, quod unguentum maiorem lentorem habere debeat, q̃ oleũ tñ nõ est maxima differentia, immo qñq; apud antiquos inuenies unum et idem esse uocatum oleũ et unguentum, ut in primo de Compositione medicamentorum secundum locos capite primo apud Galenum uidere est, ubi simplicia ponit ad alopeciam præsidia, & ait. Quæ autem sufficiẽter, scilicet calefaciũt, laurinum « siue oleum, siue unguentum aut quocunq; tandem nomine appellare uelis, Paulo post in hoc eodem loco, ubi illa in ordinem ponit, quæ sunt magis calida, & minus cali-

» da, calidißimis enumeratis inquit, Et laurinũ ſiue oleũ
» ſiue unguẽtũ uelis appellare. ut facile colligi poßit lau-
rinum uocatum nunc oleum, à Galeno & oleum & un-
guentum uocari, nam olea uere ſunt quæ ex oliuis expri
muntur, reliqua exquiſite olea non ſunt, ſed per ſimilitu
dinẽ ita uocantur, iccirco baccarum lauri expreſſum et
ſi oleum uocetur, uere oleum non eſt, ſed baccarũ lauri
expreſſum, propterea Galenus nõ magnifacit ſiue oleũ
hoc uocare uolueris, ſiue unguentũ, ſiue alio noïe uta-
ris, unguẽta craßitiẽ habere oportere Dioſcorides atq;
Galenus in ſexcentis locis oſtendunt, nam cum de aliquo
ſimplici odorato uerba faciunt, inquiunt ualere ad ſpiſ-
ſanda unguenta, ut hinc ellici poßit, unguenta apud an-
tiquos fuiſſe craßiora, ſemperq; fuiſſe cõfecta ex aliquo
oleo, & re alia odorata. in eodem libro ſuperius citato,
Galenus mellinum uocat & unguentum et oleum. præ-
terea unguenta fuiſſe ſpißiora hoc manifeſte oſtendit,
quia idem Galenus in tertij libri de Simplicium medica
mentorum facultatibus calce inter oleum roſaceum, &
unguentum roſaceum differentiam facit, quia in oleo
nihil odoramenti poſitum eſt, quod tamen eſt poſitum in
unguento ad olei ſpiſſamentũ. Alexander Tallianus li-
bro quinto capite uigeſimo ſecundo in illa parte ubi do-
cet non eſſe adhibendam aquam frigidam hecticis, modũ
docet roſaceum ceratum conficiendi, quod hecticis ap-
» plicat, et inquit. Si plus aquæ addatur & olei ut mollius
fiat eſſe unguentum. ut author hic inter ceratum et un-
guentum differentiam facere uideatur, quod unguentũ
liquidius ſit, ceratũ minus liquidum. et Galenus in quar-
to de Sanitate tuenda capite octauo unguentum cũ ce-

raro

rato affinitatẽ habere docet, nam ceratũ facit, & uocat unguentum, cum ait. Quod si nec ea sit ad manum (scilicet libanotis) betæ albæ radix, & cucurbitæ agrestis, & altheæ & uitis albæ efficaciter euaporant, ubi suam ipsæ qualitatem uiresq; in oleo aliquo similis facultatis dimiserunt. Quodcunq; uero sic præparatum oleũ est, in id si uel ceram solam, uel cum ea resinam inijcere uoles: non solum pulcherimum, sed etiam quod in loco bene hærebit, unguentũ facies. ut hinc colligi possit, ceratum ex oleo & cera, & alijs quibusdam additis uocasse unguentum, & si etiam probe inhæreat, unguentum uero multa recipere debere et odorata, Dioscorides testari uidetur in illius partis præfatione, in qua de unguentis acturus est, cum ait. Verum quoniam & unguenta in aliquot malis olfactu aspersione & medicamentis adiecta utilia sunt, exigere rei ordinem existimamus, ut eorum ratio etiam à nobis tradatur, in quorum probatione contemplari oportebit an id ex quo temperatum unguentũ fuerit odorem indicet, optimum enim iudicium hoc est, & si in aliquibus seruandum non sit, quod euincunt sæpenumero quæ uehemẽtiora admixta fuerint, ut ĩ amaracino, crocino, ex fœnu græco, alijsq; quibusdam quæ ex eorum tractatione & usu probanda erunt. SE. Dioscorides igitur ab odore unguẽta probat. BRAS. Ob hoc tibi dixi unguenta apud antiquos fuisse odorata.

SENEX. II.

A Græcis quomodo uocantur unguenta? BRASA. μύρα. SE. Ita forte uocabantur, quia ex myrrha conficiebant. BRAS. Ita prorsus arbitrantur authores,

tamẽ Chryſippus myra uocari putauit, quaſi mora hoc, eſt fatua, quia poſt crapulam, & compotationes unguentis uti ſolebant, nam in ſecunda menſa cum bellarijs & coronis unguenta ferebãtur, Lacedemones unguẽtarios urbe eijciebant, ut pote qui oleum corrumperent, nomẽ hoc μύρον ideſt unguentum primus omnium uſurpauit Archilochus. & quamuis Homerus de unguentis mentionem faciat, illa tamẽ uocat olea, Callimachus Veneri unguentũ tribuit et ſpeculum, Mineruæ oleum, quia illa uoluptati, hæc labori præeſt. Vnguento caput delinire, antiquus fuit mos, ſed à ſatyris, & à fabulatore reprehenſus, quia odor aſcendit, iccirco odor qui ſupra caput eſt ab eo non ſentitur, qui odoramento delinitus eſt, ob hoc alij ut unguentorum ſuauitatem perciperent barbã ſibi delinibãt, unde à Dauide Pſalmo centeſimo trigeſimo ſecundo decantatum eſt. Sicut unguentũ in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Adde Ariſtotelem ſcriptis prodidiſſe unguentorum uſum ad caput breui canicĩe inducere. SE. Alia ergo ſunt illa quæ in præſentiarum uocantur unguenta & illa quæ antiquitus unguenta dicebantur. BRAS. Quis ambigit? nã omnia ferè erant odorata, nunc uero fiunt & fœtidiſſima unguenta. at nos qui de unguentis tractaturi ſumus ut nunc in publicis conficiuntur pharmacopolijs, de unguentis recẽciorum more diſſeremus, unde nemini mirũ uideri debebit, ſi illa unguẽta uocabimus, quæ nunc publicitus unguenta dicuntur, quanquam aliqua ſint cerata, alia cataplaſmata. SE. Hoc ad rem ipſam nihil facit, modo in re de qua agitur conueniamus, licet antiqui nominibus alijs uſi ſint, uerum ut edocuiſti, inter empla

ſtra

stra cerata & unguenta haud magna est differentia. BRAS. Audiuisti eandē rem paulo molliorem esse unguētum, paulo dēsiorem ceratum, ut Trallianus docuit, et Galenus in quarto de Sanitate tuenda, id quod ceratū est unguētum uocauit, ut prorsus haud magna uideatur esse apud hos authores inter unguentum & ceratū differentia. SE. Quicquid antiqui de unguento senserint à nobis in præsentiarum prætermittatur, cum illa solū pertractaturi simus quæ nunc unguenta uocantur, & quæ tu cū indicis unguēta uocas, siue redoleant, siue male oleant. BRAS. De his igitur solis agamus, & ab illo incipe quod tibi in mentem uenerit enodando. SE. Schedam accipiam in qua scripta sunt ne errem, & primum quod occurret referam, nam per meæ schedæ ordinem incedens nullum præteribo unguentum, quoniam si ut in mētem uenerint referre uoluerim multa præterire possem, quæ menti non subirent, at omnia in hac schæda ita in ordinem redacta sunt, ut labella in meo sunt pharmacopolio dispositā. BRAS. A primo igitur incipias ne in hoc ordine referēdo tempus incassum conteratur.

SENEX III.

Omnibus in mea charta descriptis unguentis rosaceum carceres aperit. BRAS. Neq; ab re quoniam inter unguenta proprie numerari posset, nam suauem spirat odorem, at à quo authore illud accipis? SE. A Mesue. BRASA. Et hoc Mesue rosaceum apud omnes Italiæ pharmacopolas in usu est. BRAS. Compositionem afferto. SE. Ita conficio ut Mesue ipse facit.

Recipe axungiæ porcillæ recentis quantitatem quam uolueris

uolueris, & lauetur in aqua calida nouies, & tantundē cum frigida aqua lauatione ultima, deinde teratur cum ea rosarum rubrarum recentium quantum ipsa est, & dimittatur marcescere per dies septē, deinde coquātur cum facilitate, & colētur, & iterum tantūdem rosarū terantur, & per alios septem dies dimittatur, & fundatur supra eiuscemodi compositionem succi rosarum citer partem dimidiam, olei amygdalini partes sex, & iterū coquatur cum facilitate usq; ad succi cōsumptionem, deinde reponatur, & administretur. BRASAVOL. Hæc est unguenti rosati, apud Mesuem compositio. At Mesue nōnunquam addit opium. SE. Non me latet: nam statim sequitur, Et quandoq; disrumpitur in aqua rosata parum opij, & proijcitur in decoctionē, & est mirabile ubi oportet, & proprie quando uigiliæ adsunt. BRAS. Nullus tamen est in Italia qui opium addat. SE. At addi potest, uerum ad quos affectus utilis est eiuscemodi unguentum? BRAS. Ad illos quos Mesue refert: nam inflammationes sedat erysipelata, et ignem persicum, sodæq; calidæ confert, & stomachi inflammationi, atq; hepatis. SE. In soda debet ne caput inungi? BRAS. Immo debet, quia ad nullum aliū usum effectum est, præterquā ut eo partes inungantur. SE. Ad qd lauare in aqua calida, postea in frigida? BRAS. Primo in aqua calida lauatur, ut emolleſcat axungia, & pelliculæ quædam, quæ axungiæ insunt facile remoueri possint, adde id auferri quod in ea superflue ungit, hæc ab aqua calida facile præstantur, postea per frigidā aquam axungiæ lotio perficitur, et si quid habuerit admisti salis cum prædictis lotionibus aufertur, uel si quid

rancidi

rancidi nacta sit. SE. Quid intelligit Mesue per ultimam lotionem? BRAS. Nihil aliud quam exquisitam lotionem. est Arabum loquendi modus: cum enim alicuius perfectionem annotare uolunt, utuntur uocabulo ultimum, ac si dicant extremum, & exquisitum: quãquam dici posset ultimam lotionem in frigida aqua fieri oportere. At tu dicito cur album efficitur eiuscemodi unguẽtum cum rubras recipiat rosas, & rosarum succum SE. Recipit prorsus rubras rosas, et succum, sed colantur et in agitatione remittitur color, qui neq; albus est, sed in luteum uergit. BRAS. Immo si diu agitetur album efficitur unguentum & odoratum: iussi nonnunquam olei amygdalarum dulcium loco rosaceum omphacinum recipi, et inflammationibus mire contulit: nam ipsis magis aduersabatur, quàm faceret unguentũ rosaceum ex oleo amygdalarum dulcium. SE. Cur Mesue dixit marcescere? BRAS. Arbitror mendosum esse codicem, & legendum esse macerari: quamquam & legi possit marcescere, quia corrumpũtur non quidem tali corruptione ut fœteant, sed tali ut eliquẽtur, nam rosæ per triplũ, & amplius spacium in axungia lota seruari possent: tamen non marcescerent. SENEX. Vidi nonnullos qui secunda uice percolabant, & alios qui non percolabant, quid agendum censes tu? BRASAVOL. Non dubito percolandum esse, ne rosæ in compositione uideantur. SE. Illi tamen qui non percolabant, diligentissime pinsebant. BRAS. Quantum lubuerint pinsant, rosarum uestigium semper pmanebit: si uero percolentur non permanet: uerum quo instrumento uteris ad percolandum? SE. Saculo tela crassa confecto, uel

prædensa

prædenſa ſtaminea, ut uocant, & torculari exprimo. BRAS. Probe agis: at cum fuerit eliquatum, ſi uehementer tractetur ac ducatur album euadit: nonnunquã cum eo uti uolo, iubeo bis uel ter roſacea aqua lauari, ad infrigidandum conuenit: neq; eſt adeo frigidum ut Galeni infrigidans: unde ubi non eſt magna infrigidandi neceſſitas eo utor loco Galeni infrigidantis, quando opium addere uolueris in quanta addis copia? SE. in tanta quanta ab authore refertur. BRAS. At author quantitatem minime refert, quippe nimirum inquit, & quandoque diſrumpitur in aqua roſacea parum opij: hoc uero quod dicitur parum, relatiuum eſt, et nullam ponit certam quantitatem. SE. Nullam pfecto & cauſam ignoro. BRASA. Scis ne axungiæ recipiendæ quantitatem? SE. Neque ab authore hoc refertur. BRAS. Tamen potes illam quantitatem accipere, quæ tibi luberit, idem de opio efficere poteris, iccirco regulam hanc ſeruato, pro ſingula unguẽti uncia ſingulum opij granum commiſceatur, cum opio magis adhuc infrigidat, & cum uigiliæ adſunt mire prodeſt, frontem inungendo, tempora, & nares. SE. Eſt ne huius unguenti apud Galenũ facta mentio? BRAS. Meminit prorſus unguenti roſati Galenus, at non eſt compoſitio qualis hæc eſt, ſed eſt purum oleum, nam olea odorata, & quæcunque ſimilia odorẽ ſpirantia ab antiquis unguenta uocabantur, ob hoc Galenus in quinto Methodi medendi libro ad dimidias ferè libri partes roſaceo utitur, & illud uocat unguentum quod & multis alijs in locis facit. SE. Reperitur ne apud antiquos alios, ſi non apud Galenum? BRAS. Non reperitur, quod ſci-

uerim

uerim, inter alia uero quibus conuenit, illud est præcipuum quod hæmorhoidarum ardorem sedat, in hoc etiã uolo te esse admonitum, cum inquit olei amygdalarũ dulcium partes sex, legendum esse partem sextam: nam sexta esse debet totius compositionis pars. SE. Mihi uidebatur mirum quomodo tanta huius olei copia ingredere tur, & tantam copiam nunquam apponebam. BRAS. Et hoc etiam est quod multos pharmacopolas errare facit, et in uno pharmacopolio unguentũ liquidius, in alio minus liquidum inuenies, ut quisq; pro libito huius olei summam apponit. Verum satis est totius compositionis pars sexta: hoc eodem modo possunt fieri, & ex uiolis, & ex alijs odoratis floribus unguenta. SE. Cur axungiã recipit, potius quàm butyrum, uel pingue aliquod? BRAS. Quia cum probè lota est nullum habet odorẽ, & omnes recipere apta est, ut nostri myropolæ oleum de rosetis (ut eorum uerbis utar) oleum de citrangulis, & eiusdem generis alia ex oleo amygdalarum dulcium conficiant, quia uel minimũ habet exotici odoris, et odores alios recipe potest. in hac uero dote omnia alia oleorum genera oleum balaninũ ex glande unguẽtaria confectum exuperat, quod oleũ de Been uulgo uocatur. Et id myropolæ ad suscipiendos odores cæteris lubẽtius accipiunt. Docet & Dioscorides libro secundo modum abluendi suillam adipem, et de odoratis adipibus pertractat, quæ diuerso fiunt modo, ad hunc eundem modũ multa unguẽtorum genera fieri possunt, ut uiolaceum, nenupharinum, amaracinum. BRAS. Hoc me non latet, uerum ad aliam unguenti speciem considerandam accedamus. SE. Vt lubet. BRAS. Illã igitur in exa-

men

men afferas, quæ secundo loco in tua sceda scripta est.

SENEX. IIII.

Vnguentum infrigidans Galeni uocatum sequitur.

BRAS. Neq; ab re, quia ubi infrigidare tam uehementer animus non est, rosaceo utimur unguento, ubi uehementius infrigidare, hoc Galeni. At quomodo illud conficis? SE. Vt Mesue facit Galeni cerotum ultimum in infrigidatione ualens ad febres acutas, & sodam calidam pulsatiuam.

Recipe ceræ albæ unc. I. uel lib. I.

Olei rosati omphacini unc. IIII. uel libras quatuor

Aquæ fontis claræ, & proprie uehementis frigoris quantum sufficit, oleum multoties & bene lauetur lauationibus multis, & quanto magis elaboratur in lauando illud fit excellentius. BRAS. Quomodo aquam, & oleum simul misces ut oleum lauetur? SE. Ego simul misceo oleum, & ceram ut ex ipsis mixtis unum corpus euadat, quod postea lauo. BRAS. Quot uicibus lauas? SE. Numerum nõ habeo, sed toties lauo, contrecto, & lauando misceo q; album efficitur. BRAS. Veram habes lauandi regulam. nam toties lauari debet ut album efficiatur. cumq; unguentum hoc haud esse album uidebis, illa non esse probe lota iudicato, uel saltem nõ fuisse pbe ducta, aut agitata spatula, uel baculo. tamẽ & seorsum lauatur oleum aqua in phiala, uel in uitrea cucurbita. SE. Cum bis, aut ter fuerit elotũ quid facit amplius elotio? BRAS. Semper aliquid pinguis ab oleo aufert, & aliquid mellis à cera, & frigidius semper euadit, frigidaq; aquæ qualitas uehementius imprimitur, nam frigidissima aqua lauari debet. SE. Nonnulli sunt

qui

qui rosacea lauant: est ne melius? BRAS. Immo peius, quia non est adeo frigida, ut aqua fontis, uel alicuius nostratis putei, nam frigidissimam opus est accipere aquam. adde & hoc unguentum humiditatem exigere, quia eo plerūq; utimur ad infrigidandum unà, & humectandum. at maiorem humectandi uim huic praestabit aqua fontis q̄ rosacea, quæ forte illi non nihil addet siccitatis, forte cōuenire posset quando laxiora mēbra à nobis inungenda sunt, quæ aliquo adstringēte semper indigent: tale membrum iecur est. SE. Iecur ergo hoc infrigidante inungendū quandoq; est? BRAS. Cur eo nō inungēdum iecur, si sit opus? SE. Arbitrabar lumbos, ac renes hoc esse inungendos, & nunq̄ ad alium finē uendidi, quàm ad istum. BRAS. Quid scis tu an pro dorso, an pro alio membro fuerit emptum? SEN. Ita semper audiui. BRAS. Tamen plerūq; alia refrigero, & humecto isto linimento membra. uerum absq; aceto uideris conficere medicamentum. SE. Nondum finiui, nam cum ad acetum peruenerāmus, impediuisti me ad alia sermonem conuertendo, at Mesue ita sequitur. Vltimo uero conquassetur cum aceto albo, & claro, & pauco, & seruetur. BRAS. Hoc album Galeni unguētum (ita enim ab aliquibus nominatur) uel ceratum infrigidās, ut Galenus in decimo Methodi uocat, uel ceratum album est in maximo apud medicos usu in febribus cum dorsum, aut renes dolent, nos uero eo etiam utimur ad infrigidandum atq; humectandum cor, iecur, et alia membra, quæ his qualitatibus indigent. SE. Cum à Mesue dicatur esse Galeni compositionem quo nam loco de illa pertractauit Galenus? BRAS. In decimo

Methodi

Methodi, classe septima, pag. 64. H. SE. Fit ne eodē modo, ut retulit Mesue? BRAS. Mesue arbitratur Galeni cōpositionem descripsisse, sed rem exquisite non est assecutus, quia Galenus aquam in cōpositionem recipit. SE. Galeni modum addiscere optarem. BRAS. Si aures erexeris Galeni modū te docebo, & ipsius uerba referam. de his loquitur quæ in febribus refrigerēt, atq; humectent, & ait. Incipiam autem ab eo medicamine, q̄ omniū quæ humectent ac refrigerent est simplicissimum, quo etiā aduersus erysipelata utor, & phlegmonas in pudendis, utiq; inter initia, priusq̄ depascens aliqua subindicetur putredo. Præparādi uero modum statim edocet cum ait. Debebit autē ad id præparata esse cera q̄ optima, & elota, En q̄ ipse ceram lauat, & docet quæ nā sit optima cera inquiens, Sane optima fuerit uel alba pontica, uel quæ ex atticis fit fauis, Esto autem & rosaceum quod ex oleo fit à nonnullis uocato omphacino, ab alijs crudo, quodq; citra salem sit confectum. Maxime uero ad rem pertinebit, si & ipsum oleum tenuiū prorsus sit partium cuius modi sabinum est. Cum utiuoles, ambo mixta liquantor in uase duplici. Factoq; humido cerato (cuiusmodi, s. erit quod triplum aut quadruplum ad ceram rosaceum habet.) SEN. In hoc mihi placet Galenus qui ad uncias aut libras non se determinat, sed accipit ceræ quantum lubuerit, olei rosacei ad triplum aut quadruplū. BRASAVOLVS. Fit mollius si oleum ponas ad quadruplum, si ad triplum minus molle. SENEX. Compositionem obsecro prosequaris. BRAS. Ita Galenus sequitr, Postquam ipsum fuerit refrigeratum, ei paulatim, in mortario, tantum

aquæ

quæ addatur, quantum in se dum cum ea molliatur acci
pere posit. SE. Erit ergo perpauca aqua. BRAS.
Erit prorsus perpauca, sed intelligitur cerã esse prius
egregie lotam. sequitur deinde Galenus. Expedit autem cc
& ceratum ipsum prius admodum esse refrigeratum, at cc
que etiam quæ huic admiscebit aquam esse frigidissimã. cc
Abũde autem ceratum refrigerabis, si cum modice coi= cc
uit totum uas in quo continetur, in aquam frigidissimam cc
dimittas. SE. Galenus ergo acetum huic unguento non cc
miscet. BRAS. Nondum finiui, nam deinde sequitur.
Quod si aceti quoq; admodum tenuis, ac clari paululum cc
adijcere uelis, utiq; magis adhuc tum refrigerans, tũ hu cc
mectans medicamentum efficies. SE. Ergo necessario cc
non est apponendum acetum. RRAS. Non, ut ex Ga
leno patet, nisi cum illud uolueris frigidius & humidius
efficere, & magis penetrãs: hocq; notato de huius cera=
ti usu quod dicit Galenus. Non debebit autem medicamẽ
tum hoc eò usq; super ægrum corpus manere, dum mani
feste incaleat, sed assidue subinde mutari. SEN. Video
Galenum hoc uocare ceratum. BRAS. Et ceratũ re=
frigerans, nam ceram recipit, & ab effectu quẽ facit re
frigerans uocatur, immo Ferrariæ ab omnibus pharma
copolis Galeni refrigerans uocatur, ab alijs album Gale
ni ceratum dicitur, inualuit etiam cõsuetudo ut unguen
tum pro dorso, ab alijs p renibus nuncuparetur, cum tñ
& ad alia infrigidanda membra eo Galenus usus sit, &
conueniat. SE. Non uidetur ergo magna esse differen
tia inter adductam ex Mesue compositionem, & hanc
quam tu ex Galeno adduxisti. BRAS. Non est tanta
ut magnifacerem utram sumeres ac cõficeres: tamen Ga

leni mos seruãdus est, ut uiri authoritas conseruetur. meminit & huius cerati in primo de Simplicium medicamẽtorum facultatibus libro capite sexto: & in sexto de Sanitate tuenda. Sed hoc in libro aceti loco semperuiui succum miscet, solani, cotylidonis, psyllij, poligoni, tribuli, portulacæ, lactucæ, & aliorum. plærũq; iubeo ceratum cum aceto confectum semperuiuæ succo pluries lauari. Nota denique cum oleum rosatum omphacinum conficitur esse accipiendas rosas nondum perfectas, et nondum apertas, hoc à Mesue notatur in capite de Rosis, quia oleum ex his rosis confectum est magis stypticum. SE. Arbitror nullum esse ceratum in maiore usu quàm istud BRAS. Ita prorsus est, sed in maiori adhuc erit usu, si eo medici ad omnes infrigidandas partes, quæ infrigidatione indigent, utantur, & eo non utantur tantum ad renes infrigidãdos. At tertium propone in tua scheda descriptum unguentum.

SENEX V.

Vnguentum de Nenuphare citrino tertio loco sedem habet. BRAS. Nec ab re forte, ut infrigidans cerotum sequatur, cum & ipsum infrigidet. At à quo authore illud accipis? SE. Ignoro prorsus, & arbitror ex compositionibus esse quæ magistrales uocantur. BRASA. Hoc profecto fatebor i usum uenisse sub nullo authore, immo ut nullum habet authorem, ita est tam uaria compositio, ut duo Ferrariæ inueniri non possint pharmacopolæ, qui eandem præcise habeant compositionem quæ in pondere non differat, et in simplicibus. at tu quam seruas compositionem? SE. Hanc quam nunc audies.

Recipe

Recipe Olei de nenuphare citrino lib. III.
Pulueris florum nenupharis drachm. II.

Sandalorum rubrorum
Seminis acetosæ } Singulor. scrupu. I.
Coralorum rubrorũ

Ossis de corde cerui
Margaritarũ non perforatarũ } Sing. scru. semis.
Camphoræ grana. III.

Misce omnia pulueri zando, & cum modico ceræ nouæ ablutæ aqua rosacea fiat unguentum secundum artem.

BRAS. At tu modo aliorum pharmacopolarum compositiones audito. unus est, et tibi etiam perneces sarius, qui ita conficit.

Recipe olei nenupharini. lib. I.
Pulueris nenupharis citrini unc. I.

Sandalorum rubrorũ
Alborum
Coralorum rubrorum } Sing. scrup. IIII.
Seminis acetosæ

Ossis de corde cerui
Margaritarũ nõ perfor[illegible]rũ } Sing. scrup. II.
Camphoræ grana. XII.
Ceræ albæ unc. III.

Misce, & secundum artem confice unguentum. SE. A mea compositione in pondere penitus discrepat, & alba recipit sandala, quæ in mea descriptione non sunt.

BRAS. Audias & aliam compositionem, quam alius seruat pharmacopola. SE. Iam audio, & totus sum

aures. BRAS. Est hæc.

Recipe olei nenupharini. lib. III.
Pulueris nenupharis citrini unc. III.
Sandalorum rubrorum
Seminis acetosæ } Singulorũ unc. III.
Corallorum rubrorum
Ossis de corde cerui
Margaritarũ nõ perforatarũ } Sing. darch. II.
Ceræ albæ aquarosacea lotæ, uel nenupharis quantum sufficit.

Misce & fiat unguentum secundũ artem. SE. Et hæc compositio in aliorum simplicium ponderibus præterq̃ in oleo à mea differt, & camphoram non habet. BRA. Audias & alium nostratem pharmacopolã qui ita unguentum hoc conficit.

Recipe olei nenupharini lib. II.
Pulueris nenupharis citrini unc. II.
Sandalorum rubrorum
Seminis acetosæ } Singulorũ drach. III.
Corallorum rubrorum
Margaritarum scrup. III.
Camphoræ scrup. I. grana. IIII.
Ceræ unc. IIII.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. SE. Hæc compositio à mea differt in simplicium ponderibus, & os etiam de corde cerui prætermittit. BRAS. Non est magnum dispendium, ut deinde ostendemus. Dixisti hoc esse unguẽtum (ut uocatis) magistrale, si illud apud aliquẽ authorem inuenirem quid premij afferres? SE. Quid tibi luberet, sed arbitror non esse authorem ali-

cuius

cuius momenti. BRAS. Immo non est propterea illũ sponte prætermitto, à te petens quis nam sit ipsius unguenti usus. SE. Dicunt cor infrigidare, ac roborare, & potissimum in febribus. BRAS. Vnguentum est quo prsus carere oporteret, si quidem ad cor roborãdũ adhibeatur, Nympheam etenim cor roborare à nullo authore usquã dictum est, os uero de corde cerui, quod est ossea quædam cartilago, ita cordi confert, ut os de corde aselli, quod nihil penitus ad hoc ualet: ignoroq; unde ortum habuerit hæc fabella, quod cor roborare sit aptum, sola odorata cor roborare apta sunt. At neq; os de corde cerui, neq; nymphea odorata sunt, quia nymphea potius fœtet. demptis sandalis, ac camphora nihil est amplius quod redoleat, paucam præterea præbeo fidem in cordis roboratione margaritis. SE. Vt concipio tu compositionem hanc haud probas. BRAS. Minime omnium probo. Adde multo meliora adesse unguẽta ad cor refrigerandum quam istud, inter quæ ceratum album Galeni, quod infrigidãs uocatur potissimum est. sed aliud adde illa quæ in febribus refrigerãt non debere simul exiccare, quod facit hoc unguẽtum, propterea qñ opus est in febre refrigerare infrigidãte Galeni utaris, & si magis roborare uolueris, adde odorata frigida, immo & si aliqua etiam commisceantur calida, modo frigida superent, nihil refert. SE. Possum ergo in meo pharmacopolio unguentum hoc prætermittere. BRAS. Potes quantum ad me spectat, quoniam illo nunq; deinceps utar, & superioribus annis rarissime usus sum, sed illius loco Galeni infrigidante utar, aut simplici, aut aliquibus additis odoratis, ut cor magis roboret, nam sua

sponte refrigerat, et humectat, quæ qualitates non adeo egregie à nenupharino unguento induci possunt. SE. Veruntamen si illud conficere voluerim scire optarem quibus simplicibus uti deberem, & quomodo sit conficiendum. BRAS. Ego os de corde cerui, & margaritas à compositione abijcerem, ueluti ad unguenti intentionem inutilia. SE. At tu ad refrigerandum cor, atq; roborandum quo unguento huius nenupharini loco uteris. BRAS. Infrigidante Galeni cerato uterer, nam rosæ cor roborant quia odoratæ. tamen si uehementius infrigidare voluerim, & roborare ita unguentum parari iuberem, & cordis regionem inungi.

Recipe unguenti infrigidantis Galeni unc. III.

Sandalorum rubrorum } Sing. scrup. semis.
Luteorum }

Ambracani gra. I.
Musci granum semis.
Succi limonis unc. semis.

Misce. hoc ita paratum cor refrigerat, & uehementer roborat. SE. Posteaquam huic unguento fidem non adhibes, ad aliud quod in mea scheda sequitur considerandum transeamus. BRAS. Vt lubet.

SENEX VI.

Vnguentum Sandalinum sequentem locum occupat. BRAS. A quo authore accipitur. SE. A Mesue, licet ipse sub nomine cerati de sandalis illud referat. BRAS. De nomine non erit quæstio, compositionem ipsam adducito. SE. Hæc est quæ sequitur.

Recipe rosarum drach. XII.
Sandalorum rubrorum drach. X.

Alborum

Sandalorum alborum
Luteorum } Singulo. drach. VI.
Boli armeni drach. VII.
Spodij drach.. IIII.
Camphoræ drach. II.
Ceræ albæ drach. XXX.
Olei rosacei lib. I.

Conficiãtur, & administrẽtur. & sunt qui lauant oleũ, & ceram prius, & postea permiscent cum alijs, & est melius. BRAS. Lauas ne tu ista? SE. Semper laui. BRAS. Non probo rosaceum lauari, sed oleum potius é quo rosaceum coofectum est, debuit esse probè lotum, immo & esse omphacinum. SE. Ego ex communi oleo rosaceo conficio, quod prius probè abluo. BRAS. In hoc erras, quia rosaceo odorem aufers, atq; uires. SE. De odore ita esse experientia uidi, de uiribus autẽ ignoro. BRAS. Immo non ignoras, quia si odorẽ aufers, indicium est non esse amplius rosaceum, & rosarum uires amisisse. immo & hoc tibi addo non esse abluendam ceram, si albã accipis ut Mesue dicit, nam sæpius abluta est, insolata, atq; expurgata, non enim dicendum est accipiendam illam quæ multum alba est, de qua alicubi mentionem facit Galenus, quia eiuscemodi cera non habetur, nam alba quam habemus arte confecta est. SE. Ne autem arbitreris me aqua simplici hæc abluere, sed rosacea utor. BRAS. Vt lubet facito, tamen non est necessaria eiuscemodi lotio. SE. Est ne uerum quod sit ultimum ad sedandam inflammationem, & apostemata calida? BRAS. Immo non multum infrigidat, nam rubri, & lutei sandali caliditatem quãdam habent, atq;

ſpodium. De camphora ambiguum eſt num ſit calida an frigida, unde tantam frigiditatem in hoc unguento non percipio, ut extreme frigidũ dici debeat. SE. A Meſue dicitur ſedare ſupercalefactiones, quæ in ſtomacho ſunt & hepate, tamen nunquam uidi medicum qui hoc unguento ad liniendum ſtomachum uteretur, ſed omnes ad iecur infrigidandum eo utuntur. BRAS. Tamen uehementer non infrigidat, ubi uehementi indigemus refrigeratione. SE. Ad iecur igitur refrigerãdũ quo uti deberemus? BRAS. Galeni infrigidante, & eo iecur liniri. cum autem iecur ſit membrum laxũ neceſſe eſt linimẽta quibus deliniri debeat, aliqua ſtyptica ſemp recipere, & aſtringentia, Iccirco ad iecur refrigerandum infrigidante Galeni utor cum portiuncula ſandalini: cum uero iecur reſolutione indiget, oleo de abſynthio utor, cui nonnihil addo ſandalini unguenti. & licet Galeni refrigerans roſacei ratione aliquã habeat ſtypticitatem, tamen tanta non eſt, quantã exigit iecoris mollities, ego que hoc utor unguẽto ubi mediocriter exiccare, & non calefacere opus eſt, ut in renibus nonnunq̃ contingit. in sũma igitur unguẽtum hoc uel ceratũ non eſt uehementißimum infrigidans inflãmationum, & calidorum apoſtematum, licet adſtringat, & laxa mẽbra roborare poßit. SE. Sunt ne antiqui de hoc cerato locuti? BRAS. Non quod ſciuerim, & quomodo eorũ quiſpiam de hoc cerato tractare potuit, cum apud antiquos ſandali eſſent ignoti? nam Arabes ſunt ſandalorũ inuentores, & ab Indis ad nos deferũtur. SE. Aliquos audiui de ſandalis diſceptantes, & omnibus albos præferentes. BRAS. Decipiuntur hi, nam alij potius præ-

ſtant,

stant, quia odorati, albi uero nihil penitus habent odoris. At de sandalino unguento satis dictum erit, si huc Serapionis cõpositio adducatur, quam refert tractatu septimo de Antidotis capite uigesimo septimo quæ est Dimat de sandalis, & ita conficitur.

Recipe rosarum drach. X.
Sandali albi
Rubri } Sing. drach. V.
Croci drach. II.
Camphoræ drach. I.
Ceræ unc. I.
Olei rosacei unc. IIII.
Misceantur, & administrentur.

SE. Est minor compositio quàm illa Mesue. BRAS. Nonnulli Ferrariæ sunt qui in tota compositione in pondere differunt, & ita conficiunt.

Recipe ros. rub. unc. II.
Sandalorum rubrorum drahc. XX.
Citrinorum
Alborum } Singul. drach. XII.
Boli armeni drach. XIIII.
Spodij unc. I.
Camphoræ unc. semis.
Ceræ albæ unc. VII. & semis.
Olei rosati lib. II.

Misce. Alij ponunt in compositione cõi ceræ unc. VI.

SE. Quem sequi debeo? BRAS. Mesuem.

SENEX VII.

Vnguentum de Semperuiua ad examen uenit. BRAS. A quo authore istud accipis? SE. Authorem prorsus ignoro

ignoro, sed à quibusdam audiui uocari unguentum de semperuiua Domini Bernabonis, ab alijs unguentum de semperuiua Montagnanæ. BRASA. Parum refert siue huius sit, siue illius authoris, nã illorum nemo famigerabilis est, & potius fibulis calciamentorum Galeni fides adhibenda est, quàm his oĩbus simul. SE. Tamen & ij fuere suo tempore probi uiri, diuites & qui in medica facultate multa negotia agebant. BRAS. Quod dicis profectò uerum est, tamen non sunt antiquioribus conferendi. At cõpositionem ipsam referto. SE. Hæc est quæ sequitur.

Recipe Olei uiolati rosati | Singulor. unc. I.

Pinguedinis anseris drachm. VI.
Succi semperuiuæ. unc. III.

Bulliant omnia simul usq; ad succi comsumptionem, postea adde croci scrup. I. & fiat unguentum. BRAS. Emollit unguentum hoc, & infrigidat, hocq; uehementius facit quàm Galeni infrigidans, sed non adeo penetrat. iccirco dici potest Galeni infrigidans magis refrigerare intrinsecas partes quàm unguentum de semperuiua. At in superficie magis infrigidat unguentũ de semperuiua, quam Galeni ceratum. hoc inungi possunt & iecur, & renes, & omnes partes quæ in superficie refrigeratione indegent, & si una durities adesset emolienda magis conueniret. SE. Cur succus in hoc unguento consumi debet? BRAS. Quod in hoc dico, idẽ in omnibus alijs intelligito quæ succos recipiũt, cum herbarum succi

succi cito corrumpãtur, propterea si oleis miscerẽtur, omnia simul corrumperentur: iccirco ars modum inuenit uim succorum seruandi, quamuis succi ipsi absint, qui alioqui totam cõpositionem corrumpent: una igitur causa est cur consumi debeant succi putredo quæ in tota cõpositione sequeretur: in illa uero ebullitione, et si aliquo modo succi frigiditas remittatur: tamen in oleum imprimitur, ac recipitur, uisq; sempuiuæ seruatur, immo & præsente pinguedine magis adhuc seruatur, quia illi magis inhæret. præterea succi consumuntur, quia semper in magna sunt copia, magnaq; fieret compositio, si integri in compositione seruarentur. Adde & in hac ebullitione, maiorem acquiri succis penetrationem. SEN. Cur additur crocus? BRAS. Ad emolliendum simul cum pinguedine, propterea ad inflãmationes maturandas aliqui unguento isto usi sunt. SE. Quodnam oleum rosaceum accipi debet? BRAS. Omphacinum quando infrigidare intendimus. At si non intenderemus tam refrigerationi quàm maturationi rosaceum simplex potius conueniret. SE. Rari sunt qui hoc unguento utantur. BRAS. Tamen in tuo illud seruas pharmacopolio. SE. Seruo prorsus, quia nonnunquam in usum uenit, aliqui eo utuntur ad combusta. SE. Fit ne apud aliquem authorem ex Arabibus saltem huius unguenti mẽtio? BRASA. Non quòd sciuerim, tamen Serapio cuiuspiam cataplasmatis ex semperuiua mentionem facit, Tractatu septimo, capite uigesimo septimo, quod iecori duro ex caliditate confert. SE. Serapionis descriptionem libenter audirem. BRAS. Audies si aures accommodabis. Ita enim inquit Serapio.

Recipe

Recipe summitatũ semperui
uæ recentis
Summitatum uiolarum
siccarum
Summitatum rosarum
siccarum
Sandallorum alborum
} Singu. aur. IIII.

Camphoræ drachm. I.
Dhererati non aromatizati aur. I.
Ceræ sextaria III.
Olei rosati quantum necesse est. misceãtur, & administrẽtur. SE. Alia compositio hæc est ab unguento de semperuiua, tñ ab ipsius intentione non multum dissentit. BRAS. Non ut uidetur. alij sunt Ferrariæ pharmacopolæ, qui tale seruant de semperuiua unguentum.

Recipe olei rosati
uiolati
} Singul. unc. III.
Pinguedinis anseris unc. II. drachm. II.
Succi semperuiuæ unc. VIII.
Ceræ citrinæ unc. I. drachm. II.
Croci drach. I.
Misce, & fiat unguentum secundum artem. SE. Crocus hic additur ex superfluo. BRASA. Veruntamen & Ferrariæ, & Venetijs alij sunt pharmacopolæ, qui maiorem & ampliorem conficiunt compositionem, ita uero componunt.

Recipe Lithargyrij unciam semis.

Tutiæ

Tutiæ præparatæ
Ceruſſæ } Sing. unc. I.

Maſtiches
Sandaracæ } Singulor. drachm. II.
Sarcocollæ

Olei roſacei libr. II.
Ceræ albæ unc. VIII.
Succi ſemperuiuæ unc. IIII.

Miſce, & ſecundum artem fiat unguentum. SE. Niſi me coegeris illam ſemper ſeruabo de ſemperuiua quam retuli compoſitionem. BRAS. Et ego ſemper illam ſeruandam eſſe intelligam.

SENEX. VIII.

Ad unguentum ergo de Plumbo pedem conferamus. BRAS. Conferamus & manus, ſi pedes non ſint ſatis, uerum à quo authore accipitur eiuſcemodi unguentum? SE. Audiui compoſitionem eſſe cuiuſpiam Leonardi de Berta palea Patauini. BRAS. Fuit ſuo tempore laudatus uir ille: & quod potuit in hac arte adimpleuit. Eo enim tempore quo ille ſcripſit, aderat et librorũ, et præceptorum inopia, tamen finem ſuum aſſecutus eſt, & unguentum hoc in capite de Eryſipelate deſcripſit: quod inquam unguentum in maximum uenit uſum ad infrigidandum, & exiccandum, ut in tota Europa iam receptũ ſit, & in omni inueniatur pharmacopolio: ſed huc ex quibus conſtat adducito, ut compoſitionem ipſam contẽplemur. SE. Hæc eſt huius unguenti compoſitio.

Recipe plumbi uſti cum ſulphure
Lithargyrij } Sing. unc. II.

Ceruſſæ

Ceruſſæ
Antimonij } Singulorum unc. I.
Olei roſacei quantum ſufficit.

Miſce, & fiat unguentum molle. BRAS. Refrigerat, et exiccat, propterea eryſipelas inungendum eſt, quoniam caliditas ipſo remittitur, & materia exiccatur, quæ eryſipelas facit. ſerpentibus etiam confert ulceribus, cancris, & omnibus in ſumma exedentibus, quia ſua frigiditate materierum acritudinẽ ſedat. SE. Audiui in his caſibus multum conferre. BRASA. Etim alijs etiam ſimilibus ubi exiccare, & refrigerare oportet, ſed quomodo aduris ex ſulphure plumbum? SE. Plumbeas laminas accipio, quas poſtea in ollam pono, et ſupra eas nõnihil ſulphuris inijcio, ac extendo, demum laminas alias abrado, et ſupra primas extendo, ſulphur etiam ſuper inijciendo, & extendendo, hocq; quater, quinquies, & ſexties facio, quoàd olla ſit plena, poſtea ſupra ollam ignem accendo. cum plumbum inflamatur ferrea uirga commiſceo, quoàd plumbum in cinerem conuertatur, ut nihil penitus de plumbi ſubſtantia relictum ſit, quin ſit totum in cinerem cõuerſum, poſtea ab igne remoueo, & infrigidari ſino, interim uero et nares mihi claudo, & euito ne oculos meos fumus ille pertingat, nam oculis perniciosus eſt, et cerebro. BRAS. Probe facis, tamen alius adeſt comburendi plumbum modus, ſi ſcilicet limetur, et in ſcobẽ deducatur, poſtea cum illo ſulphur miſceatur, deinde olla igni apponatur, & ferrea uirga agitet, nam ita fit & plumbi aduſtio, et à multis probatur pharmacopolis, prima uero aduſtio lucror eſt. SE. Alium etiam huius combuſtionis modũ refert

refert Seruitor, est uero accipienda ceruſſa de plumbo ſulphuris loco. Hiſpani plumbum accipiunt, & in aurificis furnum ponunt, folleq; inflant, donec comburatur, deinde ſulphur ſupra illud ponunt donec combuſtum ſit, cum erit combuſtum colligunt, & ad uſus reſeruant. BRAS. Hoc eſt profectò aduſtum plumbum, & uno quoq; modo aduſtum eſt, tamen primus ille quem adduxiſti modus mihi prſus arridet, ueruntamen omnes hi modi in libello ſcripti ſunt, qui ſeruitor nuncupatur. Non ne omnia quæ compoſitionem hanc ingrediuntur, ſupra porphyricem lapidem extreme teris? SE. Id prorſus facio, quamuis & nonnulli ſint quibus ſatis uidetur omnia in puluerem redigiſſe. BRAS. At illud exquiſitius eſt, & unguentum pulchrius, atq; efficacius euadit, præſertim ſi in plũbeo mortario (ut fieri debet) conficiatur. aliqui tamen Ferariæ ſunt ſeplaſiarij, qui alio conficiunt modo, & in pondere differunt, neq; antimonium addunt. SENEX. Quomodo hi conficiunt? BRBS. Hoc modo.

Recipe olei roſacei lib. I.
Ceruſſæ unc. III.
Plumbi uſti loti unc. III. ſemis
Ceræ albæ unc. IIII.
Miſce. SE. Iam differentiam agnoſco & in ponderibus, & quia antimonium prætermiſere, ſed unde tanta diuerſitas ortum habuit? BRAS. Ex uarijs (ut arbitror) ſcriptoribus, qui ita compoſitiones immutarũt, at alios audias ita ad conſolidandum conficientes.

Recipe ceruſſæ unc. ſemis
Camphoræ drach. II.

Plumbi

Plumbi usti drach. I.
Bulliant in aqua rosacea & de super injce
Aquæ rosarum unc. II.
Olei rosati unc. I.
Boli armeni unc. semis
Ceræ albæ drach. II.

Misce, & fiat unguẽtum secundũ artem. Alij præterea sunt & Venetijs, & Romæ, qui sequentem parant ac seruant compositionem.

Recipe Litharg yrij
Thuris
Plumbi usti
Aceti
} Singulorum unc. IIII.

Succi solatri
Olei myrtini
} Singulorum lib. I. semis

Succi glycyrrhizæ
Succi saluiæ
Succi scillæ
} Singulorum unc. VI.

Camphore unc. III.

Cum modico ceræ fiat unguentum in mortario plũbeo. SE. Ex tot rebus nunquam fieri audiui. BRAS. Iccirco neque ego hanc compositionem probo, sed potius tuam parato, quam superius adduxisti compositionem, & seruato.

SENEX. IX.

Ad unguentum de Minio me conferre oportet, quoniã suam sedem post unguentum de plumbo habet. BRAS. Et authorem à quo accipis adducito, & compositionem explicato. SE. A quo authore accipiatur ignoro, tamẽ ita conficio, ut à recentioribus scriptum est, nam Minij

lib. I.

lib. I. et sem. accipio, olei cõmunis lib. I. lẽto igne coquo, & in magdaleones reduco. BRAS. Alij accipiunt minij lib. I. olei rosati uel olei myrtini lib. II. miscent & implingulã æreã ponunt, et lento igne bulliunt ad olei cõsumptionem, spatula semper agitando ne aduratur, sed in bonam formam reducatur. SE. Hoc est quod facit ut aliqui habeãt liquidius hoc unguentum, aliqui minus liquidum, aliqui durius, immo illud quod ego seruo adeo durum est ut ceratum uocari posset, (accipiendo nomen ceratum ut à recentibus accipitur). BRAS. Simplicissimum est hoc unguentum, quia nihil recipit præter oleum & minium, ualet ad inflammatas partes, ad erysipelata, ad supercalefactas partes, præsertim quando exiccatione simul indigemus, in malignis ulceribus calidis cõuenit, et in summa ubi frigiditas exigitur, atq; siccitas. SE. Probas ne ut commune oleum potius accipiatur quam rosaceum, uel myrtinum? BRASA. Nemo ambigere debet rosaceum, atq; myrtinum ad unguentum intentionem potius accedere quàm commune oleum, quoniam rosaceum frigefacit, roborat, atq; exiccat, præsertim si omphacinum accipiatur, magis exiccat, si cum myrtino fiat. reperitur apud authores barbaros eiuscemodi unguentum ut apud Argillatam & Bertapaleam, authores quidem suo tempore celebres, sed quibus & libri deerant atq; linguæ, nec adeo erant in compositionibus, ac simplicibus uersati ut nunc homines sunt. SE. Ex his quæ dixisti nullus est antiquus author qui de hoc unguento pertractauerit. BRAS. Nullus quem sciam.

Vnguetum igitur Apoſtolorum contẽplemur. BRASA. Vt lubet, ueruntamen unguentum hoc antiquiſſimum eſſe nõ poteſt, cum mille quingenti, & uiginti anni ſint quòd extitere Apoſtoli, nec mirum quod ab Apoſtolis aliquod unguẽtum, uel linimentum denominatum ſit, ac compoſitum, quia Apoſtoli inungebãt ægros, & ſanabantur, ſed à quo authore illud accipis? SE. Ab Auicenna in quinto Canone. BRAS. Ipſius compoſitionem ediſſeras. SE. Hæc eſt quæ ſequitur, quam unguentum apoſtolicum nominari dicit, & unguentum Veneris, forte quia puſtulas ſanat, quæ ſupra uirile mẽbrum excitãtur, dum hõ per uteri labia uirile membrũ in ueneris agitatione perfricat, inquit uero Auicenna,

Recipe terebinthinæ
Ceræ albæ
Reſinæ } Singul. drach. XIIII.

Oppopanacis
Floris æris } Singul. drach. II.

Ammoniaci drach. XIIII.

Ariſtolochiæ longæ
Thuris maſculi } Sing. drach. VI.

Myrrhæ
Galbani } Singul. drach. IIII.

Bdellij drach. VI.

Lithargyrij drach. IX.

Infundatur bdellium in aceto uini, & decoquatur in æſtate cum duabus libris olei, & in hyeme cum tribus libris. BRAS. Facis ne tu quantitatis differentiam in

oleo

oleo in hyeme, & in æstate? SE. Vt ingenue fatear raro duas libras excedo. At tu hoc mihi indicato, Pharmacopolæ illi, qui ab æstate ad hyemem totam cõpositionẽ non uendunt, nihil tamẽ olei addunt, hoc ne faciunt? BRAS. Et hoc est quod quandoq; durius est eiuscemodi unguentum, quandoq; liquidius. At pharmacopolæ sunt longe in hac compositione differentes non solum Ferrariæ, sed & in tota Italia, ignoroq; unde suas illas compositiones acceperint, nisi suos quosdam receptionum libros sequãtur, & non authores. SE. Ni pigeat diuersitatem mihi ostende. BRAS. En quidam terebinthinam nõ apponunt, & in ponderibus uariant hoc modo componentes.

Recipe ceræ albæ unc. V. & semis.
Resinæ pini unc. II. & semis.
Oppopanacis drach. VI.
Floris æris unc. II.
Ammoniaci drach. XIII.
Aristolochiæ rotondæ } Sing. drach. VI.
Thuris }
Myrrhæ } Singul. drach. III.
Galbani }
Bdellij drach. VI.
Litharg yrij drach. IX.
Olei communis lib. II.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. SE. Video hos prætermisisse terebinthinam, & in simplicium ponderibus multũ differre. BRAS. At si alios inspicies in tota ferè compositione differre quid dices? SE. Dicam illos à tota aberrare uia. BRAS. Ita igitur de

his dicere incipito, quoniam aliqui & Ferrariæ, & in alijs Italiæ urbibus ita conficiunt.

Recipe olei myrtini lib. I.
Terebinthinæ unc. IIII.
Viridis æris unc. II.
Galbani drach. VI.
Iridis drach. III.
Ceræ unc. III.

Miſce, & fiat unguẽtum ſecundum artem. SE. *Talem compoſitionem nunquam audiui, quãuis longæuus ſim, & per multa uerſatus pharmacopolia, ſed tu quam cõpoſitionẽ probas?* BRAS. *Illam quam ex Auicenna attuliſti, & omnes qui compoſitionem hanc conficiunt Auicẽnam ſequi debent, nam ab ipſo ſummitur hoc unguentum, & idem author dicit difficiles fiſtulas cum facilitate rectificare, & paruas ſtrumas, nec aliquid eſt ei ſimile, & muudificat uulnera ex carne mortua, & pure, & conſolidat, & dicitur quòd eſt medicina duodecim Apoſtolorum.* SE. *Arbitrabar Auicennã fuiſſe infidelem.* BRAS. *Et cur nunc ẽt idem non arbitraris?* SE. *Quia adducit Apoſtolos, & illorum numerũ noſcit.* BRAS. *Hoc non facit q̃ CHRISTI fidem ſecutus ſit, uel nõ ſecutus.* SE. *Hoc uerum eſt, ſed arbitrabar Auicennam extitiſſe antequã Apoſtoli ad apoſtolatum fuiſſent uocati.* BRASA. *Immo Auicẽna* M CXLIX. *annis poſt* CHRISTI *ortum uixit.* SE. *Fuere ne ipſius imuẽtores Apoſtoli?* BRAS. *Nõ (ut arbitror) ſed ita uocatum eſt, quia ex duodecim ſimplicibus conſtat, & oleo quod pro* CHRISTO *accipitur, immo fuere quidam fatui, ne dicam temerarij*

qui

qui conati sunt unũquodq; simplex medicamentũ secundum proprietatem unicuiq; Apostolo accõmodare, & oleum fecere CHRISTVM, quia CHRISTVS significat unctum. SE. Hoc est potius curiosum quam uerum. BRAS. Immo deridendum, sed audias quid contigerit ALEXAMDRO Pontifici maximo ex gente Borgia. Cum nonnunquã sordido ulcere in crure laboraret: chirurgus unguentum hoc apposuit: interrogauit Pontifex quod nã esset unguenti genus, respondit chirurgus esse unguentũ mirabile ab apostolis inuentoribus, Apostolorũ unguentum uocatum: cum recessisset chirurgus, & unguẽtum in ulcus agere cœpisset, & ad uiuam carnẽ peruenisset, sua acredine dolorem in crus inducebat, tunc Pontifex de chirurgo conqueri cœpit, utpote qui Iudam inter alios apostolos in unguento reliquisset: mirabatur enim de tãto dolore, nisi Iudas simul cum alijs fuisset mixtus. SE. Ridiculum profecto fuit Pontificis dictum. at reperitur ne apud antiquos hoc unguentum? BRAS. Compositionẽ aliam prius audito, quam nõnulli Ferrariæ parant, quæ à præscripta in põderibus differt, postea de antiquis uerba faciemus. SE. Quæ nam est? BRAS. Hæc quæ sequitur.

Recipe ceræ albæ unc. V. & semis.
Resinæ pini unc. I. & semis.
Oppopanacis, Floris æris } Singul. drach. VI.
Ammoniaci drach. XIIII.
Aristolochiæ rotundæ, Galbani } Singul. drach. III.
Bdellij drach. VI.

Litharg yrij drach. IX.
Olei communis lib. II.

Quæ sunt in puluerem redigenda redigantur, & setaceo cribro tenuissime excernãtur, gummi uero genera ad ignem applicentur, acetoq; dissoluantur, quibus dissolutis cera addatur, & deniq; oleum, & hoc totum percoletur, iterumque igni addatur, cum uero tepescere incepit spatula continue agitando, pulueres addãtur, et res aliæ, infrigidariq; sinatur, postea diu spatula agitẽt, & ad usus seruetur. SE. Pauca adest cum secunda quã attulisti cõpositione differentia uerum ad antiquas accedito. BRAS. Compositiones illæ, quæ æris æruginem recipiunt, omnes à Galeno in secundo de Compositione medicamentorum per genera uiridia medicamenta à colore nuncupantur, hæ uero compositiones omnes æris æruginem, & ceram recipiũt, immo cum huius unguenti intẽtio sit sordida ulcera emũdare, expurgare, atq; exiccare, si solam ceram acciperemus hoc efficere non possent, etiam si in sordidum inijceretur, nam neq; detergit, neq; exiccat, si uero ærugine sola uteremur, exederet, & phlegmonem excitaret, propterea ut hæc duo euitentur, hæc simul cõmiscet Galenus, & medium facit ex duodecim ceræ partibus, & una æruginis, in cõpositionibus uero supius enarratis plura alia sunt quã cera & ærugo. At apud antiquos diuersa scripta sunt uiridia, quæ ex his simplicibus aliqua recipiunt, quæ in Auicennæ compositione inserta sunt, nulla autem est cõpositio, quæ illam æquet. SE. Cum nobis tantum otij datum sit, ut quatuor horarum, immo & sex spatio unà loqui possimus, ne laborẽ subterfugias. Compositiones

aliquas

aliquas ex his antiquis adducendi, ut experiri possimus an cum ea quam seruamus compositione conueniant.

BRASA. En igitur simplicis emplastri uiridis apud Andromachum compositio.

Recipe resinæ lib. II.
Ceræ lib. I.
Olei cyathos duos
AEruginis unc. II. alij unc. III.

Misce. ualet ad purganda ulcera, et exiccandum. Gallus uero antiquus medicus tali uiridi usus est.

Recipe resinæ strobilinæ denarium põdo trecentorum
Ceræ denarium pondo centum
AEruginis rasæ denarium pondo quinquaginta
Thuris denarium pondo uiginti quinq;
Aceti quãtum satis est. ualet ad gangrenas putredines, nomas uetustas, & maligna. SE. Percipio animo ad unguẽti Apostolorum intentionem hæc cõuenire, tamẽ idem unguentum esse non possunt. BRAS. Sed & aliud uiride audias, quod fuit apud antiquos in usu, cuius compositio hæc est.

Recipe æruginis rasæ denarium pondo nouem
Chrysocollæ denarium pondo nouem
Terebinthinæ pondo minam unciarum sexdecim.
Ceræ minæ dimidium.
Aceti parum.
Misce. Aliud quoq; audito q̃ in usu erat.

Recipe æruginis rasæ pondo.
Mannæ unc. decem.
Sed Andromacus addit pondo libram.

Ceræ
Resinæ fractæ } Sing. pondo quinq;
Resinæ liquidæ
Olei cyathum.
Aceti quantum satis est.
Andromachus addit guttæ ãmoniaci pondo unc. X,
Misce. Aliud quoq; simile referã uocatum Molochinũ.
Recipe æruginis rasæ pondo.
Picis pondo duo
Mannæ pondo
Ceræ pondo duo
Resinæ pondo duo
Olei pondo
Aceti quantum sufficiat
Misce. Aliud etiam uiride refert eodẽ loco Galenus uocatum hecatondrachmon ex his constans.
Recipe guttæ ammoniaci denarium pondo octo
Squamæ denarium pondo duodecim
Mannæ denarium pondo octo
Resinæ siccæ denarium pondo duodecim
AEruginis denarium pondo octo
Seui uitulini denarium pondo quatuordecim
Resinæ terebinthinæ denarium pondo octo
Ceræ denarium pondo triginta
Olei quartam cyathi partem
Aceti quantum sufficiat
Misce. SE. Hoc uidetur quodammodo accedere ad nostrum apostolorum uocatum. BRAS. Immo hoc uti deberemus, nam ut Galenus ait magna uulnera glutinare potest, & sordida ulcera purgare, ubi ceratum inter

liquescendum

liquescendum adsumpserit, carni producēdæ est. priusq; uero liquefactum sit, crassas ulcerū oras sanare, et sinus iungere in totum digerere & repellere potest. SEN. Optimum est ergo eiuscemodi uiride. BRAS. Optimum quidem, sed aliud Epigoni uiride refert Galenus magis propinquum unguento apostolorum Auicennæ. ipsius confectio hæc est.

Recipe æris usti
Salis ammoniaci
AEris squamæ
AErugnis } Singul. denarium pondo octo
Guttæ ammoniaci hoc est unciam
Aristolochiæ
Thuris

Aloes
Myrhæ } Sin. sexquiplū, hoc est unciā semissem
Chalbani

Aluminis rotundi denariorum pondo sex
Resinæ colophoniæ denariorum pondo ducentorum
Ceræ dimidium, ideſt centum
Olei heminæ dimidium, alij quintam partem.
Aceti quantum satis est
Radicis dracōtij unciam semis, quod est denariorum pondo quatuor.

SE. Eiuscemodi compositio nostro uocato apostolorū unguento multum affinis est. BRAS. Sed audias & uiride Pasionis.

Recipe resinæ colophoniæ denariorū pōdo trecentorū
Ceræ denariorum pondo centum quinquaginta
AErugmis denariorum pondo octo

Aluminis

Alumminis rotundi tantundem
AEris squamæ denariorum pondo duodecim
Thuris denariorum pondo sexdecim
Aeris combusti denariorum pondo octo
Salis ammoniaci denariorum pondo octo
Olei dimidium cyathi
Aceti quantum sufficit.

SE. Mihi uidetur præcedentem compositionem nostro uocato apostolorum unguento magis affinem esse quam istam. BRAS. Ita prorsus est. sed Alcimionis uiride auditò, quod ita ab illo authore conficiebatur.

Recipe terebinthinæ denarium pondo ducentorum
Ceræ denarium pondo centum quinquaginta
AEris squammæ denarium pondo decem & octo
AEruginis rasæ denarium pondo sexdecim
Aluminis rotundi tantundem
Chalbani sex
Thuris denarium pondo decem
Salis ammoniaci denarium pondo duodecim
AEris combusti denarium pondo sexdecim
Aristolochiæ denarium pondo decem
Aloes indicæ denarium pondo duodecim
Myrrhæ denarium pondo sexdecim
Guttæ ammoniaci denarium pondo decem & octo
Chalbani denarium pondo duodecim, alij octo
Olei heminæ dimidium
Aceti tantundem

SE. Et hoc uidetur efficax unguentum. BRAS. Immo efficacißimum est, & ego unguenti Apostolorum loco hoc Alcimionis uterer. extant multa alia uiridia, quæ

quæ præducto loco à Galeno referuntur, tamen hæc quæ dicta sunt, satis uidentur ostendendum quod antiqui similibus uterentur unguentis nostro Apostolorum uocato. SE. Vis ergo ut unguenti Apostolorum Auicennæ loco hoc conficiam & seruem quod nunc adduxisti? BRAS. Hoc ipsum optarem, et ut alij medici ipso uterentur maxime conducibili. Nota præterea uiride æris, ut medico magis & minus abstergere placebit exedere, & exicare: augeri & diminui posse. SE. Poterit igitur & nostrum Apostolorum emplastrum uiride nuncupari? BRAS. Quid impedit? immo illum habet colorem, & ut Galenus præcitato loco docet, in similibus unguentis ærugo non modica immittitur, ut & aliorum colorem uincat, & omnia in suum permutet, tamen ut probè uiridis color seruetur, à Galeno regula quædam præbetur, cum ait. At inter coquendum non « oportet æruginem super ignem coeuntibus cõmittere, « uerum ubi in mortario unitas facta est, admiscere, si co- « lore uiride medicamẽtum permanere desideras. uerun- « tamen hoc prætermisso emplastro ad alia te conferas.

SENEX. XI.

Vnguentum pectorale suam sedem hic habet. BRAS. Vnguẽtum hoc ualde ambiguum est, quia diuersi diuersis utuntur unguentis quæ pectoralia uocant. At tu ipse quod nam seruas? SE. Illud tibi referam. BRAS. Referto igitur. SE. Est hoc quod sequitur.

Recipe mucilaginis psyllij
Tragacanthi
Gummi Arabici } Sing. unc. I.

Seminis

Seminis limi
Fœnu græci

Pinguedinis Gallinæ
Medullæ uitulinæ } Sim. unc. I. et ſ.
Butyri recentis loti aqua uiolarum

Olei uiolati } Sing. unc. I.
Amygdalarum dulciũ

Ceræ albæ quantum ſufficit. Miſce, & fiat unguentum molle pro pectore. BRAS. Vnguentum hoc diu ſeruari non poteſt quin ranceſcat. SE. Ego tam frequenter illud uendo, ut ranceſcendi tempus minime detur. nõ nulli tamen ſunt, qui totum parant, & pinguedinem nõ addunt, neq; butyrum: poſtea cum in uſum uenit hæc addunt, ne tempore ranceſcat. BRAS. Alij ſunt Ferrariæ, qui aliud ſeruant pectorale unguentũ. SE. Quod nam? BRAS. Iſtud.

Recipe pinguedinis Anatis } Sing. unc. I. & ſem.
Gallinæ
Butyri recentis unc. I.
Croci drachm. I.
Olei uiolati unc. II.
Ceræ albæ unc. VII.

Miſce, & fiat unguentum molle, quod poſtea aqua hordei tepida bis lauetur. SE. Hoc eſt unguentũ illud quod diu perdurare non poteſt quin ranceſcat. BRASA. Iccirco ego illo non utor quod ſeruant pharmacopolæ, ſed cum eo indigeo ſtatim indico ut fiat, & modo aliqua addo, modo diminuo, ut mihi opportunum uidetur: nam quandoq; ita indico.

Recipe

Recipe olei amygdalarum dulcium unc. II.
Violacei unc. I.
Pinguedinis gallinæ unc. sem.
Misce, & cum cera fiat linimentum molle.
Quandoq; ita simpliciter indico.

Recipe olei amygdalarum dulcium unc. II.
Butyri recentis unc. sem.
Misce. Nonnunquam in his qui in hecticam inclinant hoc modo indicimus.
Recipe Olei uiolati unc. III.
Amygdalarum dulcium unc. I.
Misce, & cum cera fiat liniamentum molle.
Nonnunquam pinguedines addo, & mucilagines, nonnunquam hæc prætermitto, at tunc pharmacopolis indico, cum uolo ut ægri eo utantur. SE. Memini præceptorẽ meũ alijs usum esse pectoralibus unguẽtis. BRA. Et tu illa refer to, ne uel iota unum prætermittamus.
SENEX. Hoc quod sequitur erat commune quoddam quod seruabat.

Recipe Olei liliorum albor ũ
Butyri recentis
Pinguedinis gallinæ
} Singulor. drachm. III.
Olei chamæmelini unc. II.
Amygdalarum dulcium unc. II.
Rosacei unc. II.
Ceræ albæ unc. III.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.
Aliud etiam seruabat in quorundam medicorum gratiam: erat uero hoc quod sequitur.

Recipe

Recipe Pinguedinis anseris, Gallinæ } Singulorum unciam sem.
Butyri recentis unciam unam
Croci drachm. I.
Ceræ albæ unc. VI.
Misce, & fiat unguentum molle, quod postea aqua tepida lauetur. BRAS. Posteaquam tu duo unguentorum pectoralium genera adduxisti, quæ in usu erãt dum adhuc puer esses, et pharmacopolarum artem addiscebas, ego tibi tria genera patefaciam, quæ nunc pharmacopolæ Ferrariæ seruant: immo et per totam ferè Italiã seruãtur: nonnulli etenim hanc compositionem parant.

Recipe olei liliorum alborum, Violati } Singulor. unc. IIII.
Pinguedinis gallinæ, Butyri recentis

Olei amygdalarum dulcium unc. II. drachm. II.
Ceræ albæ unc. I. & sem.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.
Alij sunt qui illam quæ sequitur seruant pro unguento pectorali compositionem.
Recipe Olei amyg. dulcium, Liliorum alborum, Pinguedinis gallinæ } Sing. unc. I. & sem.
Mucilaginis altheæ, Seminũ citoniorũ } Singulo. drachm. I.

Misce

Misce, & secundum artem conficiatur unguentum. Immo unus est Ferrariæ pharmacopola, qui hanc simplicem seruat compositionem.

Recipe olei uiolati } Singulorum unc. IIII.
Butyri }

Olei amygd. dul. } singulorum unc. II.
Ceræ albæ }

Misce. SE. Magnæ ergo sunt apud pharmacopolas in hoc unguento diuersitates. BRAS. Immo maximæ, nam aliam statim afferam cõpositionem, quam alij seruant Ferrariæ, ut rari sint duo pharmacopolæ qui eandem seruent cum alijs compositionem. SE. Illam igitur referto. BRAS. Hæc est quæ sequitur.

Recipe olei amygda. dul. unc. IIII.

Chamæmelini } Singulorum unc. III.
Violati }

Adipis Gallinæ } Singulorum unc. II.
Anatis }

Butyri recentis unc. VI.
Iridis subtiliter puluerizati drach. II.
Croci drach. semis
Ceræ albæ unc. III.

Misce, & fiat unguentum secundum artem omnia simul liquefaciendo, in fineq; iris ac crocus addantur, deinde tribus, aut quatuor uicibus hordei aqua tepida lauetur. SE. Et hoc etiam ex illis erit unguentis quæ facile rancescunt. Iccirco si pharmacopola frequenter non uẽdat seruari nõ debet. BRAS. Tñ opus est ut pinguedines serues. SE. Seruo, & quam optime coquendo, & zucaro tenuiter puluerizando aspergẽdo, butyrum uero

semper

semper ferè recens habetur. BRAS. Habentur apud Mesuem in capite de Asthmate pectorales inũctiones. at sunt olea simplicia. SE. Quam igitur hactenus cõpositionem seruaturus sum? BRAS. Nullam prorsus ex his compositionibus seruarem, sed sinerem medicum ut illi placeret indicere: nam multæ sunt affectiones quæ pectori contingunt, quarum unaquæq; diuersas expetit inunctiones, propterea communis inunctio pectoralis, quæ ad omnes affectus conueniat fieri non potest, nam quandoque affectio calida est, quandoq; frigida, quandoque humida, quandoq; sicca, quandoq; ex his commixta. Mihi igitur uideretur medicum affectum ipsum considerare oportere, & ut affectus exigit ita compositionem indicere: tamen quia plærunq; eiuscemodi unguenta ad tussim adhibẽtur, ad sputum excitandum, ad emolliendum, & pectus dilatandum: propterea à leuioribus incipere soleo, si febris adsit, uiolaceum oleum cum rosaceo miscendo, & ex cera linimentum parando, si febris absit oleum uiolaceum posthabeo, butyrumq; addo, deinde anatis pinguedinem, et gallinæ, post hæc mucillagines addo, deinde ad hoc aliud transeo.

Recipe Olei amygdalarum dulc. } Singulorum unc. II.
Liliorum alborum }

Pinguedinis anseris } Singul. unc. I.
Gallinæ }

Butyri unc. I. & sem.

Mucilaginis

Mucilaginis seminum
Lini
Psyllij } Singul. drachm. III.
Fœnugræci
Altheæ

Misce, & cum cera fiat linimentum molle, postea ex oleo de cheir conficio, et de hyssopo cũ prædictis rebus, iridisq; radicis puluerem addo, & liliorum alborum. Quãdoque simpliciter ita usus sum, in fine. s. postquam iusserim etiam fieri fomentum.

Recipe Olei de cheir uncias. III.
Liliorum alborum } Singu. unc. I.
De hyssopo
Pulueris radicum uiridis. unc. semis.
Hyssopi ceroti unc. I. & sem.
Misce. SE. Deniq; unguentum hoc deinceps haud seruabo. BRASA. Pro alijs medicis quod lubet agito, in meum uero nomen nunquam parato: cum uero illo indiguero, semp ut conuenit indicã. Alij seruant et aliud unguentũ pectorale de adipibus uocatum, qd' ita cõficiunt.

Recipe Adipis gallinæ
Anseris } Sing. unc. VI.
Anatis
Butyri recentis

Ceræ albæ unc. IIII.
Olei chamæmelini
Amygdalarũ dulcium } Singulorum unc. III.

Misce, & fiat unguẽtum, de hocq; satis dictum uidetur.

Ad Digestiuum igitur unguentum accedere oportet. BRAS. Et hoc est apud medicos, & pharmacopolas inconstantissimum. SE. Quomodo inconstantissimum? BRAS. Quia nullus ferè est pharmacopola, qui illud non uariet. SE. Immo rari euariant, nã maxima pharmacopolarum pars ex uitello oui, & terebinthina conficit. BRAS. Absq; oleo? SE. Absq; oleo. BRAS. Hoc profecto ignorabam. SE. Nunc istud scito, apud maximam pharmacopolarum partem cũ indicitur unguentum digestiuum uitellũ oui accipiunt cum terebinthina etiam absq; ordine, pondere ac mensura, terebinthinamq; ex simplici acqua semper lauant, nisi à medico aliud præcipiatur, quod scilicet aqua rosacea, uel aqua plãtaginis abluatur, aut alia simili ut medico uidebitur fieri oportere. BRAS. Mihi displicet rosaceum prætermittere, à multis non seruatur, quia ob oui uitellũ diu non durat quin putrescat, in hyeme diutius pdurare potest, ars exigit ut ita fiat.

Recipe terebinthinæ lotæ unc. II.
Vitella ouorum numero. II.
Olei rosacei quantum sufficit.

Misce, & probè iungantur, si uero ulcus calidum esset, & de inflãmatione timeretur, simplicis rosati loco omphacinum rosatũ accipiatur, et terebinthina plãtaginis aqua lauetur. nonnulli sunt qui ita cõficiunt, ac seruant.

Recipe terebinthinæ lotæ unc. I.
Vitella ouorum numero. I.
Farinæ hordei drach. I.
Croci gra. III.

Olei

Olei rosati modicum.
Misce, & seruetur ad usus.

SE. Non mihi displicet eiuscemodi digestiuũ. BRAS. Alij quòd sequitur seruant, & cum à medicis digestiuũ unguentum indicitur, præbent.

Recipe terebinthinæ lotæ cum cretico lib. semis.
Vitella ouorum numero. III.
Farinæ hordei unc. semis.
Croci scrup. I.
Misce, & fiat unguentum.

SE. Non differt hoc unguentum præterquã in lotione à prædicto. BRAS. Immo differt etiam in oleo, quia oleum nõ adijcit. SE. Dic quo lauant terebinthinam, qui ante hunc relatum conficiunt unguẽtum? BRAS. Aliàs à me dictum est, cum à medico non dicitur quo lauari debeat terebinthina, semper intelligendum est simplici aqua lauandam. Nonnulli eandem quidem seruant compositionem, sed in pondere differunt, nã accipiunt.

Terebinthinæ lotæ drach. VI.
Croci drach. semis.
Vitella ouorum numero. I.
Miscent probe simul absq; igne, & seruant.

SEN. Cur uino cretico lauant? BRAS. Vt eo utamur in uulneribus compositis, & ubi adsunt dolores circa neruos uulneratos, uel ob neruos affectos. Immo non tantum digerit, sed etiam mundificat, tamẽ simplicissimum digestiuum ex farina hordei fieri põt, uitello oui, & oleo rosaceo absq; terebinthina, quæ uim habet etiã abstergendi, & mundificandi. si ulcus factum non sit sed adsit tantum abscessus. Galeni cõpositio plurimum ua-

let ex farina triticea, oleo, et aqua quæ in olla bulliant, quoũsq; in quandam pultis formam redacta sint. In digestiuo etiam cõm uni si farina uti uoluerim uterer potius farina triticea, quàm hordeacea, quãdo inflammationẽ fieri non timetur. Patauij nonnulli cum terebinthina, et uitello oui mel rosaceum miscent, hicq; de digestiuo unguento finem faciamus.

SENEX. XIII.

Ergo Mundificatiuum unguentum contemplemur.

BRAS. Neq; unguentum hoc satis constans est, quoniam diuersi pharmacopolæ diuersa seruant unguentorum mundificatiuorũ genera, immo & ad ulcera emundanda utimur & unguento apostolorum, & ægyptiaco uocato unguento, et alijs multis. At tu quod nam seruas pro mundificatiuo unguento in tuo pharmacopolio?

SE. Istud seruo quod referã, & semper cum à chirurgis indicitur mundificatiuum unguentum præbeo.

Recipe aloes
Myrrhæ } Singul. drach. V.
Sarcocollæ
Terebinthinæ lib. I.
Mellis rosati colati unc. V.

Misce. BRAS. Alij sunt qui eisdem præcise utuntur simplicibus, sed in pondere uariant, ita enim cõficiunt.

Recipe terebinthinæ unc. VI.
Mellis rosati colati lib. I.
Myrrhæ
Sarcocollæ } Singul. drach. II.
Aloes

Misce,

Miſce, & hoc modo fiat unguentum molle, mel roſatum in ollam ponatur apud ignē, & modicum bulliat: deinde ab igne remoueatur, & infrigidari ſinatur, poſtea tere binthina addatur, & egregie unà miſceantur: deinde myrrha, ſarcocolla, & aloe tenuiſſime pulueriza ta ad minima miſceantur, ad uſuſq; ſeruentur. SE. Et ego eodē modo meum conficio mundificatiuum. BRAS. Alij uero Ferrariæ ſunt, qui ſequentem ſeruant, & cum à medicis indicitur præbent.

Recipe terebinthinæ lib. I.
Mellis roſati colati unc. VI.
Sarcocollæ
Myrrhæ
Aloes } Singul. drach. IIII.
Iridis
Thuris
Miſce & fiat unguentum ſecundum artem.

SE. Mihi non diſplicet, & iridem & thus apponere. BRAS. Tamen chaos uidetur, tantā eſſe apud pharmacopolas diuerſitatem, ſunt deinde qui ita conficiant, in ſolo differentes pondere, & duobus ſimplicibus quæ prætereunt.

Recipe terebinthinæ lib. II.
Mellis roſati colati lib. I.
Aloes
Sarcocollæ } Singul. unc. I. ſemis.
Myrrhæ

Miſce. SE. In tanta diuerſitate quod nam ſeruare debeo? BRAS. Ex his nullum ſeruarem, ſed tunc conficerem cum à medicis indicitur. SEN. Plæriq; medici

quid cõpositionem ingrediatur ignorant, sed solum unguenti mundificatiui nomen memoria tenent. BRAS. Iccirco optarem ut unusquisq; medicus qui mũdificatiuo indiget à leuioribus inciperet, primo eoq; uteretur, quod ex terebinthina & melle rosaceo cõficitur, postea cum maiori indiget mũdificatione, nõ nihil adderet aceti, deinde aloem adderet, & myrrham. sarcocolla in hoc casu nunquam uterer, postea iridis radicem adderem, deniq; unguentis uterer, quæ uiride æris accipiunt, aut primo adderem nõ nihil uiridis æris ultimo unguento, postea iridibus uterer unguẽtis. Si hic seruaretur ordo, non pararetur apud pharmacopolas unguentũ mundificatiuũ, sed unusquisq; medicus secundum exigẽtiam sibi unum uel simplex uel cõpositum effici iuberet, nam indies quæ magis emundant addere potest.

SENEX. XIIII.

Subtile uocatum unguentum in arenam descendit.

BRAS. Vnguentum statim contemplatum à nullo authore ortum habet, ut uideo. SE. Neq; istud de quo nũc sermo futurus est (quod sciuerim) authorem habet. BRAS. Ex se igitur ortum habuit? SE. Arbitror fuisse aliquem medicum, qui illud nonnunquam fieri iusserit, & alij deinde usq; ad hæc tpa compositionem secuti sint. BRAS. Ita esse ne dubites iccirco ab ipsis magistrales compositiones appellãtur, ac si dixerint ab aliquibus magistris. i. crassis hoibus cõfectæ, & ab antiquis minime acceptæ. SE. Vnguentum hoc unde hoc nomen subtile sortitum est? BRAS. Nisi à suis pinguedine nomen acceptum sit, unde sortitum sit hoc nomen gnoramus, non enim magis penetrat, quam multa alia

faciant

faciant unguenta ut ob hoc subtile nuncupari debeat. At compositionem quam paras referto. SE. Hæc est quã seruo compositio.

Recipe colophoniæ unc. II. & semis
Resinæ colatæ unc. I. & semis
Pinguedinis suis recentis unc. V.
Ceræ nouæ unc. V.

Ita uero confici debet. primo cera modico igne adhibito liquescat, ac percoletur, postea infrigidari sinatur, deinde addantur terrebinthinæ claræ, & electæ lib. II. postea omnia simul igne modico liquefiant, et unguentũ conficiatur. BRAS. Alij sunt Ferrariæ qui ex eisdẽ prorsus conficiunt, sed mel rosaceum addunt, hoc modo componentes.

Recipe colophoniæ unc. II. semis
Resinæ colatæ unc. I. semis
Axungiæ suillæ sine sale unc. V.
Ceræ citrinæ unc. VI.
Terebinthinæ lotæ lib. II.
Mellis ros. unc. II.

Misce, & fiat unguẽtum secundum artem. SE. Audiui & alios, qui ex eisdem quidem, & in eodem pondere conficiunt, sed mel rosaceum non apponunt, uerum eius loco oleum rosaceũ adijciunt. BRAS. Huius unguẽti intentio id est quod docet an oleum an mel magis conueniat. SE. Quæ autem est ipsius intentio? BRAS. Dicunt ad recentia uulnera conuenire, & ad neruorum punctũras, et dolores sedare qui his partibus cõtingũt, digerere q;, mundificare, ac carnem inducere. SE. Ad sedandos dolores arbitror oleum magis conuenire quã

mel. BRAS. At ad emundandum, & ad carnem inducẽdam mel aptius est, propterea nonnulli sunt, qui et oleum & mel unà adijciunt. SE. Hi utranq; exequuntur intentionem. BRAS. At Ferrariæ sunt & alij, qui ampliorem faciunt, & ex pluribus rebus compositionem: est uero hæc.

Recipe colophoniæ unc. II. & semis
Resinæ pini unc. V. & semis
Ceræ nouæ
Axungiæ suillæ } Singulorum unc. V.
Terebinthinæ claræ lib. II.
Olei abietini unc. semis
Pulueris betonicæ drach. III.
Olei rosati unc. II.

Misce, & fiat unguẽtum secundum artem. SE. Nunq; uidi betonicam, et oleum abiegnum in hanc compositionem imponi. BRAS. Post hac ita dicere non poteris, nam & probi huius urbis pharmacopolæ talem seruant compositionem. uerum ad alia prosequaris, quoniam de hoc satis superq; dictum est.

SENEX. XV.

Mollitiuum unguentum hoc loco examẽ subit. BRAS. Neq; unguentum istud authorẽ certum habet, neq; eodẽ modo ubiq; fit, sed ut diuersi sunt pharmacopolæ, ita diuerso conficiunt modo. tu uero quem conficiendi modum seruas, & ex quibus conficis simplicibus? SE. Ego hoc quod sequitur paratum seruo.

Recipe radicum altheæ præparatæ
Fœnu græci } Sing. lib. I.
Seminis lini

Ponatur

ponatur in aqua communi calida per dies tres, & fiant mucilagines secundum artem, & percolentur, deinde.

Recipe prædictarum mucilaginum. lib. I. & semis
Olei communis lib. VIII.
Medullæ uaccinæ colatæ. unc. VI.
Axungiæ suillæ absq; sale. lib. I.

Omnia simul misceantur, ad ignemq; suspendantur, & usq; ad mucilaginis consumptionem ebulliant, postea colentur, & addatur ceræ albæ quantum sufficit, et secũdum artem conficiatur unguentum. BRAS. Hoc est illud quod tu seruas, sed alij sunt qui ita conficiunt, tãtã olei copiam non addentes.

Recipe mucilaginis radicum altheæ
Seminum lini
Seminum fœnu græci
} Sing. unc. VI.
Olei communis lib. II.
Medullæ bouille unc. III.
Axungiæ suillæ lib. I.
Ceræ albæ unc. VI.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. SE. Ego potius meam probo compositionem. BRAS. Tamen plus habet olei quam ista, & nisi diceres ceræ quantum sufficit, unguentum nunquam conficeres, at leuissimum esset linimentum, tamen quicquid sit alij etiam in ponere differunt, & Ferrariæ & in alijs Italiæ urbibus ita conficiunt.

Recipe mucilaginis altheæ
Fœnu græci
Lini
} Singulorum unc. IIII.
Olei communis lib. I. unc. IIII.

Medullæ

Medullæ bouis unc. VI.
Axungiæ colatæ sine sale lib. I.
Ceræ albæ quantum sufficit.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. sunt & alij qui ita conficiunt solo pondere differentes.

Recipe mucilaginis altheæ
Seminis lini
Fœnu græci } Singulorum lib. I.
Olei communis lib. I. unc. IIII.
Axungiæ suillæ lib. I.
Ceræ albæ unc. VI.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. SE. In his magnam esse haud uideo differentiam. BRAS. Compositionem aliam audito, quam nonnulli Ferrariæ seruant, & multi Venetijs, ac Patauij.

Recipe mucilaginis altheæ
Fœnu græci
Seminis lini } Singulorum unc. VI.
Litharg yrij auri lib. II.
Terebinthinæ
Medullæ cruris uaccæ } Sing. unc. IIII.
Ceræ unc. IIII.
Iridis puluerizati unc. IIII.
Olei seminum lini lib. II. semis

Misce, & fiat unguentum secundum artem. SE. Memini me compositionem hanc cõfeciſſe cum puer eram, & hanc artem Venetijs exercere cœperam. BRAS. Multa alia sunt emollientia unguenta sed nõ sub hoc nomine apud pharmacopolas, ut est unguẽtum de mucilaginibus

ginibus uocatum, quod emollit. SE. Quomodo confici-
tur? BRAS. Hoc modo apud pharmacopolas.

Recipe mucilaginis fœnu græci }
Seminum lini } Sing. lib. semis

Miſce, & ſimul coquantur donec ſpiſeſcant, & cum coquuntur aceto ſemp aſpergantur, deinde litharg yrij lib. ſemis accipiatur, & igne lento in una ſeſamini olei libra coquatur, poſtea mucilagines ſupra ponãtur, & ſupra marmor ponatur, ac manu ducatur, & unguen-
tum fiat. SENEX. Hoc eſt diaquilon, & ab ali-
quibus uocatur diaquilon ſine gummi. BRASA-
VOLI. Eſt ualde emolliens, ſed de iſta compoſitione in diachilo uerba faciemus, & unguentum de pinguedini-
bus ad hũc ordinem deduci poſſet. SE. Ad quem ordi-
nem? BRAS. Ad unguenta emollientia, licet ſub no-
mine unguenti de pinguedinibus publice uendatur. SE. Cum ego eiuſcemodi unguẽtum in meo pharmacopolio nunq̃ ſeruauerim, qũo conficitur? BRAS. Hoc modo.

Recipe olei chamæmelini }
Violacei } Sigulorum unc. VI.

Butyri recentis }
Adipis gallinæ } Singulorum lib. I.

Ceræ quantum ſufficit.

Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem. At multa ſunt unguentorum genera, quæ hoc nomine emolliens unguentum ab effectu nominari poſſunt, uerum cum alia habeant nomina, iccirco conuenientius erit de illis ſub proprijs nominibus pertractare. adeſt & empla-
ſtrum emolliens apud Galenum in ſecundo de Compoſi-

tione

tione medicamentorum per genera, ubi inscriptio est Aliud melinum emolliẽs Diophãtis, aphra nominatur.

Recipe uisci elaborati pondo
Ceræ pondo
Resinæ terebinthinæ pondo
Chalbani unc. III.

Liquefactis utitor. SE. Illa quæ superius enumerata sunt mihi uidentur magis emollientia. BRAS. Ita profectò est. at Galenus de emolliẽtibus, malagmatibus ue ubertim egit in septimo de Compositione medicamẽtorum per genera, & multa huius generis medicamenta adducit cum antiquatũ recentia. multa præterea malagmatum genera à Paulo referũtur libro septimo, capite decimo octauo, tñ emollientia et malagmata quibus in præsentiarum utimur, nõ minus uehemẽtia sunt, quam antiqua. reliquum uero est ut ad alia unguentorum genera referenda te accingas.

SENEX. XVI.

Iam accinctus sum, & unguentum de Calce sese offert considerandum. BRAS. Quem authorem habet? SE. Rasim. BRAS. Habet & Auicennam in quinto libro Fen quarta, tractatu secũdo, capite quartodecimo. SE. Quo illud conficit Auicenna? BRAS. Inquit, Summatur calx, & septies abluatur, donec ipsius acuitas tota remoueatur, deinde oleo rosaceo conquassetur, aut oleo oliuæ, & pauca cera, si indiget ea. SE. Cur dixit si indiget ea? BRAS. Quia si medicus, & pharmacopola uiderint quod absq; cera inhærere posset, cera non esset addenda. SE. Eãdem compositionem & ego conficio

sed

sed semper addo ceram, nec calcem septies tãtum abluo, sed pluries, ut ita constet compositio quam paro.

Recipe calcis sæpius lotæ unc. I.
Olei rosati quantum sufficit.

Misce, et in mortario plumbeo probe agitentur, postea non nihil ceræ addatur. BRAS. Multi sunt qui ceram non addunt, & alij ita conficiunt ut sequitur, & tanta quantitate.

Recipe calcis lotæ unc. VI.
Olei rosati lib. I.
Ceræ albæ unc. II

Misce. SE. Mihi potius placet ut in omnibus compositionibus nulla adhibeatur ceræ mẽsura, sed apponatur quantum sufficit, quoniã (ut arbitror) duæ unc. faciẽt ualde molle unguentum. BRAS. Immo oportet ut in adustionibus sit tenellum eiuscemodi unguentum. sunt uero Ferrariæ qui ita conficiant.

Recipe calcis lotæ puluerizatæ lib. I. & semis
Olei rosati unc. VI.
Ceræ albæ unc. I.

Misce. SE. Hoc non erit ualde molle, sed duriusculum potius euadet. BRAS. A medicis iubetur oleo rosaceo emolliri, & ad illam liquiditatem perduci quæ conueniet, & quæ illi placuerit. uidi & nonnullos pharmacopolas, qui uiuam calcem accipiunt, illamq; decies in feruentem aquam imijciunt, postea linteo percolant, & calcem ad umbram exiccant, ad ususq; seruant, nec unquam unguentum conficiunt, nisi cum opus est, & cũ eo indigent, postea cũ à medicis indicitur oleo rosaceo miscent, ac cera, & illico conficiunt. SE. Neq; hi mihi displicent.

displicent. BRASA. Non displicent, quia breui fit, at si ipse indigeres displicerent, quoniam qui combusti sunt, non habent expectandi tempus, alij sunt Ferrariæ qui in hac quantitate conficiunt.

Recipe olei rosacei unc. IIII.

Ceræ albæ
Calcis lotæ } Singul. unc. I.

Misce. SE. In sola simplicium quantitate differt.

BRAS. Alij etiam sunt qui ita parant.

Recipe calcis uiuæ bene lotæ aqua clara pluribus lotionibus quousq; amiserit acuitatem unc. I.

Olei rosati unc. IIII.

Misce in mortario absq; igne. SE. Hi ceram non addunt? BRASA. Non prorsus. SE. Miscentur ne alia quandoq; in hac compositione præter oleum, calcem, & ceram? BRAS. Auicenna dicit, & fortasse addantur supra ipsum chimelea, & albumen oui, & parum uini. arbitror uinum additum esse ad penetrãdum, uel etiam quia membra roborat. cum opus est unguentum hoc liquefacere, ego semper oleo rosaceo omphacino liquefieri iubeo, cumq; tu unguentum ipsum parabis omphacino semper parato, & quamuis Auicenna conficiat quãdoq; ex oliuarum oleo, intellige immaturarũ, quãquam hoc non expresserit. SE. Nulla igitur alia præter hanc inuenitur compositio? BRAS. Altera adest apud Auicẽnam eodem loco, cum ait, Vnguentum calcis cum modo alio. Abluatur calx ut sciuisti, idest ut superius dictum est. s. septies secundum ipsum, & fiat ex ea cum aqua foliorum siclæ, idest bletæ, & cum aqua foliorum caulis, & oleo rosaceo, & cera unguentum.

SE.

SE. Vtuntur ne medici hoc unguento ad alios usus q̃ ad combusta? BRAS. Non ne est hic ipsius magnus usus? SE. Immo maximus, tamẽ arbitrabar & ad alia conuenire. BRAS. Conuenit etiam inflammationibus, quæ ob ignem excitatæ nõ sunt, sed sponte è nostro corpe ob acutos, & calidissimos humores, quos natura per cutim emittit, prodeunt. SE. Reperitur ne apud antiquos eiuscemodi compositio? BRAS. Non quod sciuerim. SE. Ad alia igitur unguentorum genera cõ templanda accedamus. BRASA. Abre non erit, ne tempus in cassum conteratur.

SENEX XVII.

Vnguentum de Gũmi helemi in examen uenit. BRASA. De hoc gummi in nostro simplicium examine copiose locuti sumus, uerum à quo authore unguentũ istud accepisti? SE. Ipsius authorem ignoro. BRASA. Neq; ego unde ortũ habuerit scio, arbitror fuisse medicum aliquem recẽtem, qui compositionem illam parauerit, postea fieri iusserit, & apud pharmacopolas dimiserit, nam raro in alijs Italiæ urbibus præterquã Ferrariæ inuenitur, q̃q Conciliatori attribuatur eiuscemodi unguẽtum. SE. Immo neq; Ferrariæ pharmacopolæ omnes hoc seruant, & ut ingenue fatear diem referre nescirem, in quo uel huius unguenti semiunciam uendiderim, nam pixis ita plena est, ut illam facta cõpositione reposui, nisi ob æstus, & tpis curiculum decreuerit. BRAS. Compositionẽ ipsam referto. SE. Hæc est.

Recipe resinæ pini
Ceræ citrinæ ——— } Singul. unc. I.

Corticum

Corticum granatorũ } Singul. unc. semis.
Thuris albi }

Balaustiarum } Singul. drac. II.
Sarcocollæ }

Olei abiegni unc. II. & semis.

Misce, & fiat unguentum secundum artem.

BRAS. Mirum mihi uideretur si duo pharmacopolæ non euariarẽt in ponderibus, nam aliqui sunt qui ita conficiunt.

Recipe olei lentiscini
Laurini
Resinæ pini } Singul. unc. VI.
Ceræ nouæ
Olibani
Gummi helemi

Misce, & fiat unguentum secundum artem.

SEN. Video & in simplicibus adesse differentiam.

BRASA. Sed audias et aliam compositionem, quæ ab aliquibus huius urbis pharmacopolis seruatur. SE. Quænam est? BRAS. Hæc quam refero.

Recipe gummi helemi unc. III.
Resinæ pini unc. IIII.
Ceræ unc. VI.
Ammoniaci unc. II.
Terebinthinæ } Singul. unc. III.
Olei rosacei }

Misce, & fiat unguentum secundum artem.

SE. O magnas diuersitates, unde contingere possunt?

BRAS. Ex medicorum ignauia, qui omnia omnium pharmacopolarum composita medicamenta contempla-

ri deberent

ri deberent, & cõcordia reddere. SE. Ad te hoc ſpectaret, qui illuſtriſsimi Ducis aures ſemper paratas habes, & ſi aliqui parare nolent pharmacopolæ illos ut decet punire. BRAS. Ego circa alia (ut tibi palàm eſt) occupatus ſum, tamẽ huic rei ordinem impoſiturus ſum, nam ex meis diſcipulis duos, aut tres eligam, quibus hoc munus demandabitur, & qui diligenter curabunt, ut compoſita medicamenta eodem fiant ordine, et ex eiſdem ſimplicibus in eodem pondere. SE. At ad rem noſtram redeuntes, quam compoſitionem de gũmi helemi ſeruandã eligeres? BRAS. Hanc quæ ſequitur.

Recipe gummi helemi unc. IIII.
Reſinæ pini unc. III.

Corticum granatorum
Thuris albi
Balauſtiarum
Sarcocollæ
} Singul. unc. ſemis.

Olei abiegni unc. II.
Lentiſcini unc. I.
Ammoniaci drach. III.
Terebinthinæ unc. II. & ſemis.
Olei roſacei unc. I. & ſemis.
Ceræ quantum ſufficit.
Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.

SEN. Ego deinceps hoc ſeruabo. BRASA. Nec ab re facies.

SENEX. XVIII.

Defenſuum unguentum moras rupit, ut in examen ueniret. BRBS. Et hoc inconſtantiſsimũ eſt, optarem-

que medicum tunc illud indicere, cum eo indiget, & confectum haud seruari, uerũ à tuo quod paras incipiamus, quonam modo illud conficis? SE. Hoc modo.

Recipe Boli armeni
Sanguinis draconis } Singulo. unc. II.
Terræ sigillatæ
Olei rosacei libram unam.
Ceræ uncias IIII.
Aceti quantum sufficit.

Misce, & fiat unguentum molle. BRAS. Magnam tibi in hoc unguento diuersitatem ostendam: nõnulli etenim sunt, qui & Ferrariæ, et in alijs Italiæ urbibus ita conficiunt.

Recipe Olei rosati unc. I. & semis.
Ceræ unc. V.
Boli armeni } Singu. unc. VI.
Sanguinis draconis

Misce. SE. Et in ponderibus diuersitas est, & in simplicium numero. BRAS. Alij præterea sunt qui hoc modo conficiunt.

Recipe olei rosacei unc. IIII.
Lithargyrij } Singulor. unc. I.
Boli armeni
Ceræ modicum

Misce, & fiat unguentum, postea duo ouorũ uitella addantur, & camphoræ gran. V.

Misce. SE. Neq; istud cum alijs supradictis conuenit, licet nonnulla recipiat simplicia, quæ in ipsis insunt. BRAS. Audito & hoc aliud, quod & si cum primo in simplicibus conueniat, in ponderibus tamen differt.

Recipe

Recipe sanguinis draconis
Boli armeni
Terræ sigillatæ } Sing. drach. IIII.
Ceræ scrup. VI.
Olei rosacei
Aceti } Singulor. quantũ sufficit.

Misce, et fiat unguentum in mortario secundum artem. SE. Nõ adest cum mea, præterquam in ponderibus, differentia. BRAS. Sunt et alij qui pondera quidem uariant, cum eisdem tamen utantur simplicibus.

Recipe Olei rosacei lib. I.
Ceræ citrinæ unc. I.

Boli armeni
Sanguinis draconis
Terræ sigillatæ } Sing. un. I. & drach. III.

Aceti quantum sufficit.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. SE. Est tantũ in pondere differentia. BRAS. Alij sunt qui ita breuiter parant.

Recipe Boli armeni
Sanguinis draconis
Terræ sigillatæ } Sing. unc. II.
Misce, & fiat puluis subtilissimus.

Postea iubent hunc puluerem aceto, & oui uitello misceri, membroq; adhiberi. Aliqui bolum armenum tãtum, ac sanguinem draconis accipiunt: Alij addunt albos corallos, alij acatiam, & similia. SE. Maxima est in hoc tam triuiali unguento diuersitas. BRAS. Sed talis quæ non magni referat: nam in nulla harum compositionum

uariatur intentio. SE. Et quænam est huius unguenti intentio? BRAS. Illa quam ipsius nomen indicat. cum materia aliqua prohibenda est ne in aliquem defluat locum, supra illum locum hoc unguento delinitur ad illam materiam repellendam, atq; repcutiendam. adde adhiberi etiam ad partes adstringendas, ne huius generis materia in locum aliquem læsum decurrat. SE. A te scire optarem quodnam defensiuum unguentum pro alijs seruandum iuberes. BRAS. Nullū prorsus, sed optarem potius, ut hi pulueres seruarentur ita cōmixti.

Recipe Boli armeni
Terræ sigillatæ
Sang. draconis, Acatiæ } Sing. unc. I.
Corallorum alborum
Scoriæ ferri

Misce, et fiat puluis subtilissimus: postea medicus qui defensiuo uocato uti uoluerit, statim ouorum albumine, aceto, et oleo rosaceo omphacino misceri iubeat, idq; fiat in ægri domo: At si tu confectū seruare uolueris, his pulueribus olei ros. omphacini lib. unam & sem. aceti unc. III. commisceto, et in plumbeo mortario probè agitato, postea cum eo uti uoluerit medicus, oui albumen addat, uel absq; albumine utatur. SE. Deinceps ut admonuisti seruabo. BRAS. Et ego sciam quod nam sim indicturus cum unguētum defensiuum uocatū indixero.

SENEX. XIX.

Vnguentum de Cornu cerui sequitur. BRAS. Arbitror te non esse inuēturū hoc unguentum in aliqua Italiæ urbe, præterquā Ferrariæ. SE. Et forte nec Ferruriæ

rariæ præterquã in meo pharmacopolio. BRAS. Immo et in altero est pharmacopolio à tuo, sed arbitror neque te, neq; alterum illum pharmacopolam illud esse uẽditurum. SE. Ob quam rem? BRAS. Quia à nullo authore scriptum est, sed fuit medicus quidam, qui illud parari iussit, postea obijt. SE. Qui nam fuit? BRAS. Sororius meus Excellentiß. Elleonorus Sanseuerinus. SE. Memini illum met fuisse excellentiß. uirum, qui cõpositionem hanc me conficere iussit, & nunquã uel scrupulum uendidi, nisi cum ipse pro suis indiceret ægrotis. BRAS. Postea quam unguentum hoc in medium adduxisti, in gratiam sororij mei compositionem etiam refer to. SE. Hæc est compositio.

Recipe olei ros. omphacini unc. IIII.
Myrtini unc. unam & sem.
Scoriæ ferri præparatæ drachm. IIII.
Ossium dactylorum combustorum
Ossium myrobalanorum indorum combustorum } Sing. scrup. II.

Hypocistidis
Acatiæ
Cornu cerui usti } Singul. drach. III.

Pulueris gypsi drachm. IIII.
Glutinis piscis dissoluti in aceto nigro drach. VI.
Ceræ quantum sufficit.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.

BRAS. Arbitror uirum illum & tibi, & alteri pharmacopolæ eandem compositionem præbuisse, tamen in pondere pharmacopola alter à tua differt compositio-

ne, nam ille habet olei rosacei omphacini unc. III. & habet ossium dactylorum combustorum, et mirobalanorũ indorum combustorum Singulo. drachm. II. hinc tu contemplari debes, quomodo se habeãt compositiones, quæ per tot manus sint transcriptæ, cum ex eodem libellore ceptiones sint diuersæ. SE. Non ambigo unumquẽq; scriptorẽ, ex his præsertim qui ignari sunt, in transcribendis libris non mediocriter aberrare. BRASA. Propterea librorum impressio hoc boni habet, quòd si semel sint probè impressi in eodem permanent statu. at his prætermissis ad alia te conferas.

SENEX. XX.

Vnguentum de Comitissa suam sedem post prædictum habet. BRAS. Potius dicendum est cõfusio de comitissa, quæ & si illi forte contulerit comitissæ, in cuius gratiam confecta fuit compositio, alijs tamen conferre non est opus, alijs inquam quibus supra modum menses profluunt. At quis est huius unguenti author? SE. Ad Gulielmum Varignanã refertur. BRAS. Verum dicis, nam de hoc agit capite uigesimo ubi de his tractat, quæ à cõmuni natura mulierum mẽstrua magis sistunt, ualet præterea ad sistendum partum, & ad prohibendum ne fœtus abortiatur, nam & author ille in comitissa ad hoc propositum unguento isto usus est, quæ cum utero gereret mensium multitudine pressa fuit, immo et sanguis et aqua copiose exire cœperãt, euasit tamen, & fœtum in finem usq; huius unguenti beneficio tulit. compositionem uero quam paras referto. SE. Hæc est quæ sequitur.

Recipe

Reci. corticum mediorũ castanearũ
Glandium
Arborum glandium
Myrtillorum
Caudæ equinæ
Corticum fabarum
Gallarum
Acinorum uuarum
Sorborum siccorum
Mespillorum maturorum
Radicum chelidoniæ
Florũ prunorũ sylvestriũ
} Singul. partes æquales.

Misce, & crasso modo terantur, & coquantur in aqua plantaginis, & colentur. postea Recipe ceræ quantum uis, & illã oleo myrtino dissolue, eamq; nouies cum prædicta aqua lauato, & in una quaq; lotione noua utaris aqua, Postea

Reci. corticum mediorũ castanearũ
Glandium
Arboris glandium
} Sing. partẽ. I.

Cineris ossium cruris bouum
Myrtillorum
Acinorum uuarum
} Sing. partẽ semis.

Misce, & terantur, & fiat puluis. Postea Recipe huius pulueris partes duas.

Trochiscorum de charabe partem unam.

Misceãtur cum prædicta cera, & oleo myrtino, et oleo mastichino singulorũ quãtum sufficit, sint uero æquales partes, & fiat unguentum quo cum opus est, renes, & pecten, & circunstantes omnes partes inungantur.

BR'AS. *Licet alij pharmacopolæ in rebus cõueniant, tamen nullus ferè est qui in ponderibus ab alio non differat, quod ut facile deprehendere possis omnes aliorum compositiones in ordinem disponam. sunt igitur alij qui ita conficiunt.*

Recip. corticum medullæ castanearũ
Glandium
Arboris glandium
Myrtillorum
Caudæ equinæ
Gallarum
Corticum fabarum
Acinorum labruscæ
Sorborum siccorum
Mespilorum maturorum
Radicum chelidoniæ
Foliorum prunorum sylvestrium
Singul. manip. unum, et semis

Misce, & terantur omnia, et fiat decoctio in aqua plantaginis, quæ ad usus reseruetur, postea

Recipe olei myrtini lib. I. & unc. III.
Ceræ citrinæ lib. I. & unc. III.

Misce, & cum dicta decoctione prædicta olea lauẽtur, & cera nouem uicibus, & pro dicto unguento reseruetur, postea

Recipe corticis medullæ castanearũ
Arboris glandium
Sing. unc. II. ß.

Spodij
Myrtillorum
Labruscæ
Singu. unc. I.

Trochiscorum de charabe unc. III.

Olei

Olei myrtini
Mastichini } Singul. lib. II. & semis.

Misce, & cum supradictis fiat unguentum.

SE. Magna est in ponderibus differentia. BRAS. Sed aliam audito compositionem qua utitur pharmacopola egregius, & ab alijs multo differentem esse percipies. SE. Illam referto. BRAS. En refero.

Recipe Corticum mediorum castanearum.
Copularum glădium
Corticum quercus
Gallarum
Myrtillorum
Corticum fabarum
Granorum uuarum
Foliorum mespilorum
Foliorum sorborum
Radicum chelidoniæ
Foliorum prunorum
Ossium dactylorum.
Thuris
Summachiorum
} Sing. drach. IX.

Contundantur crasso modo, & bulliant in aqua plantaginis, & in uino cotoneorum, omnia sint lib. XVIII. et bulliant ad cõsumptionem medietatis, deinde colentur, & in colatura addantur

Olei myrtini lib. II. unc. III.
Cotoneorum lib. I. unc. I. & sem.
Mastichini unc. IX.
Ceræ citrinæ lib. I.

Bulliant simul, & addantur,

Corticum

Corticum mediorũ caſtanearũ
Copularum glandium
Corticum thuris
Corticum quercus — Sing. drachm. IX.
Summachiorum
Myrtillorum
Sanguinis draconis

Sandalorum rubrorum
Oßium dactylorum
Oßis cruris bouis com= } Sing. drach. IIII. & ſe.
buſti
Corticum fabarũ

Trochiſcorum de charabe ſine opio drachm. XVIII.
Miſce, & fiat unguentum. SE. Hæc eſt compoſitio à prædictis ualde diuerſa. BRAS. Sed et aliam audito ab his etiam differentem. SE. Referto. BRAS. En.

Recipe Corticum mediorũ ca=
ſtanearum
Copularum glandium
Corticum mediorum arbo=
ris glandium
Myrtillorum
Caudæ equinæ } Singulorum un=
Corticum fabarum ciam unam et ſe=
Acinorum labruſcæ mis.
Sorborum immaturorũ ſic=
corum
Meſpilorum immaturorũ
Radicum chelidoniæ
Foliorum prunorũ ſylueſtriũ

Miſce,

Miſce, & contundantur craſſo modo, & bulliant in libris octo aquæ plantaginis ad conſumptionem medietatis, deinde percolentur, poſtea

Recipe Olei myrtillorum libras ſex
Ceræ uouæ libram unam.

Miſce, & oleum lauato, ac ceram cum prædicta decoctione nouies, aquam ſemper remouendo. poſtea

Recipe corticũ caſtanearũ Glandium
Corticũ mediorum arboris glandium
Gallarum
} Sing. unc. II.

Cineris oßium cruris bouis unc. I.

Myrtillorum
Granorum. i. ſemi. labruſcæ
Sorborum ſiccorum
} Singu. unc. I.

Trochiſcorum de charabe unc. VIII.

Ex his fiat puluis ſubtiliſſimus, qui cum ſ. præcripto oleo miſceatur, & cera, et fiat unguentum. SE. Diſpeream ſi inueniri poſſit pharmacopola qui eandem præciſe cum alio compoſitionem ſeruet. BRASAVOLVS. Hinc perpẽdere potes quomodo medici incedant, cũ ignorent quam cõpoſitionẽ unus habeat pharmacopola, & quã alius. SE. Quid tibi uidetur de hoc tam mirabili unguento? BRAS. Mihi uidetur confuſionem eſſe: neq; illis interaneis caſtanearum corticibus ullam fidem adhibeo, licet adſtrictione quadam præditi ſint: at ſi menſes adſtringere uoluerim, potioribus uterer ſimplicibus quã hæc ſint, quæ compoſitionem iſtam ingrediuntur: mirorq; cur huius compoſitionis, ne dicã

confuſionis

confusionis, author bolum armenum præterierit, & sigillatam terram, quæ præter id quod adstringũt uterũ, etiam roborant. & ad ampliorem huius compositionis apud pharmacopolas inconstantiam audias & quo modo alij conficiant: in multis etenim simplicibus, et in ponderibus à præscriptis differunt. SE. iam aures arrexi

BRAS. Ita igitur conficiunt.

Recipe Corticis mediorum arboris glandium
Myrtillorum
Caudæ equinæ
Gallarum
Corticum fabarum
Acinorum uuarum
Sorborum siccorum
Acinorũ mespilorũ immaturorũ
Radicum chelidoniæ
Foliorum pini sylvestris
} Sing. manip. I.

Misce, & terantur, & coquantur in aqua plantaginis perfecta coctione, deinde colentur, postea

Recipe ceræ
Gallarum
} Sing. unc. VII. & sem.

Liquefiant simul, & lauentur in prædicta coctura noues, semper aquam pro singula uice innouando, postea

Recipe Corticũ mediorum castanearũ.
Arboris glandium
Gallarum
} Singulorũ unc. II.

Cineris cruris ossis bouis
Myrtillorum
Acinorum uuarum
} Sing. unc. semis

Trochiscorum

Trochiſcorum de charabe unc. II.
Olei myrtini lib. II. & ſemis.

Aliqui addunt oleum maſtichinum. Puluerizentur tenuiter puluerizanda, & cum prædicta cera præſcripta decoctione lota fiat unguentum. SE. Iam noſco et quam habeat compoſitio hæc cum alijs diuerſitatem, uerum cum tibi non placeat illam deinceps non ſeruabo. BRAS. Errabis quoniam in aliorum medicorum gratiam ſeruanda eſt, nam & ſi ego illa non utar, alij ſunt alterius ſententiæ medici, qui illam pro ſuis indicent ægrotis. Cum pro menſibus ſupra modum fluentibus, et ad fœtum retinendum adſtrictorio indigebo unguẽto ſtatim cõpoſitionẽ fieri curabo hac longe meliorẽ, quæ & uterum magis reſpiciet, magiſq; roborabit, deniq; compoſitionem aliam audito, quam et nonnulli ſeruant. SE. referto. BRAS. En.

Recipe aquæ plantaginis
Vini cotoneorum } Singulor. lib. II.
Miſce, poſtea.

Recipe corticũ mediorũ caſtanearũ
Quercuum
Gallarum perforatarum
Myrtillorum
Granorum uuarum immaturarũ
Foliorum meſpilorum
Foliorum ſorborum ſiccorum } Sing. drach. II.
Meſpilorum immaturorum
Caudæ caballinæ
Foliorum prunorum ſylueſtrium
Radicum chelidoniæ

Foliorum

Foliorum pini syluestris
Sũmachiorum
Ossium dactylorum } Singulorum drach. II.
Corticum thuris }

Bulliant in aqua, & uino prædictis ad consumptionem medietatis, deinde colentur, postea

Recipe olei mastichini unc. II.
Cotoneorum unc. IIII.
Myrtilorum unc. VI.

Bulliant simul in aqua, & uino decoctionis prædictorũ usq; ad conusumptionẽ decoctionis, postea sequentes pulueres accipito.

Recipe corticum mediorum castaneorum
Copularum glandium
Corticum mediorum quercus
Corticum thuris
Summachiorum
Nucis cypariſſi } Sin. 3. II.
Acinorum uuarum non maturarum
Scoriæ ferrii aceto infusæ p diẽ, et noctẽ
Sanguinis draconis drach. I.
Sandalorum rubrorum
Ossium dactylorum
Ossium cruris bouis combustorũ } Sin. drach. I.
Corticum fabarum
Trochiscorum de charabe sine opio unc. I.
Ceræ quantum sufficit.

Misceãtur omnia, & fiat unguentum secundum artem.

SE. Iam satis superq; pharmacopolarum diuersitatem in

in hoc unguento ostendisti. BRAS. Propterea aliud unguenti genus in examen adducito.

SENEX. XXI.

In meo illo inordinato ordine, unguentum AEgyptiacũ uocatum sequitur. BRAS. Cur AEgyptiacum uocatur? SE. Ignoro nisi in AEgypto sit inuẽtũ, aut ipsius inuentor AEgyptius fuerit, à Mesue illud accipio. BRAS. Compositionem referas. SE. En refero.

Recipe floris æris aur. V.
Mellis aur. XIIII.
Aceti fortis aur. VII.

Et sunt q addũt ei olibani masculi triti aur. II. et semisse. Misceantur omnia, & coquantur ad ignem donec spissescant. SEN. Cur à Mesue magnum appellatur? BRAS. Non quidem ad differentiam parui, quia nullum paruum adest ægyptiacum unguẽtum, sed ob uires suas magnas, ita (ut arbitror) uocatur, & adeo egregie uires suas imprimit, ut à nonnullis uulnerarijs medicis caccia riso sit uocatus, quoniam cum supra ulcus ponitur, adeo infestat ut is ridendi cupiditate careat. SE. Ad quæ ualet. BRAS. Mirum immodum ulcera sordida, & antiqua, & quæ fistulosa sunt emundat, & si in ipsis adsit demortua caro, illam probam à putredine liberat, nam et saniem exiccat. si oleum addatur, & cruda sit æris ærugo, est coloris uiridis, & non adeo clemẽs ut cum excoquitur, nam tunc uiridis color in rubrum trãsit, hoc ex coctura habetur. SE. Ergo hoc unguentum est mitius cum crudum erit? BRAS. Immo coctũ mitius est, nam crudum plus recipit æruginis, & nõ est

ab igne macerata. SE. Reperitur ne apud antiquos eiuſcemodi compoſitio? BRAS. Apud arabes inuenitur, nã Raſis in calce capitis Diuiſionum eandem refert cõpoſitionem, quæ ſolũ differt quò ad põdera. SE. Cur uocatur unguentum de melle? BRAS. Quoniam mel in maxima recipit copia, & multi ſunt qui decipiuntur mellis aur. XIII. accipiẽtes, cum antiquæ cõpoſitiones XIIII. habeant, & ita apud Meſuẽ ſcriptum eſt. quanquam & Ferrariæ, & Venetijs, et Patauij, et Bononiæ & breuibus in tota ferè Italia ſint pharmacopolæ qui compoſitionem in ponderibus euarient, nam aliqui ita conficiunt.

Recipe floris æris unc. II.
Mellis unc. XII.
Aceti fortiſſimi unc. IIII.
Miſce, & bulliant ad ſpiſſitudinem mellis.

Alij mellis loco roſaceum mel accipiunt, quod improbãdum non eſt. Alij ita conficiunt,

Recipe uiridis æris unc. VII. & ſemis.
Mellis lib. I. unc. IX.
Aceti fortiſſimi unc. X. & ſemis.

Miſce, & ſimul bulliant ad perfectam coctũram. Alij ita parant.

Recipe mellis lib. I. unc. V.
Floris æris unc. V.
Aceti unc. VI.

Miſce, & bulliant ad ſpiſſitudinẽ mellis. SE. Hi Meſue intentionem non attingunt, quã præcedentes potius attingebant. at illud ſcire ꝑcuperem, num apud Galenũ uel Paulum, uel Aetium eiuſcemodi inueniat cõpoſitio.

BRAS.

BRAS. Eadem præciſe non inuenitur quod ſciuerim, tamen multa mellina deſcribit Galenus in ſecundo de Compoſitione medicamẽtorum per genera, quæ uſtam æruginem recipiunt, & quæ huius ægyptiaci unguenti colorem nacta ſunt. nõ enim mellina dicuntur, quia mel recipiãt, ſed à colore quem habent. præterea propè finem tertij libri de Compoſitione medicamentorum per genera medicamenta referuntur, quæ ægyptia uocantur, unum Andromachi, alterum Claudij Philoxeni chirurgi, & deniq; in eiuſdem libri calce ægyptiacum aliud ſcriptum eſt, ſed nihil habent cum hoc noſtro commune. reperitur etiam aliud unguentum de melle apud nonnullos pharmacopolas. SEN. Quod nam eſt? BRAS. Hoc quod ſequitur à Raſi ſumptum in ſeptimo ad Almanſorem, ubi de Carbunculis agit.

Recipe ſarcocollæ } Singul. partes æquales.
Mellis }

Deinde ſarcocolla pulueriza ta cum melle miſceatur, et recondatur. SE. Ego potius arbitrarer uocandũ eſſe unguentum de ſarcocolla. BRAS. Quomodo lubet uocato, cum apud nos in uſu non ſit, noſtrum uero ægyptiacum ex Galeno colligi poſſet in ſecundo de Compoſitione medicamentorum per genera, ubi de Viridibus agit emplaſtris, quanquam iſtud uiride non ſit, nonnulli ipſius umbram accipiunt ex 3° Methodi medendi libro.

SENEX. XXII.

Vnguentum Expertum in examen uenit. BRASA. Quomodo illud conficis. SE. Hoc modo.

Recipe olei roſacei lib. I.

ſ Pulueris

Pulueris litharg yrij unc. VIII.
Aceti quantum sufficit.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.

BRAS. Nonnulli appellant ipsum unguentum de litharg yrio. Alij tamen sunt Ferrariæ qui ita cõficiunt.

Recipe litharg yrij } Singulorum lib. I.
Olei rosati }
Ceræ unc. IIII.
Aceti unc. VI.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. Alij uerò ita parant.

Recipe litharg yrij argenti unc. VI.
Olei rosacei unc. XVIII.
Aceti quantum sufficit.

Misce, & fiat unguentum. SE. Est ne addenda cera? cum aliqui illam addant, alij non addant? BRAS. Si unguentũ magis inhærere uolueris, ceram addito, si hoc negligas, absq; cera cõficiatur. SE. Ad quos ualet hoc unguentum affectus. BRAS. Ad multos. illo nõnunq; in puerorum scabie utor, id saltem efficit quod pruritum mitigat, potißimũq; illo utor cum intentio est pruritum mitigare, & scabiem penitus non abigere, ulceribus, superficialibus præsertim conuenit, & in quibus exiccatione indigemus, ac refrigeratione.

SENEX. XXIII.

Vnguentum igitur Dialthæa uocatũ accedat. BRAS. Ab althæa nomen sortitum est, optimum est ad emolliẽdum cataplasma. at compositionem quam seruas refer to. SE. En refero.

Recipe

Recipe radicum althææ lib. VI.
Seminum lini
Fœnu græci } Singulorum lib. III.
Scillæ lib. I. & semis.
Olei communis lib. XII.
Terebinthinæ
Gummi hederæ } Singulorum unc. VI.
Galbani
Colophoniæ
Resinæ pini } Sing. lib. I. & semis.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.

BRAS. Non possum nõ irasci cum aliqua compositio ab authore proprio describitur, tamen pharmacopolæ in ponderibus errant. SE. Erro ne ego? BRAS. Et maxime: quoniam Nicolaus huius compositionis author alia sequitur pondera quàm tu retuleris. SEN. Quid ait ille? BRAS. Hoc quod sequitur.

Recipe radicum althææ lib. II.
Seminum lini
Fœnu græci } Singulorum lib. I.
Scillæ lib. semis.
Olei lib. IIII.
Ceræ lib. I.
Terebinthinæ
Gummi hederæ } Singulorum unc. II.
Chalbani
Colophoniæ
Resinæ } Singulorum lib. semis.
Misce. SE. Iam uideo magnam esse in rerum ponderibus differentiam. BRAS. De modo autem conficien

di eiuſcemodi unguentum nihil diſſeruiſti. SEN. Tu modum referas. BRAS. Hic eſt modus Nicolao teſte. primo autem dicit Si ſambuci radix cum hoc unguẽto miſceatur, et cyclaminis ad uulnerum conſolidationẽ ualere, et quidam addunt butyrum, compoſitio uero ita fiat. herbæ omnes, & radices bene abluantur, & terantur, ſimiliter lini ſemen, & fœnu græci, & ſcilla, & cũ bene trita fuerint in ſeptem aquæ libras per tres dies infundantur, quarto autem die ſuper ignem ponantur, et bulliant quoàd inſpiſſati fuerint, deinde paulatim in ſuc cum ponantur, & cum exprimere uolueris aliquantulum aquæ feruentis ad illius uiſcoſi ſucci abſtractionem addatur, ex hoc ſucco duæ accipiantur libræ, & in quatuor olei libras ponantur, & ad ſucci conſumptionem ebulliant, quod tum erit cum nihil ſucci ſupernatauerit, poſtea una ceræ libra addatur, & cum liquefacta fnerit addatur terebinthina, poſtea gummi hederæ contuſum, et chalbanũ, & in fine addatur puluis colophoniæ, et reſinæ, & cum coctum fuerit (quod tunc deprehendetur, cũ gutta ſupra marmor poſita inſpiſſabitur) ab igne remoueatur, cumq; coctum fuerit, & infrigidatum diligenter repone. SE. Putas ne me aliter confiecere, quam à te dictum ſit? BRAS. Ignoro, ſed hic eſt quem retuli conficiendi modus Nicolai, quem modũ qui non ſeruat, prorſus aberrat. Sunt nonnulli qui duas non accipiunt radicum althææ libras, ſed tres ſumunt manipulos, & ita in ſuis legunt compoſitionibus. SE. Mihi potius arridet ut ſtatuta habeant pondera. BRAS. Et ego ſemper per pondera medicamenta indico, niſi forte medicamentum tale ſit (ut quandoq; ſunt fomenta)

menta) in quo nihil referat uel plus, uel minus horum, uel illorum ſimplicium addere. In reliquis uero pondus ſemper obſeruandũ uoluerim. SE. Ad quos ualet hoc unguentum affectus? BRAS. Ad pectoris dolorem ob frigiditatẽ excitatum, & ad pleuritim. omnes infrigidatas partes, & deßicatas calefacit, emollit, atq; humectat. ad iecur emolliẽdum iecoratijs cõmiſcetur medicamentis, & ad omnes emolliẽdas durities, & ad lienem potißimum prædurum: tamen ſemper medicamenta his membris propria cõmiſceri debent. Sunt nonnulli qui non addunt huic medicamento cerã. SE. In mea cõpoſitione non adeſt, tamen ſemper conſcientia quadã ductus illã addidi. BRAS. Debebat eſſe magis liquidum, ſi quãdoq; abſq; cera confeciſti. SE. Reperitur ne apud antiquos hoc unguentum? BRAS. Reperitur apud Nicolaum Alexandrinum, capite nongenteſimo nonageſimo ſeptimo ubi inſcriptio eſt Vnguentum chalaſticum Dialthææ quod ad dolorem ualere dicit, et ſtomachi inflationes, ad omnem uiſcerum duritiem, & ad eos qui ex macronoxis laßitudine laborant, & omnes dolores, neruos affectos, ad periodicas febres iuxta ignem inungendum, ad ueſicæ frigiditatem ſupra umbilicum & pectinem impoſitum, ad omnia membra ſecundum rationem ex frigiditate laborantia. SE. Eſt ergo magni uigoris unguentum. At compoſitionem refero. BRAS. Ita conficit illud Alexandrinus.

Recipe aquæ ſextarios quindecim
Olei lib. VI.
Radicis euiſci lib. IIII.

Seminis lini
Fœnu græci } Singulorum lib. II.
Ceræ

Scillæ
Colophoniæ } Singulorum lib. I.
Resinæ

Terebinthinæ
Chalbani } Singulorum unc. IIII.
Gummi hederæ

Radices & semina per triduum aquæ infunde, quarto die lento igne in uaso æneo stagnato ad consumptionem aquæ decoque, & fortiter per linteolum cola, deinde in succi libras quatuor oleum infunde, et ad consumptionẽ succi decoque, iterum cola, deinde ceram adde, liquefactisq; gũmi adhibe postremũ colophoniæ puluerem, & resinæ, tepefactum repone ad usum. optarem ergo ut hoc ordine, hisq; ponderibus tuũ dialthææ unguentum pararet, atq; seruares. SE. Hoc surdo non cantaueris. BRAS. Arbitror Nicolaum Propositum ab hoc Alexandrino omnia quæ scripsit dessumpsisse, ut in multis alijs planum est compositionibus, quas ad uerbũ refert Propositus. At alia moliri unguentorum genera tempus iam imminet.

SENEX. XXIIII.

Vnguentum pro Scabie in meæ schedæ ordinem succedit. BRASAVOLI. Arbitror nullum esse Ferrariæ pharmacopolam, qui idem cum alio conficiat pro scabie unguẽtum, immo neq; Venetijs, neq; Patauij neq; Bononiæ idem est apud omnes conficiendi modus. SE. Difficile igitur erit tot unguẽtorum genera explicare.

BRAS.

BRAS. Non quidem difficile, sed longũ, atq; prolixũ tamen non grauabimur tot referre huius unguenti compositiones quot extant apud pharmacopolas, tu uero à tuo incipito unguento. SE. Ego Mesue compositionẽ seruo. BRAS. Illam referto. SE. Iam refero.

Recipe axungiæ unc. V.

Olei laurini
Argenti uiui
Ceræ mundæ
Thuris albi puluerizati } Singulorũ drach. II.

Salis communis drach. VIII
Succi plantaginis
Fumi terræ } Ad libitum.

Ita uero confice. Ceram & axungiam nouam à sua chartilagine expurgatam, et oleum laurinum in ollam pone cum succis, et ad ignem appende, bulliantq; donec liquescant, & adde salis communis puluerem olibani, & mastiches in eadem quantitate, et bulliant usq; ad perfectã decoctionem, postea ab igne remoue, & adde mercuriũ saliua extinctum, & modico olei prædicti, spatulaq; probè misceto, & unge manuum palmas uesperi, quando itur dormitum usq; ad octo dies. BRAS. Omnia unguentorum genera quæ argentum uiuum recipiunt, & quæ argentum sublimatum semper mihi displicuere, in morbis tam leuibus, ut est scabies, secus est de gallica scabie: nam sunt eiuscemodi unguenta non tantum uehemẽtissima, sed & periculosissima. contẽpleris tu qua uehementia præditum sit eiuscemodi unguentum si solum palmis inũctis, à scabie quæ in pedibus est, & alijs

partibus hominem liberat. SE. Arbitror esse uehemẽtissimum unguẽtum illud quod à tam remotissimis partibus affectum aliquem sanat, quas nec per longum spatium atingit. BRAS. Cum eram scholasticus, & modo huc, modo illuc uagarer, scabie frequẽter correptus fui, at quia nõ poteram nec tantillum incõmodum illud ferre, modo uno unguento in sanitatem restitutus sum, modo alio. at quia inungi ægre ferebam, propterea uti cœpi axungia sulla, & argento uiuo solis, et manuum pulsus tantum mihi inungebam, sanitatiq; restituebar. tamen sunt et nonnulli Ferrariæ pharmacopolæ qui sequẽtem parant pro scabie compositionem, quam uocant unguentum ad pulsus pro scabie.

Recipe butyri recentis lib. I.
Saponis nigri unc. VI.
Argenti sublimati unc. I. & semis
Cerussæ unc. IIII. et semis
Olei laurini
Terebinthinæ } Singulorum unc. IIII.

Itàq; cõficiunt. oleum, accipiũt, terebintinam, saponẽ, & butyrum, simulque dissoluunt, & cum liquefactum fuerit in mortariũ inijciunt, et pulueres addunt, simulq; agitant, addendo puluẽris iridis unciam semis, miscent, inungi iubẽt hi pharmacopolæ manuum pulsus, et pedũ iuxta ignem uesperi cum dormitũ itur, tamen quicquid sit his unguentis nunquã uti debemus, nisi corpus probè prius expurgatum fuerit, & in uictu is qui inungitur probè se regat. SE. Et hoc etiam uehemens unguentũ esse uidetur. BRAS. Nonnullos uidi quibus unguentorum generibus inuncti maximam materierum copiã

expuere,

expuere, et eisdem gingiuæ exulceratæ sunt, ut illis cõtingit qui pro gallica scabie sananda inunguntur. SE. Alias percurramus huius unguẽti cõpositiones. BRA. ut lubet, nam nonnulli sunt qui hac utuntur.

Recipe Butyri recentis lib. I. unc. IIII.
Terebinthinæ lotæ unc. IIII.
Olei rosacei unc. VI.
Saponis nigri unc. IX.
Ceruſſæ
Iridis } Sing. unc. III.
Argenti sublimati unc. semis.
Styracis liquidæ unc. III.
Succi aranciorum unc. IIII.
Misce. SE. Idem cum præcedẽti uidẽ esse unguẽtum. BRAS. Immo si probe contempleris longe differt: sunt tamen qui simile ferè cum præcedenti faciunt: uerum in aliquo etiam differunt, nam ita conficiunt.

Recipe Butyri recentis lib. II. unc. IIII.
Saponis nigri lib. I.
Argenti sublimati unc. I. et sem.
Ceruſſæ unc. VIII.
Iridis unc. III.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.

Sũt alij qui ita cõficiẽtes, ut sequitur, à prædictis aliquo modo differunt.

Recipe Butyri recentis lib. II. unc. IIII.
Saponis nigri lib. I.
Argenti sublimati unc. II.
Ceruſſæ unc. VIII.
Iridis puluerizati unc. III.

Styracis

Styracis liquidæ unc. II. & sem.
Misce, & fiat unguentum.
Alij uero ita parant.
Recipe Butyri recentis aqua rosacea loti unc. II. et sem.
Pulueris ceruſſæ drachm. X.
Olei laurini drachm. II.
Argenti ſublimati drachm. I.
Salis triti drachm. I. & sem.
Camphoræ ſcrup. I.
Succi aranciorum quantum ſufficit.
Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.
Alij ita conficiunt, & ſeruant.
Recipe Butyri loti lib. I.
Terebinthinæ unc. II.
Albumina ouorum numero quatuor.
Salis gemmæ unc. III.
Iridis unc. II. & ſemis.
Ceruſſæ unc. IIII.
Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.
Alij ita conficiunt ut ſequitur.
Recipe ſaponis nigri
Teretinthinæ } Singulor. lib. I.
Ceruſſæ
Butyri unc. IX.
Olei laurini
Roſacei } Sing. uunc. III.
Ceræ unc. I.
Miſce, & ſecundum artem fiat unguentum.
Alij ita conficiunt.
Recipe terebinthinæ lotæ unc. VIII.

Butyri

Butyri recentis unc. VI.
Salis communis unc. I.
Succi aranciorum
Vitella ouorum } Singulor. numero IIII.
Ceræ albæ unc. I.
Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.
Alij hoc ſeruant.
Recipe butyri recentis lib. VII.
Saponis nigri lib. III.
Argenti ſublimati unc. IX.
Ceruſſæ pinſæ lib. II.
Pulueris iridis unc. IX.
Styracis liquidæ unc. VIII.
Olei roſacei quantum ſufficit.
Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.
SE. Aliqui uocant hoc unguentum ſancti Franciſci.
BRAS. At illud ſancti Frãciſci ſimul recipit & argenti uiui uncias quatuor. Alij uero & hoc ſeruant.
Recipe Terebinthinæ aqua roſacea lotæ unc. II.
Terræ camelli drach. III.
Ceruſſæ unc. I.
Lithargyrij unc. I. & ſem.
Pinguedinis ſuis recentis unc. IIII.
Miſce, & fiat unguentum in mortario abſq; cera cum oleo roſaceo quantum ſufficit, & aceto in pauca copia. Si uero huic ſcabiei intenſus ſit commixtus pruritus, addunt ſuccei plãtaginis unc. III. Si uero ſcabies ſit multum humida, & ab ea multa emanet materia additur.
Succi lapatij unc. II.
Sulphuris unc. I.

Miſce

Miſce, & præſcriptum conficiatur unguentum.

Alij hoc ſeruant.

Recipe Saponis nigri lib. I.
Axungiæ ſuillæ unc. VI.
Helleb. nigri unc. VIII.
Sulphuris uiui unc. VI.
Salis nitri
Aluminis rochæ
ustí
Salis communis
Terebinthinæ
} Singulorum unc. ſex.
Argenti ſublimati. unc. III.
Terræ camelli. unc. IIII.

Miſce, & cum oleo laurino quãtum ſufficit conficiatur.

SE. Vidi qui ad canes ſanandos hoc uterentur unguẽto.

BRASA. Tanto facilius homines in ſanitatem reſtituet, quorum pelles ſunt minus duræ. ſed & alios audiui ita conficientes.

Recipe olei communis lib. II.
Axungiæ ſuillæ recentis lib. II. & ſemis
Ceruſſæ
Salis communis
} Singul. lib. I.
Terebinthinæ
Argenti uiui extincti
} Sing. lib. ſemis
Argenti ſublimati unc. III.
Ceræ albæ unc. V.

Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem. Neq; alterius pharmacopolæ unguentum præteribo, quanquam pauper ſit.

Recipe olei laurini unc. III.

Thuris

Thuris albi
Ceræ mundæ } Singul. unc. II.

Pulueris iridis
Euphorbij } Singulorum unc. I. & semis

Argenti uiui saliua mortificati unc. II.
Pinguedinis suis mundæ unc. V.
Salis communis triti unc. VIII.

Succi plantaginis
Fumi terræ } Singulorum quantum lubet.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. SE. Vnguẽtũ Mesue uidetur, quo pulsus inunguntur. BRAS. Possunt quidem pulsus inungi, & affecti in sanitatem restituuntur, uerum Mesue unguentum non est, quoniã neq; Iridis, neq; euphorbij puluerẽ recipit Mesue unguentum. tamen te admonendum esse uolo, quod nunq̃ seruare debeas eiusmodi unguentum, quãquam mirifice sanet, et pharmacopola ille qui hoc conficit unguentum ex ipso uiuat, nam arbitror aliud unguentum nunquam uendere pauperculum illum, præter istud. extant & alij qui hoc quod sequitur conficiunt, quod ab alijs in pondere saltem differt.

Recipe argenti sublimati unc. III.
Saponis nigri lib. I.
Butyri recentis lib. II. unc. IIII.
Cerussæ puluerizatæ unc. VIII.
Iridis unc. IIII.
Styracis liquidæ unc. III.
Misce. Alij uero ita parant.

Recipe cerussæ
Butyri } Singulorum lib. IIII.

Terebinthinæ

Terebinthinæ } Singulorum lib. II. unc. III.
Salis }
Sublimati unc. VIIII.
Olei communis lib. I. unc. II.

Miſce, & fiat unguentum ſecũdum artem. SE. Ignoro an tot ſint Ferrariæ pharmacopolæ, quot unguẽtorum genera retuliſti. BRAS. Tot profectò ſunt, & etiã plures, ſed admiratione afficior cũ tot ſint, cur duo ſaltem, aut tres eandem non habeãt compoſitionem, quãq; illæ omnes mihi diſpliceãt compoſitiones, quæ argẽtum uiuum recipiunt, & argentum ſublimatum. propterea in ſcabie duplici unguentorum genere in præſentiarum utor, & ſemper mulieres doceo quomodo conficere debeant, ut pharmacopolis parum proſim in hoc unguento. unum unguenti genus ex terebinthina conficio, itàq; mulieres facere iubeo. Accipiant terebinthinæ unc. IIII. quam aqua padana decies lauent, & deniq; aqua fumi terræ, poſtea uitellum unum ouorum addatur, butyri recentis unc. I. prius tamen butyrum ſit aqua roſacea lotum, ſalis cõmunis unc. ſemis, ſucci limonum, ſeu arantiorum quantum ſufficit ad omnia incorporanda, & liquidiora reddenda. quãdoq; cum eſt intenſior ſcabies, ne repercutiatur, ſuccum limonum, uel arantiorũ abijci iubeo, & ipſorum loco roſaceum omphacinũ accipi: cum uero ſcabies pinguis eſt, & multam emittat materiam, addi iubeo

Puluꝛis radicum iridis }
Hellebori nigri } Singulorum drach. I.
Lithargyrij auri }

Miſce. omnes hoc unguento ſanantur, ſi ter, aut quater ueſperi

uesperi cum itur dormitum apud ignem inungãtur, nul luſq; eſt, qui quinta ſaltẽ inunctione in ſanitatẽ non re= ſtituatur, hocq; tuto fit, abſq; aliquo timore in aliquod diſcrimen incidendi, in quod incidunt qui abſq; magna expurgatione, ex alijs unguentorũ generibus inungun= tur, quæ ſublimatum, aut argentum uiuum, aut minera le aliquod recipiunt. SE. Arbitror omnino eſſe unguẽ tum tutiſsimum. BRAS. Sed & alio etiã ſaluberrimo utor unguento quod in tribus uicibus hominem ſanat, et redolet. SENEX. Me illud edoceas, ni tibi graue ſit BRAS. Iubeo accipi ſulphuris uiui unc. II. quod in le= uigatiſsimum puluerem reducatur, poſtea iubeo laridũ recens ſumi, non rancidum, neq; putridum, & quod ipſius eſt tenue cultro abradatur, quod in tãta habeatur copia ut cũ ſulphure miſceri poſsit, poſtea in mortario bene miſceantur, & addantur ſalis drach. II. quãquam & abſq; ſale in ſanitatem reſtituat, deinde

Recipe ſerpilli recentis
Mentæ
Saluiæ
Maioranæ } Singulorum unc. ſemis

Miſce, et in eodẽ pinſantur mortario quoàd omnia ſint probè mixta, et in unum corpus redacta. hoc eſt unguẽ tum odoratum, quod tribus diebus in ſanitatẽ reſtituit, uesperi totum corpus apud ignem cum itur dormitum inungendo. quandoq; ex ſulphure, oleo, & ſale confici iubebam, ſed nimis fœtebat, & carnẽ præterea per ali= quod tempus nigram reddebat. addo nonnunq̃ unguẽto illo ex herbis odoratis ſtyracem calamitã, quamuis illo non indigeat. SE. Cum eſſem Venetijs uidi aliquos in

mari

mari natantes, qui scabie liberati sunt. BRAS. Non mirum, quia aqua illa salsa est, et sal scabiei obsistit, immo si muria sola scabiosus quispiam se lauet sanitati restituitur. cum essem puer memini matrem meam linimentum pro scabie ita parasse (nunc ipsius uocabulis, et ordine utar) Recipe olei rosacei quantitatem quæ duobus quadrãtibus uẽdi solet, litargyrij auri quantitatem quæ uno quadrãte uẽditur, aceti ad dimidium olei, salis puluerizati cochlear unum, postea iubebat parumper ebullire, quoàd modice inspissaretur, tribus diebus inungi iubebat, & sanitati restituebantur. SE. Non debet esse ingrati odoris. BRAS. Non profectò, redolet acetarium. quandoq; confici iubebat ex oleo simplici, et non rosaceo. sed audias nouum modum, quo ego quãdoq; scabiẽ fugaui: iubebã singulo uesperi magnũ ex lactuca acetarium mihi parari, quod solum in cœna comedebã, postea acetum illud quod in lance relinquebatur seruabam, & cum ibam dormitum eo me inungebam, nec (cũ esset æstus) calefaciebã: in quatuor alternatis diebus sanitati restitutus sum. SE. Non est etiam præter unguẽtorũ naturã, cũ oleũ accipiat, acetũ, et salem quæ omnia scabiei conueniunt. BRAS. Alter est modus liberandi se à scabie absq; inunctione, sed per solam uictus rationẽ modice edẽdo, et cibi sint potius olera frigida ĩ minutali, et aceto quàm carnes, & pisces, uinũ bibatur dilutissimum, ego in spatio uiginti dierum à scabie euasi cum hoc uictus genere. SE. Inungi potius uoluerim, quàm in tam tenui uictu per uiginti dies perseuerare. BRAS. Adeo mihi displicebat inungi, ut nihil uideretur molestum, modo inũctionem euitarem, nam & si odoratum

fuisset

fuisset unguentum inungi sumopere displicebat, & nũc (si contingeret) displiceret. quandoq; illi meo unguento cum herbis odoratis cinerem misceri iubeo, quãdo scabies pinguis est, et multa materia abundat. Non ambigo si omnia in medium afferre tẽtaremus quæ ab antiquis, & recentibus de scabie scripta sunt, diem potius quam rei materiam defecturum.

SENEX. XXV.

Hanc ob causam Constrictiuum unguentum contemplemur. BRAS. *De quo constrictiuo uerba facis: nã nullus est qui unguẽtum ita uocatum seruet, sed omnes cum indicitur, accipiunt constrictiuum uocatum puluerem, de quo agemus suo loco, et ex cera, resina, et oleo unguẽtum cõficiunt.* SE. *Ego autem loquor de unguento stomachali constrictiuo.* BRAS. *Illud igitur referto.*
SEN. *Ita conficitur.*

Recipe corallorũ rubrorũ
Alborum
Sãdalorum rubrorum } Singul. drachm. IIII.
Alborum
Acatiæ

Nucum cypariſſi
Balauſtiarum
Myrtillorum
Summachiorum } Singulor. ſcrup. IIII.
Roſarum rubrarum
Thuris
Maſtiches

Olei myrtini
Cotoneorum } Sing. unc. IIII.

Olei rosacei } Singu. unc. II.
Mastichini }
Ceræ unc. III.

Misce, & fiat unguentum secundum artem.

BRAS. Hoc unguentum his adhibetur qui cibum retinere non possunt, sed quicquid insumunt euomunt: nam uentriculum roborat, & retinere facit: tamen aliqui ex paucioribus, aliqui ex pluribus conficiunt simplicibus. uerum omnia huius generis unguenta ad hanc intentionem uergunt. SE. Istud autem quod retuli in usu non est. at ego solus illud conficio, quia à quodam meo amico medico frequenter indicebatur. nunc uero est adeo senio confectus ut amplius indicere nõ possit: iccirco deinceps sinam ut medici suo modo indicant, neq; istud seruabo.

BRAS. Vt lubet facito.

SENEX. XXVI.

Vnguẽtum pro puerorum Vermibus ad examen uenit.

BRAS. Et hoc etiam ex his est, quæ adeo diuersa sunt, ut nullus ferè sit pharmacopola, qui eandem cum alio cõpositionem seruet. tu igitur compositionem quam paras referto. BRAS. Referre incipio.

Recipe olei de absynthio } Sing. unc. VIII.
Rutacei }
Violacei unc. VI.
Aceti fortis lib. II.
Rutæ }
Absynthij }
Foliorum persicorum } Sing. nnc. II.
Corticum granatorũ }
Radicum graminis }

Misce,

Misce, & bulliant ad cõsumptionem aceti, et percolentur, deinde colaturæ addatur.

Succi absynthij
Succi foliorũ persicor. } Singulor. unc. I.
Succi rutæ

Aloes hepaticæ
Myrrhæ elotæ } Sing. unc. II.

Corallorum rubrorum unc. I.
Farinæ lupinorum unc. sem.
Theriacæ unc. I.
Fellis taurini unc. II.
Petrolei unc. semis.
Ceræ albæ unc. V.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.

BRASA. Tua hæc compositio maxima est, nam ferè omnia recipit, quæ uermibus aduersantur, si brion thallasion recepisset, quod corallinam uulgus nominat, & semẽtinam, ac scordeum. arbitror neminem esse Ferrariæ, qui tuam hanc conficiat, ac seruet compositionem, nam nonnulli sunt qui ita parant.

Recipe succi foliorũ persicorum
Succi absynthij } Sing. unc. II.
Olei communis unc. V.
Aloes hepaticæ unc. I.
Petrolei unc. II.
Succi abrotani unc. VI.

Misce, & omnia igne lento bulliant ad consumptionem medietatis, postea adde fellis taurini unc. III. misce, & fiat unguentum molle. SE. Meum est hoc uehementius. BRAS. Alij sunt qui ita breuiter parant.

Recipe *succi arantiorum drach.* II.
Aloes drach. I.
Myrrhæ drach. semis.
Croci scrup. I.
Olei de absynthio unc. semis.

Misce. *Vt uideo arbitraris tu unguentum quod retulisti cæteris præstare, quia multa recipit simplicia, at si ob hoc omnibus præstaret, alij sunt pharmacopolæ qui aliud unguenti genus parant plura quam tuũ recipiens simplicia, quale hoc est quod sequitur.*

Recipe *abrotani*
Ligni aloes
Mentæ
Croci
Brioniæ
Gentianæ
Centaureæ
Tormentillæ
Florum persicorum
Rutæ
} *Singulorum drach.* II.

Aloes drachm. VI.

Farinæ lupinorum
Seminum caulium
Diptamni
Specierum hieræ picræ
} *Singul. drach.* III.

Terræ sigillatæ
Summachiorum
} *Singul. drach.* I.

Coriandrorum præparatorũ
Myrtillorum
} *Sing. scrup.* II.

Olei

Olei nardini
de absynthio
de menta
amygda. amararum } Sing. unc. III.

Ceræ modicũ misceatur, & fiat unguentum, in fine autem addantur fellis taurini unc. IIII. & simul cum alijs misceãtur. SE. In hoc unguento plura sunt prorsus simplicia quam in meo, tamen id quod paro apud summos uiros in usu fuit. BRAS. Et hoc fuit à summis uiris probatum, sed aliud audias quod etiam apud non nullos in usu est, & plura recipit simplicia quam præscriptum. SE. Audio. BRAS. En igitur.

Recipe olei communis lib. V.

Absynthij recentis
Mentæ
Rutæ
Marrubij
Foliorum persicorum
Sabinæ
Colocynthidis } Singul. drach. I.

Misce hæc omnia cum prædicto oleo & pone in solem per triginta dies in uitreo uase probè obturato, postea.

Recipe huius olei unc. III.

Farinæ lupinorum
Absynthij
Mentæ, Rutæ
Marrubij
Foliorum persicorum
Sabinæ
Colocynthidis } Singul. drach. II.

Fellis taurini unc. III.

Miſce omnia cũ prædicto oleo, et pone iterum in ſolẽ in uitreo uaſe optime obturato per triginta dies, poſtea

Recipe huius olei unc. III.

Farinæ lupinorum
Abſynthij
Mentæ
Rutæ
Colocynthidis
} Singul. drach. I.

Aloes unc. ſemis.

Fellis taurini drach. VI.

Ceræ quantum ſufficit. Miſce, & fiat unguentum.

SE. Hanc ſimplicium repetitionem non probo, ne dicam mihi ſummopere diſplicere, arbitrorq; in tertiare petitione abeſſe ſabinam. BRAS. Neq; ego compoſtionem ipſam ualde probo. SE. Qualis eſt horum unguentorum uſus? BRAS. Nares imungũtur, tempora, & extrinſecus gulæ initium, tamẽ & uenter inungi poteſt. immo iuxta tuum pharmacopolium alter adeſt pharmacopola, qui hoc aliud quod ſequitur parat unguentum, cuius uis eſt uermes necare, & educere, tamẽ iubet ut prius ægroto clyſter imponatur ex caprino lacte, aqua hordei, & zuccaro. SE. Si caprinum lac nõ adeſſet, quid tunc agẽdum? BRAS. Sumendum eſſet uaccinum, in hoc etiam caſu ſemper uidi magis proficere mel quàm zuccarum, præſertim ſi fuerit eſpumatũ, unguentum uero ita conficitur.

Recipe olei de abſynthio
Amyg. amararum
} Singul. unc. I.

Succi matricariæ unc. ſemis.

Roſarum

Rosarum, Corallorum
Farinæ lupinorum } Singul. drach. I.
Cornu cerui usti
Aloes succotrini unc. II.

Cum modico ceræ fiat unguentum secundum artem, è quo totus uenter inungatur, sunt & alij qui hoc quod sequitur parant.

Recipe olei mastichini
Citoniorum } Singul. unc. I.
Spicæ
Myrtillorum

Olei de absynthio
Amygd. amararum
Mastiches
Gariophyllorum
Labruscæ } Singul. unc. semis.
Mentæ
Corallorum rubrorum
Aloes hepatici
Boli armeni
Ceræ quantum sufficit.

Misce, & fiat unguentum. SE. Vnguentum istud potius aptũ uidetur ad uentriculum roborandũ. BRAS. Omnino & hoc facit, immo & particulatim facit, sed unà uermium generationem prohibet. Alij uero sunt qui unguentum quod sequitur ad lumbricos conficiunt.

Recipe succi mente unc. VIII.
Centaureæ minoris
Santonici } Singulor. unc. I.
Lupinorum amarorum

Gentianæ
Abſynthij } Sing.unc. VIII.

Aceti expreßi de pane aſſato lib. I. unc. VIII.
Ceræ quantum ſufficit
Miſce, & fiat unguentum, quo tempora, pulſus, nares, & ſtomachus inungantur: uerum audias & alium pharmacopolam ita conficientem.
Recipe ſucci mentæ unc. II.

Cẽtaureæ minoris
Lupinorum } Sing.unc.ſem.

Gentianæ
Abſynthij } Sing.unc.I.

Seminum anethi
Diptamni } Sing.drachm. III.

Fellis taurini unc. I.
Aloes drachm. I. & ſem.

Olei maſtichini
de Spica } Sing.unc. II.

Aceti expreßi de pane aſſo drach. II.
Succi aranciorum unc. I.
Ceræ albe muſcatæ unc. VI.

Coquatur cera cum oleis, et cum infrigidari cœperit cætera omnia in tenuißimum puluerẽ redacta miſceantur, deinde totum cum ſuccis bulliat ad ipſorũ ſuccorum cõſumptionem: in fine autem muſci grana IIII. miſceantur & molle linimentum fiat, de quo tempora inungantur, & portiuncula ſupra rotundum pãnum ad oris cyathi magnitudinem extendatur, et ſupra umbilicum ligetur. nam cuiuſcunq; generis uermes, & teretes, & cucurbitinos, & aſcarides necat, atq; educit. S E. Optarem ut

in his

in his compositionibus aliqua imponeretur meta, & oẽs unius urbis pharmacopolas unam met seruare compositionem. BRAS. Immo melius esset in toto orbe eandem seruari compositionem: at nisi morte præueniar, curabo & efficiam quòd Ferrarienses pharmacopolæ non erunt in compositionibus uarij, in his præsertim communibus: nam si quispiam in alicuius medici gratiam particularem quampiam compositionem conficere, & seruare uoluerit, hoc erit illi sponte concessum: ueruntamẽ et nonnulli sunt, q ita parant hoc pro uermibus unguentũ.

Recipe Cẽtaureæ minoris
Absynthij
Lupinorum } Sing. drachm. sem.

Ligni aloes
Corticum citri
Diptamni } Sing. drachm. II.
Aloes ad pondus omnium
Succi absynthij unc. IIII.
Fellis taurini unc. II.
Ceræ quantum sufficit.

Misce, & fiat unguentum. SE. Quod dicitur aloes ad pondus omnium, intelligitur ne ad totius compositionis põdus? BRAS. Non (quãquam nihil etiam referret) sed intelligitur ad pondus omnium superiorum, propterea ita explicari poterit: Aloes drachm. VII. & semis. sed & alij sunt qui ita parant.

Recipe succi persicariæ
Absynthij
Abrotani

Centaureæ

Centaureæ minoris
Maliterræ
Foliorum perſicorum
Foliorum lupinorum
Radicum ebulorum
Corticum granatorum } Singul. drach. I.

Pororum non tranſplantatorum unc. II.
Naſturtij aquatici lib. I.
Aceti fortißimi unc. IIII.
Ceræ quantum ſufficit. Miſce, & fiat unguentũ.

Alij uero ita conficiunt, ac ſeruant.

Recipe Cẽtaureæ minoris
Abſynthij
Lupinorum } Sing. drachm. ſem.

Ligni aloes
Cornu cerui uſti
Diptamni } Sing. drach. II.

Aloes drachm. VII. & ſem.
Fellis taurini unc. I.
Ceræ unc. I. & ſemis.

Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.

SE. Non me latet & hoc unguentum eſſe pro pulſibus inungendis, naribus, et circa umbilicũ. BRAS. Hæc tãta compoſitionum diuerſitas adeo me deterruit, ut loco retraxerim, nec amplius ullam aliam referre uoluerim, cum hæ quæ prædictæ ſunt ad reliquas intelligendas ſatis eſſe poßint. SE. Tu uero quo uteris pro ucrmibus unguento? BRAS. Plærunq; iubeo ut recipiatur

Aloes

Aloes
Myrrhæ } Singu. scrup. I.
Pulpæ colocynthidis

Misceãtur, & fiat puluis subtilissimus, qui modice bulliat in arancio, uel limone: quandoque iubeo ut taurino felli misceantur, cum febre carent, uel remissa sit, si uero intensa adsit febris, aranceo uel limoni misceo.

SENEX. Iam unguentum hoc pro uermibus ad nauseam fastidio habeo. BRAS. Aliud igitur in medium asserto: scito tamen nos genus quodam rubri salis domi habere, quod statim uermes necat quos tetigerit. immo si uermis qui obierit alios tangat, & illi statim obeunt.

SE. Quo modo uocatur id genus salis? BRAS. Nisi sit rubrum Galeni nitrum, quid sit prorsus ignoro.

SENEX. XXVII.

Vnguentum igitur Capellum contemplemur. BRAS. Cur capellum uocatur. SE. A capite (ut arbitror) quoniã uti galero (qui uulgo capello dicitur) caput tegimus, ita hoc unguento, quando opus est, caput ipsum tegimus. BRAS. Ab antiquis à capite quidẽ cephalica nominantur eiuscemodi unguenta, non autem à galero. sed tuum hoc cephalicum iam referto, nam & apud diuersos pharmacopolas diuersa sunt cephalica, sicut et antiqui diuersorum cephalicorum mentionem fecere.

SE. Ego meum cephalicum adducam, quod à uiro docto confectum fuit Vincentio Crema. BRASA. Fuit profectò insignis suo tempore chirurgus, sed tandem effare. SE. En.

Recipe matris syluæ uiridis lib. I. unc. IIII.
Betonicæ unc. VIII.

Olei

Olei rosacei lib. II.
Vini rubri bocalia numero. II.

Misce, et bulliant usque ad uini consumptionem, postea percolentur, & fiat expressio, cui adde.

Ceræ citrinæ
Resinæ pini } Singulorum lib. II.
Terebinthinæ

Gummi helemi unc. VIII.

Misce. BRAS. Dispeream si una compositio ab uno fiat pharmacopola quæ eadem præcise sit cum alterius pharmacopolæ compositione SE. Prouidendū igitur est. BRASA. Prouidebimus Deo dante, sed interim audias quod cephalicum aliqui seruent Ferrariæ.

Recipe terebinthinæ unc. VI.
Resinæ pini unc. VIII.
Gummi helemi unc. II.
Ammoniaci præparati } Singul. unc. semis.
Galbani præparati
Ceræ unc. IIII.
Olei rosacei unc. VIII.
Momordicæ
Betonicæ
Matris syluæ
Hederæ } Singulorum manip. III.
Verbenæ
Consolidæ maioris
Iuæ

Misce, & omnia infundantur in phialas duas uini nigri potentis per duos dies, postea bulliant dimidia horæ parte: deinde coletur, & torculari exprimatur in uasq; re-

ponatur

ponatur. SE. Nonnullos audiui qui Ioannis Vigonis cephalicũ conficiunt, & in suis pharmocopolijs seruãt. BRAS. Non mirum quia fuit sua ætate chirurgus insignis, uerũtamen & nonnulli Ferrariæ ex eisdem simplicibus ex quibus tuum cephalicũ parasti, suum quoq; parant, q, uulgo capelleto uocant, at in pondere ampliusculè differunt, nempe ita conficiunt.

Recipe pulueris matris syluæ unc. III.
Betonicæ unc. I.
Resinæ pini
Terebinthinæ } Singulorum unc. VI.
Ceræ nouæ
Gummi helemi unc. III.
Olei rosacei unc. VI.
Vini rubri optimi bocalia duo.

Ita uero cõficiatur. primo oleum, mater syluæ, & betonica per octauæ partis horæ spatium simul bulliant, postea tritam ceram adde, & per spatium decimæ sextæ partis horæ bulliant, tertio resinam adde, & per idem bulliãt spatium, quarto terebinthinam adde, & per uigesimæ partis horæ spatium bulliant. Deniq; gũmi helemi adde, & iterum per idem horæ spatium bulliant, hocq; igne lento fiat, & absq; fumo, deinde per linteum coletur, & quod in uini superficie coagulatum reperitur diu manibus concutiatur, & in terreo uase uitreato seruetur. SE. Ab eo quod seruo minime differt, at nonnunquam mihi indixisti ut cephalicum conficerem, quod mihi uisum est satis efficax. BRAS. Immo quã doq; efficacissimum indixi, & eo usus sum, & ad ipsa corrupta ossa extrahẽda. SE. Ipsius compositionem

iterum

iterum audire optarem. BRAS. Illam igitur audito.

Recipe rutæ
Saluiæ
Hyssopi
Florum chamæmeli
Stœcadis
Melıloti
Rosa.rubrarũ
Betonicæ
Matris syluæ
Absynthij
Libanotidis
Centaureæ minoris
Foliorum lauri
Marrubij
} Singul.manip.semis.

Resinæ pini
Thuris
Guttæ ammoniaci
Colophoniæ
Gummi arabici
Myrrhæ
Bdellij
} Singulorum unc. I.

Terebinthinæ uncias duas.

Ichthiocollæ
Aeris squamæ
Gummi helemi
} Singulorum unc.semis.

Ex his ita fiat unguentum secundum artem. Primo herbas accipito, & in duodecim sapæ libris ad tertias ebullire facito, reliqua deinde secundum artem addantur

addãtur, & coquantur. deniq; rutaceũ oleum addatur, & cera, & fiat unguẽtum ſecundum artem. SE. Nos poſtea omnia reducimus ut ars ipſa exigit. BRAS. In capitis ulceribus unguentum hoc (liceat nunc illud unguẽtum uocare) mirum in modum proficit, plæroſq; capite uulneratos, & in deſperationem uſq; poſitos hoc unguento in ſanitatem reſtitui.

SENEX. XVIII.

Vnguentum Aragon capello ſuccedit. BRASA. A quo authore illud accipis? SE. A Nicolao Propoſito in ſuo Antidotario, q, author ipſe ita confici iubet.

Recipe roris marini
Maioranæ
Radicis ſerpentariæ
Serpilli
Rutæ
Radicis cucumeris aſinini
} Singul. unc. IIII. ſ.

Foliorum lauri
Saluiæ
Sabinæ
} Singul. drach. III.

Pulicariæ maioris, & minoris, ideſt helebori albi, et nigri Singulorum unc. VIIII.

Bryoniæ unc. III.

Laureolæ unc. VIIII.

Foliorum nepitæ
Siccidis
} Singulorum lib. ſemis.

Maſtiches
Olibani
} Singulorum unc. VII.

Pyretri

Pyretri
Euphorbij
Zingiberis
Piperis } Singulorum unc. I.

Olei muſcelini unc. ſemis

Petrolei unc. I.

Adipis urſini
Olei laurini } Singulorum unc. III.

Butyri unc. IIII.

Olei communis lib. V.

Ceræ lib. I. unc. III.

Herbæ, & radices ſupradicta hora colligantur, uno, uel duabus diebus ſint fortiter contuſæ, per ſeptemq; dies in oleo ponantur, octauo autem die igni admoueantur, & quoàd herbæ deſtructæ ſint percoquantur, poſtea ſacco uehementer colentur, & iterum hoc quod percolatum eſt igni admoueatur, et cum bullire incœperit laurinum oleum addatur, butyrum, adeps urſinus, & cera, quæ liquefacta petroleum addito, & muſcelimum, poſtea maſtichem, olibanum, gingiber, piper, pyrethrum, & euphorbium, tuncq; ab igne remoueatur, & recondatur. BRAS. Hæc eſt ad uerbum Nicolai compoſitio. SE. Ad quos ualet affectus? BRAS. Author ipſe dicit ad dolorem ex frigiditate uiri, et mulieris ualere, tali modo inunctum, in oui teſta primum igne calefacito, deinſuperinungatur, poſtea calida teſta patienti loco ſupra ponatur. SE. Non ne poſſet & in alia re calefieri ab oui putamine? BRAS. Poſſet & in pixide, & in paruo labello, ſed hæc non tam cõmode affecto loco aptari poſſunt, quia teſta frangitur, & affecto inhæret loco:

conuenit

conuenit, & conuulsioni, & tetano, et dolori ilij, et re= num tali ordine ut superis dictum est, arthritim patien= tibus prodest, & ischiam, quartanarijs si ante accessio= nis horam spina, ut dictum est, inungatur. SE. Quid fa cit oui testa? BRAS. Caliditatem seruat, tamen si tu inungere uolueris potes testæ oui loco calidum linteum ponere, & apprime iuuabis, ego hoc unguẽto utor cũ li thargyrio ad illos perungendos, qui scabie Gallica affe= cti sunt, omnesq; proficiunt, & sanitati restituuntur. SE. Vnde nomen hoc sortitum est hoc unguentum ut Aragon uocetur. BRAS. Author inquit ita uocari, ac si dicatur adiutorium. At ego potius arbitror à sua perennitate ita denominatum esse, nam diu perdurare põt ut ἀπὸ τοῦ ἀφαγέος, i. ab infracto denominatum sit, uel cum ἄφαγον paruũ acinum significet, forte dictũ est, ἄφαγον quasi non parui & non minimi momenti un guentum. ualet deniq; ad omnes neruorum affectus à causa frigida factos. SE. Sunt ne aliqui pharmacopolæ qui aliud seruent unguentum Aragon ab isto? BRAS. Nullus est qui hoc ita confectum non seruet, tamẽ mul= tæ sunt in ponderibus differentiæ & nõnullos uidi, qui oleum rosaceum cum mosco loco olei moscilini accipie= bant, tu uero quid accipis? SE. Compositionem quan= dam paro quam & multi alij seruant eodem nomine in= signitam. s. oleo moscilino. BRAS. Illam referto, ut intelligamus quo nam modo oleum hoc conficiatur. SE. Ita ego conficio.

Recipe olei lib. VI.
Aquæ lib. III.

Folij
Spicæ
Costi
Mastiches } Singulorum unc. I. semis.

Styracis calamitæ
Myrrhæ
Croci
Casiæ lignea } Singulorum drach. VI.

Gariophyllorũ
Opobalsami
Bdellij } Singulorum drach. IIII.

Nucis indæ
Maceris } Singulorum drach. I.

Concutiantur simul, postea bulliãt ad aquæ cõsumptionem, & percolentur, ac seruentur. BRASA. Miras audiui de hoc nomine muscelinum ethymologias, nõnulli dicunt ita uocari ob humiditatem, quæ in tuberositatibus ulmi inuenitur, ex qua cõfici inquiunt. at tu in tuo oleo humiditatem hanc non posuisti, neq; muscum addidisti, hoc ob aliquos noto qui à musco muscelimum appellant, alij muscelinum nominant, quia ben ideſt balanum myrepsicam eo nomine nuncupãt, propterea secundum istos oleum muscelinum est oleum balaninum, sed apud authores antiquos nusquam nomẽ hoc muscelimum pro balano, neq; oleum muscelinum pro balanino inuenitur. Alios inueni q ità ferè conficiunt, ut tu retulisti, tñ et in rebus, et in pondere aliqua adest diuersitas. SE. Quo nam modo conficiunt. BRAS. Isto

Recipe olei communis lib. VI.
Aquæ lib. III.

Folij

Folij
Spicæ
Costi
Mastiches } Singulorum unc. I. semis.

Styracis calamitæ
Croci
Mirrhæ
Cassiæ lignea
Xylobalsami } Singulorum drach. VI.

Gariophylorum
Carpobalsami
Bdellij } Singulorum drach. IIII.

Mucilaginis unc. I. aliter drach. I.
Nucis indicæ drach. II.

Hæc omnia terantur crasso modo, & simul ad aquæ cõ sumptionem bulliant, deinde colentur, & in uas probè obturatum reponantur. SE. Differentiam non uideo cum eo quod seruo. BRAS. Non quidem magna, sed aliqua adest, at hoc non magnifacio. SE. Est ne antiquus quispiam de hoc oleo locutus? BRAS. Reperitur apud Nicolaum Alexandrinum in suo de Compositione medicamentorum libro, capite septimgentesimo duodecimo. SE. Ad quos conuenit affectus secundum Alexandrinum hoc oleum? BRAS. Audias quid dicat author, Optimum (inquit) ad omnẽ corporis frigiditatem, potissimum uẽtriculi, ad lateris dolorem deforis inunctum, & intro cum gingiberis galangæ, diagridij drachma una propinatũ summe opitulat, strangurio-sis, & cœliacis, & ad omne neruorũ uitium illitum opti

me facit, miſcetur, medicaminibus, epithematibus, & emplaſtris, quæ ad ſtomachi, et renum affectiones aſciſcuntur, ita uero illud conficit author.

Recipe olei punici lib. VIII.

Aquæ ſextarios. II.

Folij
Spicæ nardi
Coſti
Maſtiches } Singulorum unc. III.

Styracis
Croci
Myrrhæ
Caſiæ
Xylocinnami } Sing. unc. I. & ſemis.

Gariophyllorum
Carpobalſami
Bdellij } Singulorum unc. I.

Moſci drach. VI.

Nucis indicæ drach. IIII.

Ita uero conficiatur. folium, crocum, myrrham, xylocaſiam, carpobalſamum, bdellium contuſa, & in aqua biduo infuſa cum oleo coque uſq; ad conſumptionem, & poſt infrigidationem unius diei grauiter cola: deinde gariophyllorum, ſpicæ, coſti, & nucis ſubtiliſſimum puluerem decoctioni adde, & in parte olei ſtyracem, maſtichen, moſcum contuſa immitte, iterũq; modicum ebulli, & infrigidatum diligenter reconde, uſuiq; reſerua, calefacit enim refrigerata membra, & debilibus robur inducit. SE. Non eſt ampla huius cõpoſitionis cũ mea

differentia

differentia, tamen hanc deinceps seruabo. BRASA. Compositio hæc nomen à musco contraxisse potest, quoniam illã copiose ingreditur. SE. Per punicum oleũ quid intelligere oportet.? BRAS. Oleum oliuarum quod apud Punicos, & Aphricanos erat optimum.

SENEX. XXIX.

Agrippæ unguentum se offert cõsiderandum. BRASA. In hoc unguento non multum differunt pharmacopolæ, nam omnes Nicolaum Propositum sequuntur qui ita conficit.

Recipe bryoniæ lib. II.

Radicis ebulorum
Tribuli marini } Singulorum unc. II.
Radicis elaterij lib. I.
Scillæ unc. VI.
Iridis unc. III.
Radicis filicis unc. II.

Radices ter, uel quater probè abluantur, & in marmoreo mortario pistẽtur, & quatuor libræ olei lentiscini, uel cõmunis per duos dies addantur, at magis polleret, si per sex, uel septem permanerẽt, quia calorem, & odorẽ, et efficaciam sibi uendicaret, tertio uero ad ignẽ ponantur, & tãdiu bulliant quoàd emollescant, minuantur, ac frangantur: deinde in saccum ponantur, et exprimendo colentur, & cum colatum fuerit igni suspendatur, cumq; bullire incœperit addantur unc. quindecim ceræ albissimæ, qua liquefacta ab igne deponatur, & cum infrigidatum fuerit colligito, & seruato. si radices in oleo dimittantur, unguentum efficacius euadit. SE. Ad quos ualet hoc unguentũ affectus? BRAS. ANi-

colao Proposito dicitur ad hydropas ualere, & ad oēs tumores in quacunq; sint corporis parte, & ad neruos cōtractos: urinam prouocat, si uenter inungatur laxat, renum doloribus ex frigida causa succurrit. SE. Est ne uerum quod Agrippa uocetur, quia Agrippa Iudæorum Rex eo uteretur, & ob dignitatem suam nulli discipulorum suorum tradere uoluerit? BRASA. Quos discipulos habuit Agrippa? nugæ sunt gerulæ, id forte est, quod Nicolaus Alexādrinus dixit in libro de Cōpositione medicamentorum capite nongentesimo nonagesimo quinto cum ait, Vnguētum Agrippæ Regis Iudæorum, quod tanti momēti est, ut nemini subditorum cōmunicari uoluerit uiuus. SE. Ni piget quæ ab hoc authore dicuntur referto. BRAS. Ita inquit ad omnē neruorum imbecillitatem ualere ad tumores, ad totius corporis dolorem, ad uentrem induratum ad stranguriam. Recipe Bryoniæ lib. VIII.

Siccidis lib. IIII.

Scillæ lib. III.

Olei gleucini, & ceræ albæ quātum sufficit. radices bryoniæ, & siccidis ablutas æneo cultro incide, & dies octo ī oleo repone, tertio die lēto igne coque donec herbæ discedant & per sacculum fortiter cola, abiectisque herbis ceram adde, & liquata conde, & usui reserua. SE. Multa desunt in hac cōpositionē. BRAS. Arbitror potius multa esse addita à Nicolao Proposito, quæ ab Alexandrino, à quo accepit, non sunt posita. At statim Alexādrinus aliud Agrippæ unguentum refert uocatum bryonicum, & ait hoc fronti illitnm capitis medetur dolori, nephriticis, tumoribus, & doloribus

ad ignem

ad ignem inunctum, stranguriam, & dysuriam prælo= tis renibus, & genitalibus ex decoctione apij, & mace= donij ad ignem inunctum sanat.

Recipe olei lib. VI.
Bryoniæ lib. III.
Ceræ lib. I.

Coque ut præcedens, habet enim uires similes per omnia. SE. Quam compositionem seruaturus sum? BRAS. Posteaquam compositio illa Nicolai Propositi im publico usu est, illam seruato.

SENEX. XXX.

Vnguentum pro Splene suam sedem hic habet. BRAS. Hoc unum est ex his unguentis quæ apud diuersos phar macopolas diuersa sunt, à tuo igitur incipito: q; seruas? SE. Hoc seruo quod nunc referam.

Recipe mucilaginis psyllij
Fœnu græci
Sem. lini.
Sem. cotoneorum
Althææ
} Singulorum unc. I.

Adipis gallinæ
Anseris
Anatis
} Singul. unc. VI.

Butyri recentis
Axungiæ suillæ absq; sale
Medullæ bouis
} Sing. unc. IIII.

Scolopendriæ
Tamarisci
Corticũ radicũ capporũ
Corticũ medior. fraxini
} Sing. drachm. III.

Olei chamæmelini unc. VI.
de capparibus unc. IIII.
liliorum alborum unc. II.
Ceræ quantum sufficit.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.

BRAS. Maxima pharmacopolarum pars hoc seruat: at in simplicium ponderibus differunt: & hi qui hoc unguentum rescribunt recentes, in ponderibus inter se diuersi sunt, in simplicibus uero minime differunt: tamē aliqui præter simplicia quæ enumerasti rosas addunt in scolopendriæ põdere, & tragacantham, in mucilaginũ pondere. aliqui uero sunt Ferrariæ (licet pauci) qui hoc quod sequitur conficiunt.

Recipe Olei communis lib. VI.
Medullæ cruris bouis lib. II.
Butyri recentis lib. I.
Succi Bryoniæ } Singu. lib. II.
Cyclaminis }
Misceantur, & bulliant usq; ad consumptionem succi: huic uero percolatæ rei addito.
Ceræ citrinæ unc. XVI.
Pulueris asplenij }
Corticum radicum cap= } Sing. unc. VI.
parorum }
Tamarisci }
Sem. agni casti }
Misce, & fiat unguentum secundum artem.

SE. Audiui te ordinem quendam seruare in his prosple ne unguentis, & quandoq; tuas quasdam compositiones paraui, quas pro nõnullis indixisti ægrotis, optarem ut illa

illa mihi referres. BRAS. Referam modo tempus nõ deficiat. Cum quempiam curo qui lienem tensum habeat cum modico dolore iubeo ut

Recipiantur olei de capparibus unc. II.
Pinguedinis anseris unc. sem.

Misce, & cum cera fiat linimentum molle, è quo calido lienis regio inungatur, si etiã lien sit ualde durus ab hoc incipio, postea ita indico.

Recipe Olei de capparibus } Sing. unc. II.
Aceti fortißimi }

Misce, & bulliant ad consumptionẽ aceti. posthea adde

Pinguedinis anseris } Sing. unc. sem.
Medulæ uitulinæ }

Misce, et cum cera fiat linimentum molle. si profecerit, ulterius non procedo, sin minus ita indico

Recipe Olei de capparibus } Sing. unc. II.
liliorum alborum }
Aceti acerrimi unc. IIII.
Succi cyclaminis unc. II.

Misce, & bulliant usq; ad consumptionem succi, & aceti, postea adde.

Pulueris radicum iridis
Galangæ
Radicum capparorum } Sing. drac. I.
Citharach
Corticum tamariscí

Pinguedinis anseris
Medullæ uitulinæ } Singul. unc. sem.
Butyri recentis

Misce, et cum cera fiat linimentum molle, si profecerit, bene

bene est, sin minus iubeo Recipi Vnguenti pro splene cõ
munis unc. III. Aceti unc. IIII.
Misce, & bulliant ad consumptionem aceti, et nonnun=
quam cyclaminis succũ addo: si uero hoc etiam adhibito
nõ profecerit, ad meum deuenio magnum pro splene un
guentum quod ita confici iubeo.

Recipe Spicæ nardi
Tamaricis
Agni casti
Rumicis
Nasturtij
Strutyion .i. condisi
Vitis albæ
Vitis nigræ
Filicis
Vrticæ
Hederæ
Isatidis
Absynthij
Hyssopi
Tragorigani
Pulegij
Dictamni
Smyrnij
Chamædridis
Polij
Leucoij
Nenupharis
Asplenij
Hemionitidis
} Singulor. unc. semis

Rubeæ

Rubeæ
Betonicæ
Polemonij. i. giargæ
Periclimeni. i. matris syluæ
Xiridis
Anchusæ
Capillorum ueneris
} Aceti scilitici lib. XV.

Misce, & bulliant ad dimidiæ partis aceti consumptionem. postea adde

Lactis humani lib. II.
Aquæ marinæ lib. III.

Corallorum drachm. IIII.

Anisorum
Sinapis
Piperis
} Sing. unc. VI.

Iridis
Acori
Cancami. i. laccæ
Lupinorum
} Sing. unc. I.

Misce, & bulliant ad cõsumptionem duarum librarum, & semis, postea adde

Olei amygdalarum dulcium lib. IIII.

Olei de capparibus
balanini
liliorum alborum
} Sing. lib. II.

Succi cotoneorum
Succi lupinorum
Succi radiculæ
Succi lepidij. i. raphani
} Sing. lib. sem.

Succi

Succi ſcillæ
Succi braſſicæ
Succi cyclaminis

Mucilaginis pſyllij
Seminum lini
Seminum fœnu græci
Althææ
} Sing. unc. II.

Omnia ſimul miſceãtur, & in toto hoc miſto bis extinguantur quinquaginta libræ ferri igniti, poſtea adde

Viſci
Peucedani
Ammoniaci
Sagapeni
Licij, Rhapontici
Ariſtolochiæ
Agarici
Cotis
Alcyonij
} Sing. unc. III

Radicum capparorum unc. VI.

Miſce, & bulliant omnia ſimul ad perfectam ſuccorum, & aceti roſolutionem: deinde robuſtiori lingula omnia commiſceantur, & agitentur, poſtea totum hoc tepefactum per ſtamineam percoletur, cui toto addatur

Pinguedinis anſeris
Anatis
Gallinæ
Vrſi
Taſſi
} Singu. unc. VI.

Butyri recentis lib. I.

Medullæ

Medullæ crurum uituli
Cerui
} Sing. unc. IIII.

Miſce probe omnia ſimul, & cum cera fiat unguentum. ſit uero cera ut ſatis uidebitur conficienti. SE. In hac compoſitione nihil deeſſe arbitror ex his quæ ad lienem extenuandum faciunt. BRAS. Immo nihil deeſt ex his quæ haberi poſſunt. cum autem mihi magnæ diſplicent medicamentorum compoſitiones, forte neq; hac uterer, niſi illam ſexcenties expertus eſſem, & nũquam me fefellerit, uerum ipſam in ultimum ſeruo, cum alia non profecerint.

SENEX. XXXI.

Vnguentũ igitur ad Combuſtos contẽplemur. BRAS. Nunquam uidi tot diuerſitates in his qui curantur, ut in cõbuſtorum præſidijs, nã nulla ferè domus eſt, quæ ſua non habeat præſidia, & pharmacopolæ in hoc etiam unguẽto diſſidentes ſunt, tu quod ſeruas refer to. SE. Hoc ego ſeruo quod ſequitur.

Recipe Thuris unc. IIII.
Ceræ unc. VI.

Miſce. BRAS. Alij ſimpliciter ſambucinum, & ceram accipiunt. alij uero ſimile unguentum parant, ut tu facis, ſed acetum addunt hoc modo, et non accipiunt ſambucinum oleum.

Recipe Corticum mediorum ſambuci quãtum uis, infundãtur in acetum per tres dies, deinde bulliant, addita
Olei communis lib. I. Ceræ nouæ unc. I.
Thuris maſculi unc. I.
Bulliant ad conſumptionem aceti, & percolentur. Sunt

aliqui

aliqui Ferrariæ qui cum indicitur unguentum ad combu
ſtos, unguentum de calce præbent, alij ita conficiunt.
Recipe Corticis medullæ ſambuci unc. II.
Bulliant in ſufficienti aqua ad duarum partium conſum
ptionem, & colentur, deinde in dicta colatura adde
Olei nucum unc. IIII.
Miſce, & bulliant lentißimo igne ad ſupraſcriptæ deco
ctionis conſumptionem. poſtea in fine adde
Ceræ nouæ unc. II.
Miſce, & fiat unguentum SE. Vidi & qui ſambuci=
no unguento ad combuſtos uterentur: immo nõnulli Fer
rariæ cũ unguentum pro cõbuſtis indicitur, ſtatim ſam=
bucinum præbent. BRAS. At quomodo conficitur?
SE. Hoc modo, ut uidi.
Recipe Raſuræ corticis medij ſambuci lib. I.
Olei communis lib. II.
Bulliant ad decoctionem raſuræ, deinde torculari expri
me, & huic expreſſo adde
Thuris puluerizati unc. IIII.
Succi ramorum tenerrimorum ſambuci unc. IIII.
Ceræ nouæ unc. IIII.
Miſce, & bulliant ad ſucci conſumptionem, poſtea abi=
gne remoue, & adde onophoron unum uini albi, dimit=
teq; hoc unguentum ſemper huic uino mixtum, combu=
ſtumq; locum pena inunge. Sit uero unguentum hyeme
tepidum, æſtate frigidum, faciet hoc unguentum ut nul
la ferè ſit apparitura cicatrix. BRAS. Alij ſunt qui
maſtichen, et myrrham addunt, ita procedentes.
Recipe Corticum medullæ ſambuci lib. I.
Olei communis lib. II.

Simul

Simul miſceantur, & ita per tres dies permaneant, poſtea igni ſuſpendantur. & bulliant quoad dimidia pars ſit conſumpta, poſtea bene exprime, & adde

Ceræ citrinæ unc. IIII.
Thuris
Maſtiches } Singulorum unc. I.
Myrrhæ

Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem, quod albo uino pluribus uicibus lauetur. SE. Nihil eſt quod eodē fiat modo apud diuerſos. BRAS. Nec ullus inuenitur hō alteri ſimilis. SE. Eſt ne aliquis antiquus huius unguenti author? BRAS. Illud inueni apud Nicolaum Alexandrinum capite. MCCC. ſui de cōpoſitione medicamentorum libri. SE. Eſt ne eodem modo confectū ut ex præcedentibus unum? BRAS. Non prorſus. SE. Huius igitur authoris (ni piget) compoſitionem referto. BRAS. Hæc eſt quæ ſequitur.

Recipe olei
Sepi recentis } Sim. unc. IIII.
Tenerrimarum ſambuci frondium
Aquæ quod ſufficit.

Sepum tritum cum oleo, & aqua ſolue, & frondes inditas lēto igne coque, poſtea in mortario omnia diu cōterendo commiſce, et cola, ſuccum uero colatum in uaſe collige, & reſerua. SE. Dicit ne hic author unguentum hoc ad combuſta ualere? BRAS. Immo authoris uerba ſunt, ad aquæ calidæ aduſtionē cōferre, et ignis: additq; ad idem ualere decoctionem oui inunctam, & capita raparum cum decenti adipe in aqua decocta trita, et impoſita multū pollere. SE. Vidi q in hyeme rapæ

ſucco

ſucco uſi ſunt, et mire profuit. BRA. *Vt ſuperius dixi nulla domus eſt quæ peculiaria præſidia non habeat ad combuſtionem, ſed mirum eſt præſidium, cum membrũ illico combuſtum eſt, ſi exulceratum non ſit, illico linteа ſupraponere aceto madefacta, & frequẽter mutare. nimirum hoc frequenter cauſa eſt, ut neq; excitentur ampullæ, lubeoq; in illo initio oleũ roſaceum omphacinũ ex oui uitello combuſto loco ſupraponi. talia in hoc caſu fieri uidi, q̃ riſum potius uidentibus, mouere quã affectis prodeſſe poßint, de quibus cum de aduſtione agemus, et eius curatione pertractabimus. ſat tibi ſit unguentorum ad combuſtionem diuerſitatem habuiſſe, & non ſolum illam quæ Ferrariæ eſt, ſed et quæ in alijs Italiæ urbibus inuenitur, ad alia igitur properato.*

SENEX. XXII.

Vnguentum Marciaton huc non ſegniter accedit. BRAS. *Cum duo ſint huius unguenti genera quod nã conficis?* SE. *Illud quod à Nicolao deſcribitur, et uocatur unguentum marciatum magnum.* BRAS. *Eſt illud quod à Martiano (ut ait) peritißimo medico nomẽ ſumpſit, nã ab ipſo inuẽtũ fuit, et conflatũ, inquit Ad capitis, pectoris, et ſtomachi dolorẽ ualet, et frigiditatẽ, ad ſplenis duritiem, et hepatis, & ad ilij dolorem, & ad ſolẽ et ad ignẽ inũctũ ſtatim ſubuenit, paralyticis, iſchiadicis nephriticis et podagricis pdeſt, tumores reprimit, durities remollit, ad ſpaſmo affectos, & ad tipyce febricitãtes ualet, & omnibus doloribus ex frigiditate uehementer medetur. At ipſius compoſitionem referto, ut illam contemplari poßimus.* SE. *Hæc eſt quæ ſequitur.*

Recipe

Recipe ceræ albæ lib. II.
Olei lib. VIII.
Roris marini
Foliorum lauri } Singulorum unc. VIII.
Rutæ unc. VII.
Tamariſci unc. VII. aliter unc. VIIII.
Eſbrij
Sabinæ
Balſamitæ
Eleliſphaci
Ocymi
Polij
Calamenthi
Arthemiſiæ
Enulæ
Betonicæ
Brancæ urſinæ
Spargulæ
Herbæ uenti } Sing. unc. IIII. & ſemis
Pimpinellæ
Agrimoniæ
Abſynthij
Herbæ paralyſis
Herbæ ſanctæ mariæ
Cimarum ſambuci
Craſſulæ
Millefolij
Semper uiuæ
Chamædridis
Centaureæ

Fragrariæ
Quinquefolij
Herbæ tetrait
} Sing. unc. IIII. & semis

Euisci radicis
Cimini
Myrthæ
} Singulorum unc. IIII.

Fœnu græci unc. I. drach. II.

Butyri unc. I. drach. II.

Vrticæ
Violarum
Papaueris nigri
Mentæ saracenicæ
Mentæ aliæ
Polytrici
Lapaceoli
Carduncelli
Matris syluæ
Maturellæ
Herbæ muscatæ
Alleluya
Linguæ ceruinæ
Crispulæ
Camphoræ
Styracis
Medullæ ceruinæ
} Singulorum unc. semis.

Adipis ursini
Gallinacei
Mastiches
} Singulorum unc. I.

Thuris unc. semis

Olei nardini unc. II.

Herbæ

Herbæ colligãtur ad dimidium menſis Maij, unoq; die, uel duobus ſi fieri poteſt ab hora tertia uſq; ad meridiẽ, cõficitur hoc modo, herbas tritas diebus ſeptem in optimo, & odoriſero uino infunde, octauo uero die ad lentũ ignem ponantur, & cum uinum aliquantulum conſumi incœperit, ſupradictum oleum addatur, & bulliant donec diminui incipiant: deinde ſtudioſe colentur, & proiectis herbis iterum ſupra ignem ponantur, & cum bullire incœperint ſtyracem appone, cũq; modicum bullierint, butyrum adde, & axungiam aliquantulum contuſam, & oleum nardinum, maſtichen, & olibanum, & deniq; ceram, quæ cum liquefacta fuerit ſemper ſpatula agitando ab igne remoueatur, & cum coagulatum fuerit, in uaſe reſerua. BRAS. Et ſi compoſitio hæc in uſu ſit, tamẽ nunquam illam probare potui, quia calida frigidis miſcet, cum hic ſolis indigeamus calidis, quãuis & ipſe Nicolaus Alexandrinus eãdem præciſe in ſimplicibus poſuerit compoſitionem: at in põderibus differt. SE. Huius Alexandrini compoſitionem (ni pigeat) referto. BRAS. En refero.

Recipe ceræ albæ lib. IX.
Olei ſextarios ſex.
Roris marini
Foliorum lauri } Singulo. lib. II. & ſemis.
Amaraci lib. II.
Esbrij
Sabinæ
Balſamitæ
Ocymi } Singul. lib. I. & ſemis.
Eleliſphaci

Polij
Calamenthi
Arthemisiæ
Enulæ
Betonicæ
Brance Vrsinæ
Herbæ uenti
Pimpinellæ
Argemoniæ
Absynthij
Herbæ paralysis
Herbæ sanctæ Mariæ
Cimarum sambuci
Herbæ crassulæ
Semper uiuæ
Mille folij
Chamædridis
Centaureæ
Centum neruiæ
Fragulæ
Quinq; folij
Herbæ tetradit

} Singul. lib. I. & semis.

Radicis euisci
Cimini
Myrrhæ

} Singulorum lib. I.

Fœnu græci lib. semis.
Butyri unc. V.
Vrticæ
Violarum
Papaueris rubri

} Singulorum unc. III.

Mentæ

Mentæ ſaracenæ
Mentæ aliæ
Lapathioli
Polytrichi
Carduncelli
Matris ſyluæ
Maratri
Herbæ moſcatæ
Alleluya
Linguæ ceruinæ
Criſpulæ
Camphoratæ
Styracis
Medullæ ceruinæ
Adipis Vrſini
Gallinacei
} Singulorum unc. III.

Thuris uncias duas.
Olei nardini unc. I.

Herbas tritas diebus octo in uino infunde, octauo die lento igne, penè ad cõſumptionem coque, & oleum adde, ſimulq; omnia tãdiu coque donec ſucci herbarũ abſumantur: deinde cola, et abiectis herbis ſtyracem adhibe, & cum modicum bullierit, cerã inde, cumq; liquefacta fuerit, ab igne remoue, & puluerem admiſce, & cum coagulatum fuerit uaſe conditum uſui reſerua. SEN. Eadem eſt in ſimplicibus prorſus, at in ponderibus differt, ſed quam ego ſeruaturus ſum compoſitionem? BRAS. Quam uolueris ſeruato, nam pro meis ægrotis illam nunquam indicam, immo compoſitio iſta facit ut Nicolaum Alexandrinum antiquum fuiſſe authorem

minime arbitrer. SE. Quam ob rem? BRASA. Quia multa ponit ſimplicia recẽtia, quale eſt herba uẽti, id eſt cimbalaria, quæ parietibus imhæret, & herba ſanctæ Mariæ, & alia multa, quæ apud antiquos nomẽ ſortita non ſunt, tamen non ambigo Nicolaum Propoſitum ab hoc Alexandrino accepiſſe. SEN. Vt uideo prorſus accepit, in põderibus uero aberrauit. BRAS. Immo & compoſitionis initium hoc oſtendit, cum ait ad frigiditatem, & dolorẽ capitis, pectoris, & ſtomachi, ad ſcliron hepatis, & ſplenis, ad ilij dolorem, ad paralyticos, arthriticos, iſchiadicos, nephriticos, & podagricos, et ad omnes dolores, ad tumores, duritiẽ, ſpaſmum, et febrientes, ad ignem uel ſolem inunctum ualere. SE. Ad eadem proficere dicit Propoſitus, quãuis in hoc ultimo differant. BRAS. At non omnes pharmacopolæ hoc ſeruant, ſed aliqui ſunt qui cum indicitur unguẽtum marciatũ, illud præbẽt, quod reſpectu præſcripti, quod magnum dicitur, paruum uocatur. SE. Quomodo cõficiunt? nam ego ſemper magnum ſeruaui. BRAS. Ita ab ipſis conficitur, & ſeruatur.

Recipe foliorum lauri lib. III.
Rutæ lib. II. & ſemis.
Amaraci lib. II.
Roris marini lib. I. & ſemis.
Foliorum myrti lib. I.
Floris ſaluiæ
Balſamitæ. i. mentæ aquaticæ } Singul. lib. ſemiſ.
Ocymi
Butyri unc. VI.

Maſtiches

Mastiches
Styracis calamitæ
Medullæ ceruinæ
Adipis Vrsi
Gallinæ
} Singulorum unc. I.

Thuris unc. II. & semis.
Olei nardini unc. I.
Olei omphacini lib. VI.

Misce, & fiat unguentum ut in magno dictum est. SE. Fortè hæc est melior compositio. BRAS. Illam ego magis probo, quia nullas continet contradictiones. SE. Fortè hæc est ab aliquo antiquo accepta. BRAS. Ab eodem Nicolao Alexandrino, neq; adeo in ponderibus differt, ut præcedens facit. SE. Refer (ni pigeat) quid author ille scriptum reliquerit. BRAS. Ita dicit, Vnguentum Marciaton usuale ad podagram frigidam, siue calidã, paralyticos, arthriticos, nephriticos, ischiadicos, & ad omnia uitia, & dolores neruorum.

Recipe foliorum lauri lib. III.
Rutæ lib. II. & semis.
Amaraci lib. II.
Roris marini lib. I. & semis.
Foliorum myrti lib. I.
Esbrij. i. florum saluiæ
Balsamitæ, Ocymi
} Singulorum unc. VI.
Butyri unc. V.
Styracis
Medullæ ceruinæ
Adipis Vrsini
Gallinacei
} Singulorum unc. IIII.

Maſtiches unc. III.
Thuris unc. II. & ſemis.
Olei nardini unc. I.
Olei oliuarum
Ceræ } quod ſufficit.

Herbas cõtuſas diebus quinq; in oleo macera, ſexta die lenes ad prunas tãdiu coque donec ſuccus conſumatur: deinde cola, & abiectis herbis medullas, & adipes liquatas appone, & ſpatula exagitando, ceram adijce & liquatis puluerem terendo admiſce: deinde ab igne depoſtis oleum nardinum infunde, & agita donec in idem corpus redigatur, poſtea uaſe conditum uſui reſerua. SE. Non eſt magna differentia huius unguenti ad illud quod (ut dixiſti) nonnulli Ferrarienſes pharmacopolæ ſeruant. BRAS. Hoc nihil refert, ſi ego marciaton unguento indigerem, optarem potius ut hoc acciperetur, q̃ magnum. At ſiue fiat, ſiue non fiat, haud magnifacio.

SENEX. XXXIII.

Vnguentum Reſinum contemplandum eſt. BRASA. Arbitror nullum eſſe unguentum magis conſtans iſto, nam omnes idem præciſe conficiunt, in hoc ſolum differunt, quod aliqui oleum roſaceum accipiunt, alij oleum commune, omnes uero ita conficiunt.

Recipe olei communis
Terebinthinæ
Reſinæ pini
Ceræ citrinæ } Singul. partes æquales.

Miſce, & ſecundum artem fiat unguẽtum. tu uero quod oleum accipis? SE. Oleum roſaceum ſemper accepi. BRAS. Si roſaceum accipiatur magis redolet, tamen

apud

apud nonnullos pharmacopolas Romæ unguẽtum quod sequitur pro resino unguento uenditur.

Recipe Resinæ pinguis albæ & mollis unc. II.
Gummi helemi unc. semis.
Olei rosacei unc. I.
Ceræ albæ quantum sufficit.

Misce, & cum uino albo conficiatur unguentum. SE. Nunq̃ uidi hoc pro resino unguento seruari. BRAS. Et nullus est Ferrariæ, uel Venetijs qui ipsum conficiat pro resino unguento. Conciliator ait, Vnguentum hoc cerebrum roborare, superfluitatesq; exiccare quæ sub osse sunt absq; abrasione & ipsius ossis detractione.

SENEX. XXXIIII.

Vnguentum Basilicon ad examen uenit. BRAS. Et suæ sunt in hoc unguẽto difficultates, nam aliqui Mesue basilicon seruant, alij basilicon quoddã quod magistrale uocant. SE. Quale est hoc quod dicis, nam ego semper Mesue basilicon seruaui. BRASA. Et deinceps etiam seruato, sed maxima pharmacopolarũ pars hoc quod sequitur seruat.

Recipe picis naualis
Picis græcæ
Terebinthinæ
Resinæ
Olei communis
} Singulorum unc. VI.
Ceræ nouæ unc. IIII.

Misce, & igne lento fiat unguentũ. SE. Diu est quod multos ita conficere noui, sed amplior uidetur Mesue compositio, nam ipse ita conficit, & ad parui differentiam magnum basilicon uocat.

Recipe

Recipe Ceræ albæ
Reſinæ
Sepi uaccini
Picis glutin
Olibani
Myrrhæ
} Sing. partes æquales.
Olei quantum ſufficit. ſequitur deinde Meſue in alio. ſ. libro.
Ceræ unc. VI.
Picis unc. III.
Alliorum ſingul. unc. I. & ſemis.

BRAS. Sunt aliqui Ferrariæ qui hoc Meſue unguentum ſub ponderibus quæ ſequuntur conficiant.

Recipe Ceræ citrinæ lib. I.
Picis naualis unc. VIII.
Myrrhæ
Reſinæ pini
} Singulorum unc. IIII.
Terebinthinæ unc. V.
Olei communis lib. I.
Sepi uaccini
Olibani
} Singulorum unc. IIII.
Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.

SE. Ex tot rebus nunq̃ confici uidi. BRAS. Deinceps ita non dices, uerũtamen alij ſunt qui ita cõficiunt.

Recipe Reſinæ pini
Ceræ citrinæ
Picis naualis
} Sing. lib. I.
Olei communis lib. II.
Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.

SE. Horum unguentum quatuor tantum recipit ſimplicia

cia. BRAS. Alij sunt qui ita ex qnq; simplicibus parãt.

Recipe picis naualis
Colophoniæ
Resinæ pini
Olei communis
Ceræ citrinæ
} Singulor. unc. VI.

Misce. Alij ex sex simplicibus ita conficiunt.

Recipe picis naualis
Picis græcæ
Terebinthinæ
Resinæ
Olei communis
} Singu. unc. VI.
Cere unc. IIII.

Misce, & fiat unguentum secundum artem.

Alij recipiunt ceram æqualiter. Aliqui basilicon minus Mesue conficiũt, et seruant. SE. Est ne illud quod quatuor tantum recipit simplicia? BRAS. Illud inquam quod ita conficitur.

Recipe Resinæ
Picis
Ceræ
} Singu. partes æquales
Olei quantum sufficit. SE. Maxima est in una urbe diuersitas. uix tot sunt pharmacopolæ, quot sunt in hoc unguento diuersitates. BRAS. Reperitur & apud Serapionẽ maius basilicon, & minus. maius ex quatuor simplicibus tantum parat, iccirco illud uocat tetrapharmacum, cum tamen sit pentapharmacum, nam recipit picem, resinam, sepum uaccinũ, & oleum quantum necesse est. Minus uero Serapionis basilicon idem est cũ minori Mesue, & apud Auicennam minus basilicon eo-

dem

dem modo confectum est, ut in Mesue reperitur. At ma
ius ex his conficit.

Recipe Ceræ lib. I.
Picis unc. VIII.
Myrrhæ
Resinæ } Sing. unc. IIII.
Glutinis Alimbat unc. IIII.
Olei lib. II.

Misce, & fiat unguentum secundum artem.

SE. Ad quos ualet affectus? BRAS. A Mesue dicitur uulneribus conferre in quibus non est calefactio. Mesue autem codex deprauatus est, quia affirmatiue legitur, quod erat negatiue legẽdum: & proprie ualet in neruorum, neruosarum ue partium uulneribus: nam illa mundificat, & incarnat. Antiquum Mesue codicem legi, in quo scriptum erat conferre uulneribus in quibus deest calefactio. SE. Multi ambiguitates faciunt in illa parte in qua dicit glutinis alimbat: nam aliqui uolunt esse una nam rem solam, aliqui duas: quid censes tu? BRASA. Ad unguenti intentionẽ utrunq; conuenit: propterea arbitror utrunq; esse in compositione finendum. SEN. Reperitur ne apud antiquos eiuscemodi unguentum? BRAS. Immo reperitur, nam de eo Trallianus agit, libro primo, capite XVII. propè finem, ubi de Cephalalgia ex ictu agit, & dicit tetrapharmacum pares habere portiones ceræ, et picis, resinæ, sepi taurini, aut uitulini, hoc ucro tetrapharmacum est basilicon unguentum antiquorum: nam Oribasius Sardianus in libro Inflammationum, ubi de Aurium inflãmationibus agitur, cum nardino oleo miscet basilicon, quod tetrapharmacum

macũ uocari ait. idem præſidium adhibet in aurium do=
lore ex inflãmatione, in primo capite tertij libri de Cõ=
poſitione medicamentorum ſecũdum locos Galenus, ubi
ait. Quod ſi inflammatio adſit, optimum ad eam phar= ‹‹
macum unguentum nardinum, cum exiguo baſilico ap= ‹‹
pellato pharmaco infunditur: idem etiam tetrapharma ‹‹
cum appellatur. Ex his forte Meſue defendi poſſet, cum ‹‹
in ipſius exemplaribus affirmatiue ſcriptum eſt baſilicõ
uulneribus conuenire, in quibus eſt calefactio: tamẽ ego
in aurium inflammatione non uterer nardino cum modi
co baſilico, cum plura adſint, quæ aurium inflammatio=
ni magis conueniunt: tamen nec uererer iſta adhibere ad
pus mouendum, in inflammatione potißimum aurium,
& in uulneribus ad mouendũ pus. Vnde et AEtius libro
ſecundo, capite 150°. inquit. Et quæ induratas par= ‹‹
tes molliunt, & quæ inflãmatas maturãt, quale eſt quod ‹‹
tetrapharmachum, & quod baſilicon appellatur. Vt ‹‹
hinc colligi poßit inflammationes maturare eiuſcemodi
unguentum. Paulus libro ſeptimo, capite decimo ſepti=
mo inquit. Baſilicon tetrapharmacum, quod confici ‹‹
tur è ceræ, colophoniæ, picis, adipis taurini, portioni= ‹‹
bus æqualibus, ex eiſdem etiam cõfici AEtius docet. Hi ‹‹
uero oẽs à Galeno accepere: namille in primo de Elemen
tis libro ubi illos reprehendit, qui dicebant non eſſe ele=
menta in mixto, quia non uidenť, inquit. Eadẽ ratione ne ‹‹
garet aliquis ex cera, reſina, pice, et adipe id medicamẽ ‹‹
tum componi, quod tetrapharmacum nominatur. & in ‹‹
primo commentario de Natura humana, ſectione pri=
ma, idem ſentiens, & idem agens, quod in præaducto li=
bro de Elemẽtis inquit. Quod perinde eſt ac ſi in me= ‹‹

dicamenta

» dicamento tetrapharmaco merã tibi ceram oſtendi, aut
» picem, aut adipem, aut reſinã poſtules, in eodem libro,
» ſectione tertia, inquit. ut tetrapharmacum medicamen-
» tum, neq; ceram eſſe, neq; picem, neq; reſinam, neq; adi-
» pem, ſed unum quid aliud ab his diſtinctum, quod ex his
» eſt omnibus genitum, in quarto Methodo medẽdi libro,
tetrapharmaci uim eſſe docet, calefacere, humectare, et
celeriter pus mouere. Et in quinto etiam Methodi me-
» dendi de tetrapharmaco inquit. Quãdo planè multo ma
» gis augere putredinẽ paucis debuit, ut pote quod ficca-
» re ulcus prorſus non poteſt, maturare plegmonem po-
» teſt. Et in 13°. Methodi medendi libro membrum ali-
quod modice calefacere, & humectare uolẽs, tetraphar
maco utitur, quod roſaceo liquat, uel ubi abſit, aliquo
ex relaxantibus. Celſus etiam libro quinto idem tetra-
pharmacum deſcribit, ad pus mouendum: ita uero dicit.
» Puri autem mouendo, non aliud melius quam quod exp
» ditiſſimũ eſt, τετράφαρμακον à græcis nominatur, ha-
» bet pares portiones ceræ, picis, reſinæ, ſepi taurini, ſi
id non adeſt, uitulini: tamen adeſt baſilicon emplaſtrum
nigrum apud eundem Celſum. SE. Quomodo hoc con
ficitur? BRAS. Hoc modo

Recipe Panacis pondo I.
Chalbani pondo II.
Picis
Reſinæ } Sing. pondo. X.
Olei dimidium cyathi.

SE. Arbitror te poſuiſſe deſcriptionem quãpiam huic
ſimilẽ. BRAS. Similem forte, ſed non eandem. SE.
Quã ergo compoſitionẽ ſum ego ſeruaturus? BRAS

Quando

Quando pus mouendum est, & mediocriter calefaciendum ac humectandum Galeni basilico semper utaris, Tetrapharmaco uocato, si uero adsint neruorum uulnera in quibus etiam pus mouẽdum sit, Mesue basilicon accipito, uerum ad nauseã de hoc unguẽto iam locuti sumus.

SENEX. XXXV.

Ob hoc unguentum de Cerussa cõtemplemur. BRAS. Hoc etiam unguentum album Rasis uocatur, & à uulgaribus dicitur unguento de biaca. SE. Notato tria esse apud pharmacopolas de cerussa unguenta. BRAS. Quænam sunt? SE. Vnguentum de cerussa crudum, unguentum de cerussa coctum, & unguentum de cerussa ad phlegma salsum, et scabiem siccam. BRAS. Referas hoc de cerussa ad salsam pituitam. SE. Iam refero.

Recipe cerussæ
Lithargyrij } Singulorum drach. VI.
Plumbi usti
Scoriæ argenti } Singulorum drach. IIII.
Mastiches
Olibani } Singulorum drach. II. & semis.
Olei rosacei
Aceti } Singulorum quantum sufficit.

Terantur in mortario, & prius oleum imponatur deinde acetum, et absq; intermissione misceantur, modice, ac paulatim instillando quoàd sit optime mista, si quis uero eo uti uoluerit, adde argenti uiui drach. V. & si fuerit necessarium adde ziniar drach. II. BRAS. Nõ adest Ferrariæ in aliquo uel antiquissimo pharmacopolio eiusmodi unguentũ, et est unguentum de cerussa Mesue, forte uero tu illud confectum habes. SE. Immo

mo

mo semel tantum ipsum paraui, sed nunquam uendidi.
BRAS. De crudo igitur, & cocto unguento de cerus sa loquamur. SE. Crudum ita paro.
Recipe olei rosacei lib. I.
Cerussæ lotæ unc. X.
Ceræ albæ unc. VI.
Camphoræ drach. II.
Misce. BRAS. In huius etiam unguenti ponderibus magnæ sunt apud nostrates pharmacopolas differẽtiæ, neq; in camphoræ appositione conueniunt, nam aliqui illam adijciũt in maiori copia, alij in minori, alij neque adijciunt, audias uero has ponderum differentias, nonnulli etenim hoc modo parant.
Recipe cerussæ tenuiter puluerizatæ unc. VIIII.
Olei rosacei lib. I. & semis
Ceræ albæ unc. II. et semis
Misce, & fiat unguentum.
Alij uero ita conficiũt.
Recipe olei rosacei lib. I.
Cerussæ unc. VIII.
Ceræ albæ unc. IIII.
Misce, & fiat unguentum.
Alij hoc seruant.
Recipe olei rosacei lib. III.
Cerussæ lib. I.
Ceræ albæ. unc. VIIII.
Camphoræ drach. I. & semis
Albumina ouorum numero. II.
Misce, & fiat unguentum. SE. Cur præscripti camphoram non adijciunt? BRAS. Vt simpliciter sit unguentum

guentum album, & non unguentum album cũ campho= ra, quod recentes camphoratam uocant. nonnulli uero ita conficiunt.

Recipe olei rosacei drach. IIII.
Ceræ albæ drach. II.

Ceruſſæ quantum ſufficit ad inſpiſſandum, et in fine duo ouorum albumina addantur. SENEX. Hi ſuum hoc unguentum ſingulis diebus facere debent, & non ſeruare. BRAS. Ita arbitror. immo multa ſunt ſim= plicia unguenta, quæ tunc fieri optarẽ cum illis quiſpiã indiget, ex Raſi uero ita confici debet.

Recipe ceruſſæ lotæ aqua roſacea, uel plantaginis plu= ribus uicibus unc. VI.
Ceræ albæ unc. III.
Olei roſacei loti lib. I.

Liquefacta cera cum oleo lento igne, ab igne remouea= tur baculo ſemper agitando, cumq; ad frigiditatem ferè attigerit, ceruſſam adijce tenuiſſime puluerizatã, in fi= ne quatuor ouorum recentium albumina adijcito, & ſi= mul miſcendo probè agitato. qui deinde unguentum hoc camphoratũ efficere cupiunt, in ſingula unguẽti libra duas camphoræ drachmas optime miſcendo imijciant. SE. Sunt ne alij authores qui unguentum hoc conficiant præter Raſim? BRAS. Auicenna duas habet deſcri= ptiones, in quarum unaquaq; lithargyrium ingreditur, prima autem compoſitio quam dicit ad ignis aduſtionẽ facere, & excoriationem

Recipit lithargyrij drach. I.
Ceruſſæ drach. V.

Ceræ albæ drach. VII.
Olei rosacei unc. II.

Cera, et oleum unà liquefiant, et ceruſſa, ac lithargyriũ addantur, ſimulq; miſceantur, antequam infrigidentur, & uniũ: oui albugo unà iungatur. SE. Optarem etiã ſecundum Auicennæ compoſitionẽ audire. BRAS. Nunc audies.

Recipe ceruſſæ drach. IIII.
Litargyrij drach. II.
Scoriæ argenti aur. I.
Tragacanthi drach. I.

Terantur, & ſetaceo cribro quatiãtur, deinde recipiatur ceræ albæ unc. I. quæ cũ uncijs quatuor olei roſacei liquefiat, omniaq; ſimul in mortario commiſceãtur. Serapio eaſdem duas de ceruſſa compoſitiones refert, at ſecunda in ſimplicibus quidem conuenit, ſed in ponderibus differt. SE. Ne illam prætermittamus obſecro. BRAS. Ita ab authore ſcriptum eſt.

Recipe ceruſſæ plumbeæ drach. VII.
Lithargyrij drach. III.
Scoriæ argenti drach. II.
Tragacanthi drach. I.

Terantur, & ſetaceo cribro excernantur, & addatur ceræ albæ uncia una, quæ cum tribus olei roſacei uncijs liqueſcat, & in mortario miſceantur. SE. Sunt ne antiqui de hoc albo unguento locuti? BRAS. Galenus in primo de Compoſitione medicamentorum per genera, multa refert alba emplaſtra, quæ dicit ex argẽti ſpumæ ceruſſa fieri, cur uero ex hac ceruſſa fiãt addit uel coloris cauſa medici argẽti ſpumæ ceruſſam ad alba

emplaſtra

emplaſtra conficiẽda miſcẽt, uel ut quãdam adſtringendi, ac refrigerandi uim medicamento concilient, tu cum otiũ nactus eris, alba illa Galeni emplaſtra legere poteris, nullum tñ eſt quod his conueniat quæ ſuperius ſcripta ſunt, omnibus autem albis unguentis antiqui ferè aquam miſcebant. Apud Nicolaum Alexandrinũ album quoddam reperitur capite. MCCVIII. quod album non eſſe certus ſum, nam Recipit abſynthij unc. II. At unguentum de ceruſſa coctum quomodo paras? SEN. Ita paro.

Recipe olei communis lib. II.
Ceruſſæ ſubtilis lib. I.

Coquantur lento igne donec ſecundum artem ſit percoctum. Aliqui ſunt qui addunt ceræ albæ mũdæ unc. IIII. & in globos congerunt, & ſeruant BRASA. Mihi ſemper placuit ut cera adderetur. SEN. Tamen & abſq; cera in globos optime diſtribuitur. BRAS. Ad alia igitur unguentorum genera te conferas.

SENEX. XXXVI.

Vnguentum de Arthanita, poſt illud de ceruſſa accedit. BRAS. Non eſt in magno uſu Ferrariæ, neq; in uno, aut altero pharmacopolio illud inuenies. At cum duplex ſit: maius. ſ. & minus, multi minus conficiunt, quia facilius efficitur, & cum unguentum de arthanita indicitur illud præbent, etiam ſi à medico diceretur. Recipe unguẽti de arthanita maioris. SE. Hoc error eſſe uidetur. BRAS. Neq; mediocris. SE. Ad quos ualet affectus? BRASA. Ex eo imungi uentrem, & ſumem, & ilia, cathartici loco educere, imungi uero ſtomachum, uomitum excitare, uermes educere, & hydro

pi conferre, aquamq; educere citrinam, adhibendumq; his est qui medicamentum sumere nõ ualent. SE. Cuius authoris est? BRAS. Mesue illud refert ad Alexandrum, tu uero compositionem referto. SE. Hæc est quam refero.

Recipe succi arthanitæ.i.cyclaminis lib. III.
Olei irini lib. II.
Butyri uaccini lib. I.
Pulpæ colocynthidis unc. IIII.
Polypodij unc. VI.
Euphorbij unc. semis.

Quæ terenda sunt terantur, & in succos, & olea submergãtur, & in uitriatum uas arcti orificij ponantur, caputq; ipsius ligetur, & per dies octo dimittatur: deinde totum bulliat ebullitione una & coletur, postea huic colaturæ adde

Serapini aur. V.
Myrrhæ aur. II.

Prius tamen in aceto uini quãtum sufficit dissoluantur, & omnia simul misceantur, simulq; bulliãt baculo semper agitando, hocq; fiat usq; ad succorum ferè consumptionem, tunc adde

Ceræ unc. V.
Fellis uaccini aur. V.

Ferueat cum eis quoàd cera liquefiat, deinde quæ sequũtur in puluerem redacta misceantur.

Recipe Scammonij
Aloes
Mezereon
Colocynthidis
} Singulorum aur. V.

Euphorbij

Euphorbij aur. II.
Salis gemmæ aur. III.
Turbith aur. V.
Piperis longi, Gingiberis, Chamæmeli } Singulorum aur. II.

Conficiantur, & administrentur. SEN. Inuenitur ne apud Alexandrum? BRAS. Per Alexandrum, Mesue Trallianum intelligere solet, ego multum quæsiui, tamen apud authorem illum compositionem hanc inuenire non potui, nescio an alium Alexandrum intellexerit Mesue, quem tamen non cognouerim. SE. Sunt ne alij qui aliter hoc unguentum conficiant, quam ego retulerim? BRAS. Multi in põderibus differunt, si pharmacopolarum libros leges, immo hæc met compositio à Mesue in capite de Arthanita posita est, tamẽ in aliquo sed modico differt, mihi placeret ut tu modo citato compositionem hanc conficeres. SE. Iam confeci, & de nõ nullis miror pharmacopolis, qui unguentum hoc non cõficiunt, sed Bononiã mittunt ac emunt. BRASA. Et ego magis miror, quod quid sit ignorãt, propterea optarem ut omnes diligentißime conficerent, ut scirent qua esset diligentia cõfectum, neq; conscientia remorderet, quæ homines intrinsecus corrodit. SE. A multis audiui unguentum hoc reprehendi ueluti periculosum, quid censes tu? BRAS. De illis miror qui in illo periculũ faciant extrinsecus inungendo, secus est si per os sumeretur, immo quia nonnulli eo in clysterijs utuntur, & ego nõnunquam in pauca copia usus sum, illis cõmiscere debet. Adde medicum plærũq; frustrare, & per uentrẽ

non educere, & hoc præsertim quando est antiquum. quicquid ab alijs dicatur ipsius usus non est uerendus, nonnunq̃ experiri uolui an cyclaminis succus idem efficeret (nam ait idem secundum Galenum efficere, quod hoc efficit unguẽtum) & nõ solum uentrẽ deliniri iussi, sed & lintea madefieri, & toti supraponi uentri. tamen nec tantillum uentrem soluit, ne dum cõmouit. hi quibus hoc unguentum uentrem soluit, post semihoram circa umbilicum motiones quasdam paruas sentiunt, postea quædam parua tormina cum rugitu, & uenter cõmouetur, ac excernunt. at hoc nõ fit, nisi postea quam ipsius uis ad intestina penetrauerit, illaq; commorserit, et uim expultricem ad expellẽdum excitauerit. SE. Quomodo cõfectum est minus de arthanita unguentũ, quod nonnullos seruare dixisti? BRAS. Ita illud cõficit Mesue.

Recipe succi arthanitæ
Viscositatis quæ mulgetur ex radice filicis
Succi chamæmeli (aliter chamæcentes). i. ebulorum
} Singul. unc. IX.
Succi extremitatum tamariſci drach. II.
Olei irini lib. XI.
Hyssopi humidæ drach. V.
Ammoniaci
Bdellij
} Singul. drach. I. & semis.
Aceti quantum sufficit.
Ceræ citrinæ unc. VI.
Corticum radicum capparorum unc. I. & semis.
Spicæ drach. IIII.

Misce, & fiat, ut superius dictum est. s. in unguento de arthanita

arthanita maiore, tamen alij sunt, qui ita Ferrariæ ut sequitur parant, à præcedẽtibus in ponderibus solum differunt, & non in rebus.

Recipe succi arthanitæ
Succi uiscositatis filicis } Sing. unc. IIII. & sem.
Succi ebulorum
Succi tamarisci unc. I.
Olei irini lib. I.
Hyssopi humidæ drach. II. & semis.
Ammoniaci } Singul. scrup. II. & gra. V.
Bdellij
Ceræ citrinæ unc. III.
Corticum radicum capparorum drach. VI.
Spicæ drach. I. & semis.

Aceti modicum. misce, & fiat unguentũ. tamen nota & alios alia habere pondera, in compositione uero quã ex Mesue adduxi quod legit olei irini lib. XI. corrige, & legito lib. II. SE. Cur ita retulisti? BRAS. Quia & ita in authore scriptum erat, & ita in impressis codicibus passim legebatur. SE. Placet ne ut ita cõfectum seruem? BRAS. Minime omnium, sed magnum potius seruato, ne & tu medicos decipias, cũ unguentum de arthanita simpliciter indicũt, nam semper magnum intelligunt.

SENEX. XXXVII.

Vnguentum stomachale me molestat, ut in examen accedat. BRAS. Nõ sunt & in hoc minores quam in alijs unguẽtis differentiæ, nam quot sunt pharmacopolæ tot ferè sunt pro stomacho unguẽta tu uero quod nam conficis? SE. Hoc quod refero.

Recipe olei cotoneorum
Nardini
Maſtichini
De abſynthio
} Singulorum unc. IIII.

Cinnamomi
Roſarum
Cyperi
Gallarum
Gingiberis
Piperis
Carui
Amidis
Gariophyllorum
Abſynthij
Mentæ
Maſtiches
Maceris
} Singulorum drach. II.

Charabe
Ligni aloes
Cardamomi
} Singulorum drach. II.

Ceræ citrine quantum ſufficit.

Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem. BRAS. Forte tu ſolus es qui unguẽtum quod adduxiſti paras, nã alij hoc efficiunt & ſeruant.

Recipe olei nardini
Maſtichini
Chamæmelini
De menta
De abſynthio
} Singulorum unc. II.

Olei cotoneorum unc. III.

Olei

Olei roſacei unc. I. & ſemis

Maceris
Maſtiches
Gariophyllorum
Nucis moſcatæ
Cardamomi maioris
minoris
Galangæ
Ligni aloes
} Singulorum drac. II.

Corallorum rubrorum
Coriãdrorũ præparatorũ
Roſarum rubrarum
} Sing. drac. II. & ſem.

Sũmitatum abſynthij
Mentæ
Florum chamæmeli
Sumitatum ſchœni
} Sing. drach. I. & ſemis.

Omnia ſubtiliſſime conterantur, et addito modico ceræ fiat linimentum molle, addẽdo panis uſtulati prius in aceto infuſi unc. ſemis. At alij ſunt qui ita conficiunt.

Recipe maſtiches unc. I.
Ligni aloes unc. ſemis
Maceris
Gariophyllorũ
Spicæ
Piperis albi
Cardamomi
Galãgæ, Cinamomi
} Singulorum drach. II.

Mentæ
Abſynthij
Roſarum rubrarum
} Singulorum drach. V.

Corallorum rubrorum drach. VI.
Olei de absynthio
De spica } Singulorum unc. VIII.
Mastichini
Ceræ albæ unc. VI.
Misce, & fiat unguentum secundum artem.
Alij uero sunt qui hoc modo parant, ac seruant
Recipe olei de absynthio
Nardini } Singulorum unc. I.
Mastichini
Postea abluantur uino albo tenui odorato, & adde
Rosarum rubrarum
Corallorum
Gariophyllorum
Cinnamomi } Singulorum drach. I.
Ligni aloes
Macis
Mentæ
Schœni
Misce, et cum modico ceræ fiat unguentū secundū artē.
Alij uero ita conficiunt.
Recipe mastiches drach. IIII.
Aloes drach. III.
Macis
Gariophyllorum
Spicæ
Croci
Myrrhæ
Piperis albi } Singulorum drach. I.
Cardamomi

Galangæ

Galangæ
Granorum paradiſi
Cinnamomi
Calami aromatici

Florum labruſcæ
Mentæ
Succi abſynthij
Roſarum. } Singulo. drach. II.

Corallorum rubrorum drach. III.

Olei maſtichini
de Spica
de Abſynthio
de Cotoneis } Singulorum unc. IIII.

Ceræ unc. IIII. & ſemis.

Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem. Nonnulli uero ſunt qui eiuſcemodi unguentum ita parant.

Recipe cinnamomi
Gariophyllorum
Nucis moſcatæ, Galangæ
Calami aromatici
Ligni aloes
Maſtiches, Maceris
Corallorum rubrorum } Singul. unc. I.

Roſarum rubrarum
Florum labruſcæ
Abſynthij, Mentæ } Singulorum unc. II.

Olei roſacei
Maſtichini, de Cotoneis
de Menta, de Abſynthio
Ceræ citrinæ } Sing. lib. I.

Miſce

Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem. Non deſunt etiam qui hoc ſeruant.

Recipe Maſtiches unc. I.
Aloes ſcrup. II.
Gariophyllorum, Cinnamomi, Calami aromatici } Singulorum ſcrup. IIII.
Aquæ roſaceæ, Vini cotoneorum } Singulorum drach. III.
Olei maſtichini drach. IIII.
Ceræ quantum ſufficit.
Miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.

SEN. Ex his unguentis quod nam tibi magis placet?

BRAS. Optarem ut unuſquiſq; medicus tunc conficeret, quando indigeret, ex quatuor, uel quinq;, uel quot uoluerit ſimplicibus, & unguentum illius temperiei proprium eſſe, qui inungi debet, & nonnunquam illud magis calidum conficere, nonnunquam minus calidum, ut exigit affectus. non enim uniuſcuiuſq; pes uno, & eodem calciandus eſt calopodio, ſed uni unguentū hoc erit magis calidum quam conueniat, alteri minus.

SENEX. XXXVIII.

Hoc prætermiſſo, unguentum de Betonica contemplemur.

BRASA. De illo in ea parte egimus, in qua de unguento uocato Capello, id eſt cephalico pertractauimus, nam illa quæ retulimus betonicam recipientia, ſunt apud pharmacopolas unguenta de betonica.

SE. Iam memini, mente uero exciderat.

BRAS. Vnguentum igitur aliud in medium adducito.

SENEX.

SENEX. XXXIX.

Populeonis unguentum sese offert. BRAS. *Tuum edisſere quod conficis.* SE. *Nicolaum sequor & unguentum populeonis quod ipse parandum docet conficio, ita uero parat.*

Recipe Oculorum populi lib. I. & semis.

Papaueris nigri
Foliorum mandragoræ.
Cimarum tenerrimarum rubi
Foliorum hyoscyami
Solatri
Vermicularis
Lactucæ
Sempuiuæ, Bardanæ
Violarum
Vmbilici ueneris

} *Singulor. unc.* III.

Axungiæ suillæ sine sale recentis lib. II. *aliter* III. *Oculi populi per se primo bene pistentur, & iterum cum axungia miscendo pistentur, & globi fiant, qui per duos dies dimittantur, tertio die omnes supradictæ herbæ colligantur, & per se probè terantur, postea cum globis iterum pistentur, ac misceantur: globis iterum confectis per nouem dies reseruentur, deinde globi illi frustatim in caldarium cum libra una odoriferi, & optimi uini ponantur, & bulliant usq; ad uini cõsumptionem, baculo semper agitando: deinde hoc totum in saccum ponatur, & probè exprimatur: hocq; expressum infrigidari sinatur. in uas deinde ad usus reponatur.* BRASA. *Ad quos usus?* SE. *Nicolaus dicit ualere contra calorẽ*

acutæ

acutæ febris, & his conferre qui dormire nequeunt, tẽporibus inunctis, pulsibus, plantis manuum, & pedum: hoc idem cum oleo rosaceo, uel uiolaceo mixtũ super hepar extensum calorẽ mirabiliter tollit, & sudorem prouocat, si supra umbilicum eo inungatur. BRAS. Tu hoc uerum putas? SE. Ab authore dicitur. BRAS. Tamen author non est Euangelista, quia oppositum facit, nam sudorem intus repercutit. SE. Sunt ne diuersi in hoc conficiendo unguento pharmacopolæ? BRASA. In simplicibus conueniunt, at in pondere differũt, & cur differant miror, cum eundem habeant omnes Nicolaum. SE. Et quænam est in pondere differentia. BRAS Hæc est, quia aliqui ita habent.

Recipe Oculorum populi lib. I. & semis

Foliorum papaueris nigri Foliorum mandragoræ Cimarum tenerrimarum rubi.	Singulor. unc. IIII.

In reliquis pondus haud uariant. Aliqui etiam cum nonnullis impreßis Nicolai codicibus duas apponunt axungiæ suillæ libras, alij tres. SE. Semper tres apposui. BRAS. Et maxima pharmacopolarum pars tres recipit. SEN. Est ne ex antiquis quispiã, qui de hoc unguento uerba fecerit? BRASA. Si Nicolaus Alexandrinus inter antiquos numerãdus est, antiquus quispiam de illo pertractauit: nam unguentum hoc conficere docet capite 1035° sui de Compositione medicamentorũ libri, cum ait Vnguentum Diapõpuleum ad omnes dolorem

rem

res, & tumores qui fiunt ex calida causa.

Recipe Oculorum populi lib. IIII.

Foliorum hyoscyami.
Foliorum cimarum rubi tenerrimarum
Semperuiuæ
Radicis bardanæ
Cothylidonis
Lactucarum
Violarum
} Sing. unc. VI.

Axungiæ suillæ recẽtis lib. VI. aliàs quantũ sufficit, uel ueruecis loco eius bene ablutæ. Axungiã & terenda cõmisce, iterum cum axungia conterantur, & magdaleonibus factis octo dies seruentur, & nono die ad lentum ignem in tenui uino coquantur, postea per sacculum colentur, & abiectis herbis nocte solida dimittatur liquor, nocte quicquid coagulatum supernatauerit uase reconde. SE. In hac Alexãdrini compositioue desunt uermicularis, folia papaueris nigri, solatrum, & mandragoræ folia. BRAS. Fortè Nicolaus Propositus ab Alexandrino accepit, & hæc addidit, uel ab alio authore accepit. uidi Ferrarienses mulieres, quæ populi flores ab his oculos uocatos in oleum imijcerent, & soli per totam æstatem exponerent, postea exprimerent, & ad somnum prouocandum seruarent. SEN. Conuenit ne? BRASA. Ita conuenit ut id quod à somno excitat. SEN. Cur hoc? BRASA. Quia populi flores Galeno teste calidi sunt, an uero in tertio ordine, uel in primo, ut alij dicunt, calidi sint, arbitror ego in primo potius esse propè secundum, et præter alios Galeni

leni locos, quibus ostendi potest esse calidos, adest etiam
in quarto de Sanitate tuenda locus, nam oleo abietino
hoc cõparat, & eo utitur in lassitudinibus, inquit enim
» Galenus, Vtile sanè medicamentum est, & quod ex po=
» puli floribus fit. Id tale est. Ex floribus populi adhuc cõ
» riuentibus modius italicus in quindecim aut uiginti li=
» bras sabini olei immittitur. Si id præsto non est, simile
» aliquid præparandum oleum est. Dictum uero in præce
» dentibus est, simile esse quodcunque tenue est, nec ullam
» adstringendi uim habet. Magis uero ad rem pertinebit,
» si modice contritum ipsum florem in oleum conijcies.
» Quod si quotidie medicamentum dimouebis, idq; potis=
» simum cum sol feruebit ac in domo calida repones: cele=
» rius ita, magisq; tum qualitas populi, tum uis in oleũ
» migrabit. Itaq; post binos ternos ue menses potes flore
» expresso atq; abiecto habere oleum, quod sine ulla mor
» sione per halitum digerat, idq; nihilominus, quàm abũ
» tinum. Quinetiam ceræ & resinæ tantumdem inijcere
» licet, quantũ paulo ante in id quod ex abiete confici dixi
» mus. Si quando uero humidum id quod exprimitur, cras
» sius uidebitur: Sat fuerit uel quintã ceræ partem adij=
» ci, ne dum quartam. Ego uero etiam sextam me addidis=
» se scio, ubi & oleum crassum erat effectum, & qui usu=
» rus erat liquidiore medicamento delectabatur. Nonnul
» li diu macerari cum flores tum semina non ferentes, par
» tim ea percoquere in oleo coguntur, partim aquã inijce
» re: utiq; qui cautiores sunt: quò uidelicet nec torrean=
» tur quæ sunt iniecta, nec oleum ustionem odore referat.
» Qui uero his magis sunt curiosi, in duplicibus ij uasis
» coquunt hoc fit cum in lebete in quo sit aqua feruens,

inseritur

inſeritur exiguum uaſculũ, in quod fundi oleum debet. cc
Id quod ſanè nos facimus, non tamen ad ſemina floresue cc
coquendos, (quippe hac coctione minime egemus, pro= cc
pterea quod ea diu maceramus,) ſed tum cum in confi= cc
ciendo medicamento ceram, & reſinas liquare in lebe= cc
te paramus. Qui uero celerius ea præparare cogitur, cc
hunc neceſſe eſt, & ut prædictum eſt, præcoquere, & cc
ne torreantur aquam, uinum ue inijcere. Atq; ad ea qui cc
dem de quibus nunc agitur utilior aqua eſt, uinum uero cc
ad podagricos affectus, & uno uerbo articulares. Por= cc
ro ſufficit tantulum aquæ admiſceri, quãtum coquendo cc
totum uaneſcat. Is modus erit ſi quadruplum eius aut cc
quintuplum oleum ſit, ergo & hæc medicamenta ſuccos cc
quicunq; non admodum craſſi, nec lenti in carne, cuteq; cc
reſident euaporãt. Vt perſpicue uideas oleum iſtud quo cc
multi ad ſomnum prouocandum utuntur, non conueni=
re quia calidum eſt, nec id efficere poteſt, ſecus uero eſt
de populeonis uocato unguento in quo multa frigida &
ſoporifera recipiuntur.

SENEX. XL.

Vnguentum denique pro Gallica ſcabie ſuam ſedem hic habet. BRAS. Nullus eſt qui hoc ſeruet, quia unuſ= quiſq; medicus proprium pro morbo gallico parari iu= bet unguentum. SE. Neq; ego ſeruo. At quia in phar macopolijs conficitur, propterea de illo mentionem fe= ci. BRAS. De ipſo igitur nihil à nobis pertractan= dum erit, quoniam ab unoquoque medico ut lubet fit. Scis me conficere ex unguento Aragon cum pinguedi= nibus, & terebinthina, & ratione temporis diuerſa

addo

addo ut in æstate oleum rosaceũ, & uiolaceum, in hyeme laurinum cum gummi generibus, & cum imbecille unguentũ fieri iubeo, in singula unguenti libra duæ hydrargyrij unciæ imponuntur, in mediocri tres, uel quatuor, in uehementißimo sex, et ægri proficiunt, ac in sanitatẽ restituuntur. At cum alio ingenio illos in sanitatem restituere possum, eo potius utor, quam hydrargyrium adhibere. cum de hoc satis dictum sit unguẽto alia prosequaris. SE. In Ferrariensibus pharmacopolijs tot sunt quot retuli, & non plura, niſi quis in alicuius medici gratiam unum uel alterum genus seruauerit. BRAS. Domum igitur redeamus, ut cœnemus. SE. Nondum cœnæ hora incumbit, at interim de Ceratis uerba facere poterimus. BRAS. Id efficiemus ſi uesicam prius exonerauero. SEN. En matulam affero, exonera ut lubet, interim cerata colligam quæ pauciſſima sunt in pharmacopolijs, postea de emplastris agemus, quoniam & ipsa haud sunt in magna copia, immo ab re non esset ſi de emplastris unà ac ceratis uerba faceremus. BRAS. Vt lubebit fiet.

Vnguenta apud antiquos qualia I
Vnguenta quomodo à Græcis uocentur, & cur- II
Vnguentum Rosaceum III
Vnguentum Infrigidans Galeni IIII
Vnguentum de Nenuphare citrino V
Vnguentum Sandalinum VI
Vnguentum de Semper uiua VII
Vnguentum de Plumbo VIII
Vnguentum de Minio IX
Vnguentum Apostolorum X
Vnguentum Pectorale XI
Vnguentum Digestiuum XII
Vnguentum Mundificatiuum XIII
Vnguentum Subtile XIIII
Vnguentum Mollitiuum XV
Vnguentum de Calce XVI
Vnguentum de Gummi helemi XVII
Vnguentum Defensiuum XVIII
Vnguentum de Cornu cerui XIX
Vnguentum de Comitissa XX
Vnguentum AEgyptiacum XXI
Vnguentum Expertum XXII
Vnguentum de Dialthæa XXIII
Vnguentum pro Scabie XXIIII
Vnguentum Constrictiuum XXV
Vnguentum pro Vermibus puerorum XXVI
Vnguentum Capellum XXVII
Vnguentum Aragon XXVIII
Vnguentum Agrippæ XXIX
Vnguentum pro Splene XXX

Vnguentum ad Combuſtos XXXI
Vnguentum Marciaton XXXII
Vnguentum Reſinum XXXIII
Vnguentum Baſilicon XXXIIII
Vnguentum de Ceruſſa XXXV
Vnguentum de Arthanita XXXVI
Vnguentum ſtomachale XXXVII
Vnguentum de Betonica XXXVIII
Vnguentum Populeonis XXXIX
Vnguentum pro Gallica ſcabie XL

ANTONII MVSAE BRASAVOLI

MEDICI FERRARIENSIS

Examen omniũ CERATORVM, quorũ apud Ferrarienſes pharmacopolas uſus eſt,

Nunc primum in lucem prodiens,

Ad Illuſtriſſimum & excellentiſſimum Alouiſium Eſtenſem.

VENETIIS .M D L I.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM ALOVISIVM ESTENSEM

Hicronymus Brasauolus.



Vm à colendissimo genitore meo Illustrissime Princeps libellus quidam de Ceratis, qui facultati medicæ non modice prodest, in publicum proditurus esset, mihi uisum est indignum fore si absq; tutore in lucem emitteretur, cũ ipse (herculea forte claua fretus) hoc negligeret, At ego cui patris moniméta cordi esse debẽt, Excellentiam tuã elegi dignam prorsus cui dicaretur, ac deuoueretur. Itaq; illũ Excellentiæ tuæ uti xeniolum clargior, atq; inscribo. neq; hoc immerito, cũ nõ solum te magnũ reddant Auorum, ac Patris ĩtẽmata, sed & uirtutes illæ, quibus es in hac tam tenera ætate armatus. Hilari igitur fronte illud accipias Illustrissime Princeps, quod & si tua nobili præstantia indignum esse non ignorem, tamen humanitate tua fretus non uerebitur te illud dignum effecturũ, ac benigne (ut tui moris est) recepturũ. Vale,

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Ceratorum, quorũ publicus est apud Ferrarienses pharmacopolas usus, examen.

SENEX, BRASAVOLVS.



E. uideris ferè subiratus Antoni. BRAS. imo ira longe abest, potius dolor de humana miseria, quæ adeo cæcutiens sit, & mentis oculis orbata; ut homines in illis magnifaciat rebus, in quibus magnifaciẽdi nõ sunt, et illa prorsus negligãtur pro quibus laude digni essent. SE. nõne de hac materia seorsum scripsisti? BRAS. Seorsum quidem in libello, cuius inscriptio est, De æquali hominũ natura, & quare alter alterum excedat. SE. optarem illius sermonis summam audire. BRAS. imo (ut audias) ab initio in finẽ usq; uerba referam, ita enim incipit, Vulgus, & imperitorum turba, recti, ac boni expers, Herculem Estensem Principem illustrißimum admirantur, illi capita nudãt, sistunt obambulante, et ferè stupidi defixis oculis intuentur: huic interim blandiuntur sapientes, nõ secus atq; oraculum uenerantur. cur hunc uirum in summo rerũ apice tam docti, & boni, q̃ ignari, & imprudentes esse arbitrantur? est ne una ac eadem sapientum, et imperitorum causa? Absit, quippe hi talia profitentur, qualia sapiẽtes

uitio dant, & ceu fimo immerſa criminantur, num & Hercules homo eſt generationi, fato, ac tranſmutationi ſubiectus, quales cæteri mortales, ut ait in Pimãdro Trimegiſtus? certe is eſt mortalis, curis aſtrictus, omnibus morborũ generibus expoſitus, & fortunæ blandiẽtis ac irritãtis auſpicijs. quid igitur uulgus mouit, ut Herculẽ tanti faciat? hominẽ præſertim mortalem, curis, ægritudinibus, & æſtibus fortunæ deditum? uulgus ſtatim inſuſurrauit, Diues eſt Hercules, Princeps Illuſtriſſimus, numis præpotẽs, ò inſanum uulgus, diuitias Herculi ante ponis: nõ illi, ſed auro ſubſcribis, ẽ ne magis homo, quia diues? nũ & inſenſato ac turpiſſimo homini diuitiæ cõtingere poterant? nũ homines auaros reddunt? qui auari, niſi diuites? num inuidiæ cauſa, faſtus, ac omnium malorũ (ut in tertio de legibus uolumine Plato ſcribit) propagatrices? & in quinto earũdem legũ libro argumentatur ualde diuites impoſſibile eſſe ſimul & probos? Hinc fortaſſis Seneca accepit, inferens, diuitias parũ bonas, ut pote quæ ſceleſtiſsimis accidant, propter has (ut in undecimo de legibus Plato inquit) rebelles, atq; truculẽtos hoſtes in pugnã habemus, unde Demetrius Phalereus optime diuitias non modo cæcas, ſed fortunam ipſarum authorem poſteris tradidit. accedat huc Seneca, qui fortunam laudari iubet, ſi diues eris, non te ipſum. nemo quia diues, honorandus. nec diuitiæ bonæ ſunt, aliter fœneremur, ſpoliemus, furemur, nec ſacris parcendum: ſi diuitiæ bonæ, deprædemur: nihil prorſus omittamus, quo breui diuites efficiamur: quiſq; enim mouẽdus eſt lapis, ut bona enãciſcamur: nullus hinc melior, quia diues: nullus præſtantior, quia auri & argenti cumulos ĩperio domi-

netur, nulli opibus obtemperandũ, quid enim aliud aurũ est, q̃ rubra terra? qd argentũ, quã alba? his omnia mala perpetrantur, cogunt in infanda scelera, uariæ hinc luxuriæ, et tam sordidæ species, hinc homicidia, hinc desidiæ, hinc bella, hinc fastus, hinc gulæ tam pestilentissima lues, hinc iracundiæ, hinc omnium malorum radices: ò insanum uulgus, diues non est paupere excellentior, non magis honore & encomio extollendus. igitur nec Hercules, quia diues, adeo insigni laude ornãdus est, poterãt hæc turpissimo cuiq;, et scelestissimo usu uenisse diuitiæ, non sunt honoranda quæ accidunt, sed quæ hõis propria, laboribus ac sudore acquisita. accedunt sapientes, assentiuntq;, nos, inquiunt, non eo Herculẽ principem dignissimum ueneramur, quia diues, sed quia diuitijs optime utitur, magnificus est princeps, generosus, insignis: his magnificentiã ostendit, quã nemo nisi diues ostendere potest, nihil incuria prætermittit, ex his quæ magnificum uirum reddere prodidit Aristoteles quarto ethicorũ, tractatu primo, cap. 2. Admirabilia animo ac opere struit, à quibus præcurta supellectile paupercu-lus abstinet. Dedicat, publicos ludos splendide parat, hospites suscipit, alitq; ignotos, munera mittit, ea exordi-tur, quæ diuturno tẽpore extent, hinc glorioſe Herculẽ prædicamus, hinc honoramenta, nõ ex puro auro, nõ ex nudis uirtute diuitijs, quæ nunq̃ homines, uel Iro magis præstãtem efficiunt, nũ & diuites Hebræi? nũ & Turcæ? nũ & auariſſimi quilibet? tamẽ decore ac insigni gloria carent: at Herculis diuitiæ cæcæ non sunt, uerum acute cernunt, quia prudentiam sequuntur, ut Plato primo de legibus inquit. quid referã liberalitatis mirũ in Hercule,

atq; rarum decus? cui nõ satis sunt tot diuitiæ, tam splen dide cur, quibus, quando elargitur, liberaliũ uirorũ con ditionibus obseruatis. nullã igitur uĩ ipse, aut quilibet al ter ex diuitijs nobilitatẽ habet, sed ex generoso illarum usu, suntq; ad perfectam uirtutem adminicula: q̃uis ho minum indiligentia in grauissima scelera & perfida du cant. primam sapientũ, ac imperitorum rõnem habetis qua hi diuites splendide honorãt, illi diris execrantur, ni generosa uia, & insigni cura distribuant: nunc secũdum argumẽtũ paucis accipite, Vulgus præcedenti cõmento alterũ addit, Pulcher ẽ corpore Hercules, hinc illũ hono ramus. ò magis insensatum uulgus, unde pulchritudinẽ acqsiuit? labore, an natura? nũ eadẽ natura parens qbusq; etiam turpissimis decorẽ præstare potuit? nihil est hono re, aut uituperio dignũ, qd' natura ortũ habet, cur rectus loripedẽ, & Aethiopem albus derideat, omniũ pulcherri mus sit, modicũ præstolare, tanquã flos decidet, nec eodẽ statu permanebit: flaccidus, obscurus euadet, quũ canæ capitis niues fluent, quum rugæ arabunt frõtem. num et pulchri sunt pleriq; mẽdici? nũ & meretriculæ pulchræ plures? num uarijs casibus decor amittitur? ut nunquam possit uel recuperari deperditus? Sed oĩa secũda fluant, saltem ætas ipsa pulchritudinẽ eleuabit, clandestine for mam suffurabitur. inter homines igitur Hercules primũ locũ nec occupet, quia pulcher, quin decor scelestissimo rũ scelerum causa est, ut prouerbio receptum sit, Nihil pulchrum castum. Post hæc sapientes Herculem nõ cor pore pulchrum admirantur, sed anima uenustũ, ut quic quid crusta hac corporea clarissimis imaginibus splen deat, totũ anima excellentiori modo amplectatur, ne.

pulcherrimum domicilium, ornatam ſedem non haberet pulcherrimus, et uirtutibus ornatus animus: nec parum refert, Principẽ omni uirtutũ genere præditũ etiã corporis ſpecie ornatũ, Virgilio in hunc ferè modũ canẽte:

Gratior eſt pulchro ueniens in corpore uirtus.

q̃q̃ excellẽtia ingenij ſub quacũq; cute, uel turpiſsima lateat. Quoties Herculis illuſtriſsimi Principis oculos intueor, quos habet fixos, nõ hinc inde inconſtantis more uagos, non faſtuoſi modo eleuatos, ſed in humili terra pronos, uideor uidere gemina relucentis aſtri nitida ſpecula, quibus aniſ̃æ uirtutes referantur, his illa oblectatur, his depaſcitur, frons ſpatioſa, genæ rubicũdæ, os, barba, color, oĩa uirtutum ſummarũ indicia ſunt, quas uere habet, anima per uniuerſam Herculis molẽ extẽſa, quæ nec nimis eſt procera, ſed commode magna: nõ exuberantis craſsitudinis, ſed muſculoſæ ac plenæ roboris cõcinnitate. uerum hac parte uidebor adulationis notã deprecari. late longeq; abſit, ne laudaturus quidẽ ſum Herculem Eſtenſem ſuis ſat uirtutibus laudatũ: quin magis illum ſibi tanquã inſpeculo cõmonſtraturus, ut ſeipſum noſcat, qui iandiu ſibi ipſi diſplicet. Sapientes igitur nõ corporis pulchritudine, q̃ cuiuis natura uſu uenire põt, ſed animæ decore, mentis pudicitia, prono in uirtutes ingenio Herculem extollunt. Ad tertiũ ſapientũ, & imperitorum argumentũ feſtinet oratio. Accedit inſuper uulgus, Princeps eſt Hercules, hinc illi obtemperamus, uelut numen colimus. noui iam à puero uaniſsimum, & in diuerticula pronum uulgus, num & Sylla princeps? nũ & Nero imperator? hos nemo nõ afficit probris; in ſcelerum exempla, miſeri adducuntur, nũ & peſsimi fuere

duces? Princeps est, quid inde? num hi morte obliterãtur? num ægritudines patiuntur? uulnera? febres? gallicas scabies? num & comedũt? bibunt? excernunt? tetrius etiam q̃ uulgares? num sudores fluunt? fœtent alæ, atq; pedes? nũ & animi curis praue afficiuntur? timent, amant, odio habent, frigent, calent? quid igitur inter principẽ interest atq; seruum? quisq; homo est, quisq; rationale animal à Deo factum, ut postrema beatitudine fruatur, quisq; eisdẽ corporis & animæ affectibus molestatur, quin principes magis, minus serui, utpote qui in delitijs nutriti fuerint, ut re modica disturbentur, qua serui etiam in decuplo aucta nullo discrimine afficerẽtur: nulli sunt inter mortales principibus deriſi magis, continuo plausu subleuantur, quicquid mali agũt, rectũ esse censent, nã assentatores habent, omnia ad uota ostendẽtes, aiunt, aio. negãt, nego, sæpiusq; id affirmant, qđ totis uiribus repellẽdum esset, & negant assequendũ, ut principi (miserrimi & ipsi ea cõditione uiuentes uel magis mortui) placeãt. magnus Alexãder eò se hominem esse cognouit, quòd in bellis uulnere accepto, aliorum hominũ more cruorem fluere uidit. Memini excellentißimum uirum Nicolaum Leonicenũ mihi à primis philosophiæ rudimentis præceptorẽ, principes maioribus formicis comparantẽ, populos paruis magnas sequentibus. dices multis dominantur hominibus: his imperant, iussa facessunt, quid indenũ breui si iniquus, dæmonum multitudini inseruiet? ubi nunc magnus Alexander, cui nec sat erat unus hic orbis? ubi Phœniceus Hãnibal? ubi Romanus Cæsar? ubi tot celebres anteſignani? Reges? principes? nihil igitur refert an homo princeps sit, & magis refrænãdi honores si mul

la uirtute succeßerint: ſed paterni regni hæres eligatur, quid hic inſigne fecit? quid grãde, quo cæteris hominibus eximie præſtet? uulgus clanculũ murmurat, terræ, mariq; dominatur: ò inſolẽtiſſimũ, quid terra uniuerſa? quid mare? ſi in cœlum referes niſi punctũ; hoc eſt (inquit Seneca) id punctũ inter tot gentes ferro & igne diuiſum: in quo nauigamus, in quo bellamus, in quo regnamus, nemo eſt ſua portione contentus, cũ cuiq; tres ulnæ ſuperſint, hi in tam breui & curta ſemita hanc partem elegere, alteram illi, confinia ponunt, diſſident in terminis, ad necem uſq; bellant, ceu perpetuo miſeri tanquã flores egredientes, uicturi ſint: ò ridiculi mortalium termini, Dacus nõ exit Iſtrũ: Iſthmo Samothraces includũtur, Parthos ſecat Euphrates, Danubius Sarmatica, ac Romana diſterminat, Rhenus Germaniæ finẽ ſtatuit, Pyrenei inter Gallias & Hiſpanias copioſe diſtinguũt, inter Aegyptum & Aethiopas arenarum inculta uaſtitas iacet, pro qua re bellant miſeri? ſiquis formicis hominis intellectũ condonabit, num & illæ aream unam in multas prouincias diſſecabũt? num huius gregis, & alterius, pro cõciuibus unà ex aduerſo pugnabunt? uidebis exercitũ concitari, Martẽ cantu accẽdi, uexilla portari tanq; ſint quid magni facturæ, exploratores inſtituent, excubiasq; ut nihilo niſi corporis mole homines, & formicæ diſſideant, puſilla ſunt terræ ſpatia, quæ homines poßident, aut quibus tyrãnizant: nemo igitur princeps aut Dux alios homines ex imperio magis excellit, nec ipſe Hercules. ſequitur philoſophorum ſentẽtia, hi inquiunt, Herculẽ admiramur, nõ quia princeps, ſed quoniã ea tentata perficit, quæ ſummũ principẽ decẽt: munificus eſt,

magnificus,liberalis,pius,clemens,cui uitium oĕ displicet:à cunis usq; bonis artibus deditus, humanitati inseruit,turpe putat scire,nisi operibus exprimat,qđ didicerit:nõ curat opes,nõ aurum,distribuit pro meritis,semperq; eĕ mauult q̃ uideri:iustitia utitur,nõ summo iure: eleuat se nunq̃ in prosperis,nunquã in aduersis opprimitur:inimicis etiam fauet,nunquã ulla fuit uoluptate corruptus. Aequũ est ac sanctum,si quid ex eius ore manarit,nil nisi uirtuosa insectatur. his cæteros antecellit, quæ principem decent,nõ quia princeps antecellit. Habes quid imperiti,& eleuatiores tertio cõmento retulerint.nunc quã alteram ansam referãt,audi. Vulgus inquit,adeo egregie Herculem salutamus, qui ex nobili Estensium genere ortus, præclara æditus familia, cum æuo,tũ illustrium uirorũ antiqua,summo loco natus est, insigni patria. Nũc quoq; delirum es uulgus:num patria nobilissima Romaenũ Athenæ? uerũ quot Romani,quot Athenienses turpissimi in scelerum luto ceu sues inuoluti? quot mendici? quot desides? & brutis ferè simules? nũ hi magis probro digni,q̃ qui in asperas cotes, inter dumeta,& inuias alpes nati, si uirtutibus incũbant? quot summi proceres inter rusticos nati,humili cibo educati, quorum insignia nec tam longa temporum curricula obliterare poterunt. quo loco natus est sospitator noster Christus?nũ humili? num tenui, & uili? econtrario quot imprudẽtes,sordidi,illiberales,truculẽti,instabiles,perfidi,procaces,sublimi urbe nascuntur? inter spectationis palatia,& celsa atria festiue,nulla absente delitiola nutriũtur?nũ supernum idem est ubiq; cœlum?nũ terra eadẽ?fontes?flumina?cuipiam telluris portio inexpeditior

videbitur, & minus honore digna, in qua omnia nõ na-
scuntur, & addent urbis antiquitatem non nihil refer-
re, quid hæc ad homines? eadem ratione omnẽ terræ par
tem execraberis, quum nullibi omnia, sed ubiq; desint
quædam: immo in illa terræ parte, cui plurima desunt, il-
lustriores homines fiũt, dic etiam, quæ magis antiqua tel
lus? nũ Deus aridã solo nutu creauit? quid refert lapides,
hac norma iã diu fuisse dispositos? idem est solum, quo
struuntur ubiq;, quid uirtuti addunt conditæ ædes? quid
ampla palatia striatis columnis plena? hæc non nisi ad lu
xum spectant, luxuriæ opera sunt. uolue parum uolue
priscorũ historias, disce quibus tugurijs habitarint an-
tiqui proceres, arabant Duces exercituum, terras cole-
bant, breui agello uiuebant uniuersi orbis dominatores.
uanitas est humana, quæ ex antiquitate urbes ĩsigniuit.
laudentur hinc montes, nam & primordio nascẽtis mũ-
di diuina ope facti, laudẽtur maria: longe fœliciores sunt,
qui nec ciuitate uel domo egent, sed æquale cœlũ habẽt:
nunquã illis frigus, nunquã calor, quin tolerari possit,
solis umbraculis contenti sunt, sub dio uiuunt: stellas no
ctu, quum somnus abest, cõtemplantur: astrorum motus
obseruant, cœlestes ignes intuentur, quippe nulla est sine
igne nox. id nunquam silentio prætermittendum est, cui-
dam præ patria glorianti, sum inquit magnæ urbis ciuis,
Aristoteles dixit, noli hoc attendere, sed an dignus sis
magna & illustri patria. Et eò insensatum est uul-
gus, q̃ ex agnatione Herculem extollit, una est omnium
prosapia: ex uno uenimus patre: in unam antiquã ma-
trẽ tendimus terrã. uanum est sanguinem spectare: uanũ
magis prosapiæ fidere: uanissimũ cognationes iactare,

tanquã meliores aut peiores homines reddiderint, ſi mẽ-
diciſsimũ quẽq; ſpectabis, placeatq; in ortum & proſa-
piæ limẽ adducere, in Regẽ incides, aut Principem, ſalẽ
primũ patrẽ attinges, cuius omnes filij ſumus. Quot Re
gum filios ſeruis etiam ancillari putas? nũ & regũ ſpurij
Regis filij ſunt? quid proſapia? elatiores reddit, faſtuo-
ſos, re nulla turbulẽtos, tumidos, inquiunt à nobili proge
nie ortum duxi, quare parẽtes laudandi ſunt, nõ ipſi (ni-
ſi boni ſint.) Hominibus rationẽ deme, cuius proſapiæ
erunt? ratio ut ab inuicem ſecernantur in cauſa fuit, non
generis nobilitas, hĩc hi Ateſtini, illi Biuilaquæ, alij Ta-
xoni, aut Contrarij, aut Trotti appellantur, ò q̃ fœlicio
res erant, ac plenæ uirtutum antiquæ illæ proſapiæ à re
tenui nũcupatæ, Piſones inq̃, Ciceroues, Ruſticelæ. Abſti
ne igitur, abſtine uulgus Herculem ex genere aut patria
admirari: neminem his imaginibus excellit, homo eſt &
ipſe, æque ſub cœlo natus, Ateſtini cognatiõe diſtinctus.
quin accidere potuit, ut Aragonenſis, uel Merulus dice-
retur. Ex aduerſo prudentes, non ex nobili, & antiquo
genere, non ex inſigni patria Herculem uenerantur, ſed
honorãmus, inquiunt, agentem quæ illuſtribus & digna
patria ortos uiros decent: nil niſi honeſtum animo uolu-
tat, nihil, niſi illuſtre ac immortalitate dignum. uideor
uidere Herculem Eſtenſem paſsim hiſtoria decantari,
poſt hæc uarijs uirtutibus tanquã anteſignanus adduci-
uere antiquorum imagines præſefert, eorum uirtutes
imitari poteſt, quia doctiſsimus: uult, quia optimus: effi-
cit, quia diligẽtiſsimus: uirtutes ſequitur, & adeo plenus
eſt, ut regurgitent: aulicorũ illecebras nouit: nouit adula
torum blandimenta: præmuniuit ſe tanquã contra Cir-

ces pocula, aut ſireneos cãtus dimicaturus. uirtutes proſapiam reddunt excellentem, non has proſapia. His homo eſt honore dignus, non genere, nõ patria, quæ ſæpius eſt ob ſocios prauorum hominum cauſa. Ad hunc ordinẽ quintam referamus breui pede ſententiam: uulgus iterũ clamitat, Herculem honoramus, quia parentum clariſſimis utrinq; imaginibus illuſtris euaſit, Alphonſo inquã patre, heroe cum quouis etiã ueterum comparãdo, & Lucretia matre, non minoris q̃ Lucretia Romana pudicitiæ, ut omittam interim auos abauosq; inſignes, ut ſileã utrorũq; parentũ affinitatis ordinẽ, nam hæc quid ad hominum mores? quid ad bene beateq; uiuendum? eſt profecto Illuſtriſſimus Alphonſus uir magnificus, liberalis, pius, iuſtus, clemens: quãta fuerit genitricis Lucretiæ pudicitia, q̃tæ fuerit benignitatis affecta mulier noui ego: Plura item docuit Ioannes Braſauolus mihi patruus, uir adeo uerax, ut illi (ceu alteri Zenoni) ſine iureiurando credatur. Hæc uero nihil ad ſummam, ſi indigna probraq; Herculi placuiſſent. id eſt ni mentẽ fœliciſſimam nactus eſſet uirtutibus arculam, non tot genitoris aut genitricis mores ſuffeciſſent, non auorum exempla, q̃q̃ non parum ad uirtutem adminiculum dare poſſint: ò fœliciſſimi parentes, qui non modo hũc Herculem genuere, ſed Hippolytum & Franciſcum, ac Alexandrũ, quẽ adeo Chriſtus amauit, ut ante annos & nimis præcocẽ raperet: quos enim (inquit Xenocrates) Deus amat, citius ad ſe reuocat. ſileo interim huius Alexandri imagines, puer erat, quum Deo placuit, puer inq̃ annis, nihil tamen puerile habebat. nihil in eo erat non dignum futuro principe: Verũtamen nemo ſapiens ob hæc Her-

culem honoraret, quin si uitijs abundaret, plurimũ de-
traherẽt: ceu qui patris, matris, auorũ, fratrũ, digna pre
oculis habuerit ĩmortalitate simulacra, & nihil profue-
rint hæc tam efficacia uirtutis exempla: ast sapientes ge-
nitorem deserunt, genitricem non aduertunt, posthabẽt
atauos, fratres omittũt: his. n. nec Hercules, nec alter ho
nore aut triumpho dignus est. nos illũ celebramus, quia
dignus tanto patre, tanta matre filius, dignus Hippoly-
to & Francisco proceribus frater, in quo omnium auo
rum atauorũq; uirtutes adeo repullularũt, ut pro cũctis
unus ipse sufficiat: priscorum stẽmata, & uirtutes, sed
presßiori amplioriq; gradu resignatæ in uno hoc Hercu-
le reseruantur. Hæc Herculẽ heroicæ maiestatis illustrẽ
reddũt, nõ ipsi parẽtes, q̃q̃ nõ parũ sit momenti illustres
genitores habuisse, quorũ imaginibus filij innitãtur. Ve-
rũ ad reliqua properemus, Iam uulgus sibi alterũ pari-
uit in hoc discrimine commentum, Illustrior est cæteris
Hercules, quia uir fortis, ualidus corpore, mẽbris, & na
tura agilis. ò obumbratißimũ unà & ineptißimũ uulgus,
qui robustiores baiulis, aut rusticis fortiores? onera su-
bebunt intricata magis & grauia, q̃ ille sufferret: sustinẽt
pondera, quæ nec illeuel pusillum mouere posset: hos dũ
nihil extollis: hos nihil honoras. Quin funãbuli, saltato-
resq; hunc agilitate superant, quos nemo cæteris homi-
nibus præstare arbitratur: immo Christiani probro dãt,
ceu paradisi neglectores. Sed uulgus in aurẽ insusurrauit:
Hastam ad perpendiculum in lusibus gestat, caput ferũ.
quid hæc ad beate uiuendum? neminem legi hac re apud
historicos laudatum, hinc nec bonus homo, aut prauus
efficitur. nullum igitur ex corporis robore, aut mem-

brorũ agilitate encomio decantabis. Accedunt ſapientes, Herculem (inquiunt) laudamus, qui alios nec ieiune, nec frigide animi fortitudine excedit: uitijs refragatur, uirtutes recipit, & eò recipit, quò utatur: ne abſq; uſu cognoſcat. Hæc eſt uera circa alias uirtutes fortitudo, quã in Ethicis Ariſtoteles cantat: audet circa terribilia, ſi neceſſe fuerit, iniurias patitur, nõ obſeruat cedentes, ea patitur quæ alij, uel momẽto ſufferre nequeunt, modo eius honoris nihil auferãt, nihil bonæ famæ, pro qua ad necem usq; pugnandum, Diuo Hieronymo in Iouinianum quarto libro admonente: tamen ablegandus eſt quotidianus hominum mos, pro fœmina pugnãt, & nequaquam uxore, ſed impudica. proh pudor, nulla imminente cauſa in duellũ deſcendunt, pro famulo pugnant, nemo patriã curat, lancinari ſentiunt, nec linguam mouerent, nõ dico enſem ſtringerent. nemo pro fide pugnat; quin unà Hebræi, Turcæ, Chriſtiani, Hæretici, Chriſto maledicunt, execrantur, Chriſti partes derelinquũt, nullus pro Chriſto enſem acuit, nequeunt etiam fratris uerbulũ tolerare, qui ſtercoris cloacam in corpore geſtant, nequeũt uel minimo ſenſus ſtimulo refragari. hæc eſt illuſtris et certa uictoria, præclara & honeſta fortitudo, ſeipſum uincere. hac pollet Hercules. hac à doctis & probis honoratur, nõ ſtabili & firmo corporis robore. Quid his imoror? iam alterius cauſæ caput addamus, inquit uulgus: Præſtat Hercules, quia ſanus corpore, nullis perturbatur angoribus, ualetudinem optime ſeruat. ò inanius ampulla, & leuius pluma uulgus, quid egregium eſt in homine ſanitas? Si animam ſpectabis, ſanitas ad materiã pertinet, quæ ſæpius eſt multorum ſcelerum cauſa, ut

Cebetes optime ſua in tabula pinxit, Baiulos cæteris præpone ſalute ipſa ſalubriores, præpone ruſticos omniũ inuictu inordinatiſsmos: nudi in nuda terra dormiũt. Cibos comedunt, nihil nutrimenti ferè accõmodantes, pane etiam ſecundario, & uappa contenti, iugi labore fatigantur, imbres nihil timent, nihil pluuias, nil gelidas hyemes, aut æſtuoſos caniculæ soles, & tamen integra ſanitate fruuntur. Nemo igitur hac re laudandus, nec ipſe Hercules, quam ſorte habuit, & cito caſuram. Sapientes uero è contrario inquiunt. Non quia ſanus ſit, Herculem ueneramur, at ad optima opera hac ſanitate utitur, nihil eſt ipſi antiquius, q̃ bonis ancillari, quibus inſeruiẽs, omnium dominus fit, non enim quo ad mores, ſapientes ſanum eſſe & ualidum melius arbitrantur, ſed pro ſeruandis utile. quin Cynicus ille Diogenes, nunq̃ inualidos, ſurdos, cæcos, debiles appellabat, ſed imperitos, quos philoſophi homines non putant, niſi eadem ratione, qua lapidea ſimulacra hoïes dicuntur. id eſt uoce ipſa, re minime: hinc dicendi anſam uulgus accepit, Herculi obſequimur, qui ſcientijs, & doctrinis abũdat, eas enĩ longo ſudore acquiſiuit, Grammaticus eſt, Poeta, Orator, Dialecticus, uniuerſam cyclopediam habet. Nũc uulgus uaniſsimum appellare abſtineo, at non mihi tẽpero, quin pinguis Mineruæ appellem, quippe uera bona ſecernere neſcit, quot ſunt huius generis peſsimi uiri? nihil grãmaticæ deeſt, nihil rhetorices, nihil dialectices, nec (ut dicam in ſummam) liberalium artium canonum: at ſceleſtiſsimi ſunt, à luxuria dimoueri non poſſunt, ab inquinatiſsmo ſodomiticæ labis uitio, faſtuoſi euadunt, ac ſcientiola non minus ſitiunt aurum, q̃ auariſsimi & imperitiſsimi

simi quiq; pro hoc uno sudãt, peierãt, fraudãt, calumniã tur, belligerant, occidunt, non minus addicti sunt fœdis uoluptatibus, q̃ imperiti. quid, quæso, supereſt, quod hos ab indoctis distinguat, præter titulũ & pauculas literas, quæ nihil aliud sunt q̃ igneus, & acutus in manu stulti & furibundi gladius? Has uero non adeo uilipendo, quin utiles etiam admoneã. Cebetes q̃ optime dixit, sicut placuerit ad bonas disciplinas ire, eiusmodi sciẽtias habere, utile est: at nihil necesse. utiles Plato inquit uelut fræna, quæ feroces & instabiles iuuenum animos tenent, ne ad alia uertantur: nil uero impedit, eosdem ebrios esse, intemperantes, auaros, iniustos, proditores, & tandem insipientes. plures certe eius generis uidere licet, sunt igitur magno usui sapientes, ut Chrysippus ait, nemo autẽ his prudentior euadit, q̃q̃ Zeno Cyprius in primo reipublicæ liberales artes inutiles scripserit, addideritq; solũ studiosos esse liberos. uir hic nihil aliud sentit, q̃ ad uerum hoĩs studium, ut melior euadat, ad fœlicitatẽ recipiendam, nihil afferre momenti, licet feroces animos remorentur. nemo igitur quenq̃ aut Herculem his scientiolis, ne dicam literulis, magnifaciat. Mox prudentes accedunt, Herculem honoramus, inquiunt, qui liberales artes degustarit, tanq̃ in ueram sapientiam, & fœlicitatem adminicula. modice hic sistit, q̃n ardua philosophiæ secreta quærere mauult, naturæ abdita inuestigare, more Socratis' (posthabita uulgarium & imperitorum uia) naturæ obscura in mores reducere cupit, honestas speculationes tradere. Decet uirum liberum, Plato inquit septimo de legibus, numeros in primis addiscere: quos dictæ artes sequantur, ad ueram disciplinam tramites, & quasi irritamenta il-

la, inde uera disciplina respublicas gubernare docet, & Reges eos mores imitari debẽt, quos subditos sequi uolũt: nã omniũ scelerum, & bonorum princeps causa est. proinde quid aliud est Rẽ publicam temperare, q̃ sedulo quodam naturæ ordine sapientia moderato, cũcta disponere? hanc partem iam nouit Hercules, cõsiderat iugiter, & nulla nõ hora speculatur. De his uero nunq̃ satis: sed iterũ clamitat uulgus, Dignus est honore Hercules, quem Rex Galliæ Franciscus amat, colit, obseruat, cui applaudit, secum domestice loquitur, à secretis utitur, unà comedũt, obambulãt, sodalis ẽ, et comes, ò infœliciſsimum uulgus, qui est Franciscus Galliæ Rex? num homo & ipse mortalis? omni noxæ subiectus & curis? quid illi dare potest, ut melior aut fœlicior euadat? Diuitias, inquies. non sunt bonæ diuitiæ, nec meliorem hominẽ reddũt, nullus igitur, uel ipse Hercules corolla dignus est, quia Regis, aut Imperatoris domesticus sit, à secretis habeatur: num & histriones principum domestici sunt? num mimi? & fatui quos in delitijs habent? sapientes uero Herculem magnifaciunt, quem insignis Rex omnium sapientiſsimus, omniũ prudentiſsimus sibi in domesticum elegerit: eius iudicium tam acre est, tamq̃ promptum & absolutum, ut quem ille elegerit, nequeat nisi uirorum maximus esse, nequeat nisi in uirtutum culmine remorari: non potest sapientiſsimus nisi sapientes, prudentiſsimus nisi prudẽtes, moraliſsimus nisi moratos eligere, et in propria consuetudine detinere. quis impudicus non expaueat ante conspectũ? quis moratus nõ magis ad uirtutes animetur? ò fœliciſsimum consortium, quoties nobiles illi atq̃ moratiſsimi uiri unà consedent: uideor uidere potentiſsimum

Regẽ medias partes occupantem, uelutisolem splẽdescere, cui reliqui proceres seriatim in corona tanq̃ lucentissima astra assistunt, cœlestem patriam imitantes: Herculem igitur sapientes admirantur, quem Rex tam sapiens elegerit, moratissimum inuenerit, in bonis perseuerantẽ obseruet. Ad hunc ordinẽ uulgus addit, Herculẽ colimus, quẽ pulcherrimæ amasiæ, delitiosæ uirgines singulari beneuolentia prosequuntur, ò leuissimũ uulgus: sile sile: nullo monitore indiges, magnopere destitisti: hoc argumẽto adeo uane & indecore locutum es, ut deinceps quicquid dixeris, audire noluerim. Aeque est atq; illud, Herculem laudamus, quia uitijs magis abundat, quia his turpibus delitiolis uacat: nunq̃ ad mala non pronũ fuisti uulgus. Hercules equidẽ amatur à pulcherrimis et quibusq; turpissimis, nobilibus, et ignotis colitur, optimis uirtutibus cogũtur, nõ delitijs, nõ uenereis irritamentis, amicæ Herculẽ diligere, quia pulcherrimæ pulcherrimũ amant, optimæ optimum colunt, honestissimæ honestissimum uenerantur, nũ & muli mutuo se scalpunt? & suã cornicẽ cornix amat? nec igitur mirum, si hic undequaq; insignis ab insignibus & pudicis charus habeatur: nolo ãplius tua nugamẽta audire uulgus, sat erit mihi, neminẽ ratione, qua homo magis altero natura, præstare: omnes æquales sumus, oẽs eodẽ filo iũctos, eodẽ colore signatos, eisdem animæ & corporis subiectos affectibus. diuitiæ nihil referũt, parentes, affinitates, pulchritudines, agilitates, pricipũ dilectiões, corporis fortitudines, scietiæ liberales: hæc nec bonũ nec malũ, illustrẽ, uel turpẽ hominẽ reddũt, sicui autẽ impetus insit æquales uincere, et lõgo, iterstitio superare, ea agat, quæ Hercules, id est uirtutes

ad ipsos usq; cineres sequatur, earum sectatores cantet, uitia pedibus alatis fugiat. sunt autem uirtutes, quas imitari debet, Fortitudo, Temperantia, Decor animi, Liberalitas, Spes, Fides, Iustitia, Charitas, Magnificentia, Magnanimitas, hæ homines (ut paucis expediã) officiose commendant, his immortales habentur, omni ætati accõmodantur, omni generi, omni patriæ, omni uitæ instituto. Deniq; quisquis animũ his uirtutibus sua sagacitate præstiterit, splendidus efficitur, singulari uigilantia illustris, summa prudẽtia fœlix: ut cum Horatio primo epistolarum libro canã,

Ad summam sapiens uno minor est Ioue: Diues,
Liber, Honoratus, Pulcher, Rex deniq; Regum.

Postremo Hercules Princeps moratißime nihil hoc theatro insimulaui, nihil sum adulatus, longe absunt blandimenta, nihil à nobis scriptum est, ut te laudarem: sed ut te ipsum tibi uelut in speculo cõmostrarem: uides q̃ fœlicißimam mentem, q̃ dignam tuo corpore illustraueris: hinc dispendia imminent, hinc turbatiora inuolucra ni acrius extollendo animo studeamus: ni uelo & remis incumbamus: & adeo in hac re soliciti simus: q̃ non sine magno fœnore uirtus crescat. uale Princeps Illustrißime: Patrone insignis uale: & quum non nihil ocij dabitur: nostra hæc nugamenta lectitare ne pigeat. SE. hæc quæ enarrasti tã uera sunt, ut nihil magis uerũ iueniri possit, at placet ne tibi ut de cerotis agamus? BRAS. ut lubet. SE. unde dicta sunt cerota? BRAS. cerata potius dicenda sunt à cera non cerota, q̃q̃ et Græci κηρώτη, nomine utẽtur, & ab eisdem à cera & oleo uocentur κηρέλαια, SE. ob quid cera his compõnibus adhibetur? BRAS. ut

oleum contrahat, & diffluere non sinat, sed promptius inhærere possit, & præterea, ut emolliẽdi uim cõpositio ni præstet: habet & uim explendi. de olei ad ceram proportione nonnihil à Paulo scriptũ est libro septimo, cap. decimoseptimo. S E. illa ergo quæ linimenta uocãtur, cerata sunt? B R A S. cur hoc dicis? S E. quia cera & oleo conficiuntur, & nonnullis pulueribus uel succis. B R A S. cerata prorsus sunt, sed sunt tenuiora cerata, & quæ uehementer non inhærent, iuxta Galeni sentẽtiam, at secũdum recentes cerata solum illa sunt, quæ ualde inhærent, & quæ supra corium extẽsa semper maxime inhærent, consistentiamq; habent & duritiem quampiam, qua linimenta carent, licet oleum recipiant, atq; ceram. at de his nominibus à nobis digladiandum non est, sed hoc tantum sciri debet, cerata oleum & ceram recipere, & plerunq; sunt linimenta, quæ uehementer non inhærent, ut cum multum olei receperint. S E. quoties à medico in compositione aliqua ponitur cera, & indicitur hoc modo, adde modicum ceræ, tunc pono ceram ad decimã partem uel duodecimã ad oleum. B R A S A V O L V S. quantam ceræ copiam ponis cum dicitur, ceræ q̃tum sufficit? S E. certa regula careo, sed experientia uideo q̃tũ satis est, & paulatim augeo. B R A S. debet poni quarta ceræ pars, uel saltem quinta ad oleum, si cõueniens ceratum fieri debeat, recipiuntq; ferè semper resinam aut terebenthinam cerata, quia nostro tempore supra coriũ extenduntur, & alicui parti applicantur, nec deinde facile dimoueri possunt. nunc uero de ceratis loquemur, ut nostro tempore hoc nomen subeunt, & quæ sunt in publico usu, & in publicis reperiũtur pharmacopolijs. S E.

sunt paucissima numero cerata, quæ passim apud pharmacopolas seruantur. BRAS. *quotquot sint, tu illa singulatim propones, nos autem breuibus si quid erit circa illa explicandum, corrigendum ac immutandum, explicabimus, corrigemus atq; immutabimus. uerum si lubet, in hunc angulum secedamus, ne quisquam sit nobis impedimento.* SE. *i præ, sequar, iamq; sedeas, nam è crumena schedam depromam in qua cerata omnia descripta sunt quæ à nobis seruantur.* BRAS. *depromito ut lubet.* SE. *hæc est quam in tuas manus pono.* BRAS. *legas tu cerata, ut in ordinem redegisti.*

SENEX. .II.

Ceratum stomachale primas occupat partes. BRAS. *hoc unum est ex illis ceratis, quod apud unumquenq; pharmacopolam diuersum est, nam unus compositione una sub hoc nomine seruat, quam alij haud seruant, sed & ipsi suam habent cerati stomachalis compositionem: ueruntamen à tuo incipiamus, quodnam seruas tu huius generis ceratum?* SE. *hoc quod sequitur.*

Recipe *masti ches.* *unc. i.*
Laudani, *drach. iiij.*
Aloes,
Macis,
Gariophyllorum,
Spicæ,
Piperis albi,
Cardamomi, } *Singulorum drach. i.*
Galangæ,
Cinnamomi,
Florum labruscæ.

Coriandrorũ præparat.
Galliæ mꝑscat æ,
Myrtillorum,
Sumachiorum,
Antheræ.

Mentæ ſiccæ
Roſarum rubrarum,
Abſinthij,
Corallorum rubrorum,
} Singulorũ drach. iiij.

Olei de ſpica,
de abſinthio,
} Singulorum unc. 5.

Reſinæ, pini. unc. viij.
Ceræ nouæ citrinæ. unc. iij,
Miſce et fiat ceratum ſecundum artem. BRAS. Ignoro quomodo unica olei uncia ad ceratum conficiendum ſit ſatis. SE. Ego addo quantum mihi uidetur, nam eſt pauca prorſus olei quantitas iſta, quæ ceratum ingreditur. BRAS. Nonnulli ſunt qui ex eiſdem conficiunt ceratum, ſed ita in ponderibus à tuo differũt, nã ponunt, mentæ, roſarũ, abſinthij, corallorũ, ſingulorũ drach. iij. olei de ſpica, de abſinthio, ſingulorũ, unc. i. reſinæ pini unc. viij. ceræ nouæ. unc. iiij. SE. Hæc nõ uidetur magna differentia: at in pharmacopolæ dexteritate cõſiſtit, de his magis & minus addere, ut cerati formam aptent, & pro maiori ac minori horum copia tenacius ſit, ac minus tenax ceratum: nã quãto minus olei recipit, tanto maiorem habet conſiſtentiam, neq; defluit, neq; li-

quescit. BRAS. Alij sunt pharmacopolæ qui hoc non seruant ceratum, sed aliam habent cõpositionem. SE. quæ nam est? BRAS. Hæc quæ sequitur.

Recipe Masticbes unc. i.

Mentæ siccæ.
Absinthij,
Rosarum rubrarum,
Aloes,
Myrrhæ,
Terræ sigillatæ.
} Singulorũ drach. ij.

Gariophyllorum,
Myrrhæ,
Piperis,
Cinnamomi,
Galangæ.
Florum labruscæ
Fu, idest Valerianæ,
Myrtillorum,
Sumachiorum,
Antheræ,
Coriãdrorũ præparato.
Cyperi,
Galliæ muscatæ,
Cardamomi maioris.
} Sing. drach. i. Scru. ij.

Resinæ pini. lib. unam

Olei mastichini.
myrtini,
de cotoneis.
de spica.
} Singulorũ drach. i.

Misce, & cum cera fiat ceratum secundum artem. SE. Et in hoc uidetur esse pauca oleorũ q̃titas. BRAS. Nõnihil plus adijcitur, si sit opus. SE. multum differt eiusmodi compositio à mea. BRAS. Tamẽ non est abijcienda neq; negligenda. SE. nõ negligo, Sed miror tot esse apud pharmacopolas cõpositionum diuersitates. BRAS. Nunc nehementius admiraberis, quia alij sunt, qui sequentẽ seruãt sub noĩe cerati stomachalis cõpõnẽ.

Recipe Mastiches. drach. iiij.
Aloes, drach. iij.
Gariophyllorum
Spicæ,
Croci,
Myrrhæ,
Piperis albi,
Cardamomi,
Galangæ,
Granorum paradisi,
Cinãmomi,
Calami aromatici,
Florum labruscæ.
Mentæ siccæ,
Absinthij,
Rosarum.
singulorũ drach. ij.

Corallorum rubrorum, drach. iij.
Olei nardini,
de spica,
de absinthio,
de cotoneis.
singulorũ. drach. ij.

Ceræ. unc. iij. ß.
Reſinæ pini. unc. vi.
Miſce, & fiat ceratum.

SE. ego potius ita confici iuberem.

Ceræ,
Reſinæ } quãtũ ſufficit. Miſce, & fiat ceratum.

quare horũ q̃titas haud probe adducitur? BRAS. uerũ profecto dicis, tamẽ & ſtatutũ põdus ac certũ aſſignari põt. Sed & alij ſunt pharmacopolæ qui hoc ſeruant.

Recipe Specierum aromatum. unc. ß.
Picis naualiß,
Reſinæ, } Singulorũ unc. i.

Miſce, & fiat ceratũ ſecundum artem.

SE. Quid intelligunt per aromatum ſpecies? BRAS. Aromaticos pulueres, quales, cinnamomi, gingiberis, gariophyllorũ, piperis, et ſimiliũ. nõnulli uero ſunt qui ad hũc uſum, ceratũ de laudano uocatũ, ſeruant, & cum ſtomachale ceratum indicitur, hoc præbent, quia ab authoribus dicitur ualere in ihfrigidato, atq; imbecillitato ſtomacho, uimq; concoctricẽ roborare, & dolores qui à flatu oriuntur, auferre. cuius compoſitio hæc eſt.

Recipe Mentæ,
Roſarum rubrarum,
Abſinthij,
Ligni aloes,
Maſtiches,
Cinnamomi,
Spicæ,
Myrtillorum, } ſingulorum drach. ij.

Gariophyllorum,
Galangæ,
Nucis muſcatæ,
Macis,
Gingiberis,
Galliæ muſcatæ.
} Singul. drach.ij. ſ.

Cyperi.
Calami aromatici,
Olibani
Aloes,
Myrrhæ,
Corallorũ rubrorum,
} Singulorum drach.i.

Zedoariæ,
Terræ ſigillatæ,
Abrotani,
Centonici,
Cẽtaureæ maioris,
} Singulorũ. drach.i.ſ.
Laudani, unc.viiij.
Ceræ citrinæ, lib.ij.
Terebenthinæ, unc.viij.

Liqueſiant cera, terebenthina & laudanum ſimul, reliqua uero in puluerem redacta miſceantur. SE. Eiuſcemodi compoſitio aliquid habet cum alijs cõe. BRAS, Habet etiam aliquid proprij quo ab alijs diſtingui poteſt cõpoſitionibus. alij ſuut pharmacopolæ, qui Meſue ceratũ ſeruant, quod ipſe Galeno attribuit, cũ ait: Ceratum Galeni ſtomachum confortans, & emendans uitia ſtomachi, quæ ex frigiditate ſunt, præparans & confor-

tans appetitum & digestionem cibi, & confortans hepar, & sedans dolorem eorum. Hæc Mesue. SE. optarem potius ut Mesue compositionẽ adduxisses. BRAS. & hoc efficiam: illam igitur audito,

Recipe Rosarum drach. xx.
Foliorũ absinthij sicc, drach. xv.
Mastiches, drach. xx.
Spicæ Indæ, drach. x.
Terantur hæc subtiliter, & accipe,
Ceræ mundæ. unc. iiij.
Olei rosacei. libr. i. 5.

Dissoluãtur ad ignem & lauentur lotionibus pluribus aqua rosacea, deinde iterũ dissoluãtur, & lauentur uino ueteri, succo citoneorum & pauco aceto, postea misceãtur cum pulueribus & fiat ceratum. SE. Quænam compositio tibi magis placet & quã potius probas? BRAS. Nullam, quia diuersi affectus uentriculo contingunt, propterea nõ semper eodem cerati genere indiget, & quia affectus per magis & minus differunt: iccirco cerata diuersa habere oporteret, per magis & minus differentia: unde optarem unumquenq; medicum, tũc ceratum cõficere, quando eo indiget, ut ad rem ægroti quem curat, facit, & plus uel minus addere, ut illi uidebitur, & quãdoq; magis calefacere, quandoq; minus, quandoq; uehementius exiccare, quandoq; minus, quandoq; preßius constringere, quandoq; minus presse, et idem est de aperitione iudicium: nam pedes omnes non sunt uno calciandi calopodio, neq; omnes unam & eandem habent uentri-

culi temperiem, neq; unus & idem est lapsus. propterea q̃tum sit de stomachali cerato seruando, nullum seruandũ iubercm: sed maluerim ut unusquisq; medicus, secundum ægroti quem curat temperiem, & affectum ipsum ceratum quo indiget, indiceret. SE. Reperitur ne apud antiquos ceratũ stomachale? BRAS. Cur hoc petis? SE. quia Mesue dicit ceratũ quod refert esse Galeni. BRAS. nunq̃ apud Galenum talis generis ceratum inueni, quale illud quod Mesue adducit, secundum Galenum: tamen adest apud Galenum stomachicũ ceratum, nã in octauo Methodi medendi libro post dimidias ferè libri partes, ubi ad stomachum imbecillum præsidia ponit, cũ inunctiones diuersas adduxerit, inquit: Si uero qui affligitur cinctum non patitur, siue ob cõsuetudinem, siue delitias cingi recuset, licet cerato idẽ efficias, est autẽ in eiusmodi usum optimum quod ex cera fit Tyrrhenica in unguento nardino liquata, cui postq̃ refrigeratum est, aloes ac mastiches molliſsimus puluis est admiſſus: debet autem singulorum hic esse modus, ceræ ac nardi partes pares, aloes pars octaua, sic etiam & masticbes, uel (si placet) huius paulo aliquid plus. quòd si cerato aliquid è sumptuosis his unguentis admisceas, præstantius medicamentum habebis: si autem uẽtriculus intus uritur, ita ut affectus quidam phlegmone similis in eo consistere uideatur, utilius est ceratum quod ex melino cõficitur, sunt porrò & alia medicamenta nõ pauca, alia quidem ex œnanthe, alia ex hipocystide, & balaustijs, & palmularum carne confecta, quæ uentriculo cum refrigerando, tum uero firmando sint idonea. Hæc Galenus de suo cerato stomachico, in octauo Methodi medendi libro, uerum & de ipso etiam

agit in octaui libri initio de compoſitione medicamento-
rũ ſecundũ locos, cũ ait. Ceratũ igitur quo aßidue utor,
ex aloe, & maſtiche, & cera pontica amara, atq; unguẽ
to nardino cõſtat. componitur uero hyeme ad octo dra-
chmas ceræ, uncia una mẽſurali romana unguenti nardi
ni coniecta. Aeſtate autem adſeptem eadem unguenti
proportione. optimum autem unguentum eſſe oportet
quale antea quidem in ſola Laodicea Aſiæ imperaba-
tur, nunc uero in alijs multis aſianis urbibus compone-
tur, cera ſi non pontica amara tibi in promptu ſit,
aliam ponticam conijce, & neq; illa præſente, eam
quæ Tyrrhenica appellatur. Si uero neq; hæc adſit,
aliam aliquam odoratam & pinguem: Si uero neq; ta-
lem habeas, eam quam habere potes, lotam adde. li-
quefiat autem in duplici uaſe, atq; ita refrigeratum, &
eraſum ceratũ, cum tritis reliquis probe permiſceas,
cũ aloe uidelicet & maſtiche. Sit autẽ utriuſq; drachma
una & quãdoq; plus, non tñ ut ſeſquidrachmã tranſgre
diaris. quòd ſi ampliori opus ſit adſtrictione, nimirum
debilitate tanta exiſtente, ut cibum retinere nõ poßint,
omphacium pari pondere addatur, ut trium ſingulorum
drachma ſit una, aloes una, maſtiches una, & tertia
omphacij. cæterum in cerati præparatione primũ om-
phacium miſceatur, deinde etiã alia his uniãtur. at uero
quemadmodum omphacium, ita abſinthij ſuccum ammi
ſceto, quandoq; etiã ambo, & tertium inſuper hypociſti
dis, & quartũ œnanthæ: ſic autẽ appello uitiũ ſylueſtriũ
germen unà cum floribus, ex quo ſuccedentibus diebus
una fit, quin & Rhois ſuccum non raro admiſcui, ſed &
cerati nardini copiã augere oportet, iuxta proportionẽ

numeri reliquorum pharmacorum, ita ut si quatuor drachmæ aliarũ rerũ accumulẽtur, triens sit nardini cerati, sextans quidẽ ceræ, sextans autẽ nardini unguenti, hoc ẽ utriusq; drachmæ sexdecim, quem Paulus secutus est. SE. Ceratũ igitur quod Mesue ex Galeno adducit, Galeni nõ est? BRAS. nõ q; sciuerim, aut unq̃ inuenerim, immo argumẽtũ est nõ esse Galeni, quia illa quæ cõpõnẽ ingrediuntur, aqua rosacea lauat. Constat uero Galeni tẽpore, rosaceã aquã ui ignis eliquatã nõ fuisse inuẽtam, & si dicas per rosaceã aquã, rosarũ decoctũ intellexisse, hoc dici non potest, si quis Mesue loquẽdi usum cõsideret, qui semper per rosaceã aquã, illam quæ ui ignis eliquatur, intelligit. SE. Quod nã igitur ceratũ seruare debeo? BRAS. Si aliquod seruandũ sit, erit hoc Galeni. SE. Si q̃nq; frigido cerato indigeremus, quo nã uti deberemus? BRAS. Stomachum rarissime infrigidare oportet: nam et si in ipso inflammatio adesset, magnis et uehementibus infrigidantibus uti nunq̃ deberemus, quia uentriculus suapte natura frigidus est.

SENEX . III.

Ceratum contra pestem sequitur. BRAS. nunq̃ audiui apud pharmacopolas eiuscemodi cerati genus seruari. SE. Deinceps hoc non dices, nã à præceptore meo seruabatur, & ego semper illud seruaui, & eo in pestilentibus temporibus magnum lucrum paraui. BRAS. refer tuum hoc ceratum. SE. iam refero.

Recipe Spẽrũ diamusci dulcis,
Diamargaritonis.
Diambræ. } Singulorũ scrup. i.

Camphoræ,
Sandalorum omnium,
Corticum citri,
Florum labruſcæ,
Been albi,
rubri,
Myrtillorum
} Singulorum drach. ſ.

Muſci gra. iij.
Reſinæ pini.
Terebenthinæ } Singul. quātū ſufficit.

Miſce, & cum modico ceræ fiat ceratum, quod ſupra coccineum pannum extendatur, & ſupra cordis regionē ponatur. BRAS. Nō eſt in uſu eiuſcemodi ceratum, arbitrorq; Ferrariæ in nullo inueniri, præterquā in tuo pharmacopolio. SE. Tum cum peſtilentia aliqua uiget, eo non mediocre lucrū facio. BRAS. Seruato igitur ad hos uſus, et ad alia ceratorū gña te cōuertito.

SENEX. JIII

Ceratum pro crepatis in hoc loco pixydem ſuam habet. BRAS. Haud pauca uidi pro crepatis cerata, at tu quod genus ſeruas? SE. Hoc quod ſequitur.

Recipe Thuris,
Maſtiches,
Sarcocollæ,
Agarici,
Lapidis hæmatitidis,
Mumiæ,
Tragacanthi.
} Singulorū drach. iij.

Myrrhæ

Myrrhæ,
Gummi arabici,
Terræ ſigillatæ,

Gallarum cyparisſi.
Litargyrij,
Boli armeni,
Balauſtiarum,
Corticum granatorum,
Gallarum,
Copularum glandium,
Ariſtolochiæ longæ,
rotondæ
Conſolidæ maioris.
minoris,
Farinæ lentis,
Sampſuci,

Singulorum drach. ij.

Picis naualis,
Picis græcæ,

Singulorum unc. iiij.

Reſinæ pini,
Terebynthinæ

Sing. unc. ij. drach. ij.

Ceræ quātū ſufficit, Miſce & fiat ceratū ſecundū artē. BRAS. Hoc nō ē cōe ceratū (ut cōi loquar more) pro crepatis, nā in hoc leporis pili haud igrediūtur. SE. ego ſemper hoc ſeruaui, & cū à medicis ceratū pro crepatis indicitur præbeo. at tu cōe illud referto, qđ leporis pilos recipe ais. BRAS. Hoc ē qđ ſequitur, cuius uſus ē per totā Italiā frequētiſſimus, q̄q̄ ipſius cōpoſitio cōfuſa ſit.

Recipe Sanguinis draconis,
Thuris,
Mastiches,
Sarcocollæ,
Acatiæ,
Lapidis hæmatitidis,
Mumiæ,
Tragacanthi, } Singulorũ drach. ij.
Myrrhæ,
Gummi arabici,
Terræ sigillatæ,
Sanguinis humani,
Aloes,
Pilorũ leporũ ustorũ,
Corticũ nucis ustorũ,

Gallarum cypariſsi,
Boli armeni,
Lithargyrij,
Balauſtiarum,
Corticum granatorũ,
Gallarum, } Singulorũ drach. i.
Copularũ glandium,
Vtriuſq; ariſtolochiæ,
Vtriuſq; conſolidæ,
Lentiſci,
Sampſuci,

Picis naualis,
Colophoniæ, } Singulorũ unc. ij. ſ.

Resinæ pini,
Terebenthinæ, } Singulorũ unc. i. ſ.

Ceræ citrinæ quantum ſufficit, miſce, & fiat ceratum ſecundum artem. S E. Mihi uidetur q, à meo non multũ differat. B R A S. Tamẽ differt & in aliquibus ſimplicibus, & in ponderibus. at nõnulli ſunt qui aliud cõficiunt, in quo aliqua ſunt ſimplicia, quæ in præſcriptis abſunt, & in ponderibus eſt ualde diuerſum. S E. Nec iſtud afferre pigeat, ne in hoc noſtro ſermone quicquã deſideretur. B R A S. Immo non piget, ſed compoſitionem audias: nam hæc eſt quæ ſequitur.

Recipe Thuris,
Maſtiches,
Sarcocollæ,
Acatiæ,
Lapidis hæmatitidis,
Sanguinis draconis,
Mumiæ,
Tragacanthæ,
Macis, } Singulorũ drach. iiij.

Gũmi arabici,
Terræ ſigillatæ,
Boli armeni,
Gallarum,
Lithargyrij,
Balauſtiarum,
Nucum cypariſſi,
Corticũ mali granati, } Singulorũ drach. iiij.

Cicerum decoctorũ,
Aristolochiæ utriusq;,
Corticum olibani,
Rosarũ rubrarum,
Trium consolidarum,
Lentis,
Orobi,
Siliginis,

Colophoniæ. } singul. unc. vi.
Picis naualis,

Resinæ pini,
Terebenthinæ, } Sing. unc. iij.
Viſci quercini,

Collæ piſcium, unc. ij.
Collæ chartarum unc. iiij.

Miſce, & omnia quæ pinſanda ſunt pinſantur, ceratũq; ſecundum artem conficiatur. SE. Miror cur taurinum glutinum non appoſuerint. BRAS. Forte ſub chartarum colla continetur, tamen & alij aliam ſeruant compoſitionem, & præbent, cum ceratum pre manibus indicitur. SE. Quænam eſt illa? BRAS. Hæc quæ ſequitur.

Recipe picis naualis, unc. iiij.
Litargyrij,
Ammoniaci, } Singulorum unc. ij.
Gallarum,
Maſtiches,

Ceræ albæ,
Ceræ rubræ,
Colophoniæ,
Aloes,
Aristolochiæ longæ,
rotundæ,
} Singulorum unc. iij.

Viſci quercini,
Boli armeni,
} Singulorum unc. vi.

Gypſi,
Myrrhæ,
Thuris,
} Singulorum unc. v.

Terebenthinæ lotæ cum aceto unc. iij.

Lumbricorum terreſtriũ,
Radicis utriuſq; cõſolidæ,
Mummiæ,
Sanguinis draconis,
Bdelij,
} Singulorum unc. i.

Pellis arietinæ à pilis liberæ & fruſtatim inciſæ, partẽ unam
Sanguinis humani libr. i.

Ita uero conficiatur. Bulliat pellis in aqua quouſq; liqueſcat, poſtea addantur glutinis piſciũ unc. ij. & ſimùl probe miſceantur, addanturq; & ceræ & gummi & pulueres omnes, & ſimul agitentur ex oleo myrtino, & fiant globi, qui in uas ferreum uel æreum ponantur, & uſui ſeruentur. S. E. Mihi tamen uidetur in unum ac

eundem finem hæc omnia ceratorum genera incidere. BRAS. Immo ambigendum non est, quia eorũ finis est constringere, & quæ intrinsecus disrupta sunt cõsolidare. SE. Intelligo etiã eadem ferè esse in omnibus simplicia. BRAS. Tamen in aliquibus differunt simplicibus, & ĩ põderibus. SE. At hæc quã nuper adduxisti cõpositio cõfusa esse uidetur, sicut & aliæ superius enarratæ. BRAS. Ob hoc nõnulli sunt, qui breuiorẽ parant cõpõnẽ. SE. Quã nã? BRAS. Hanc.

Recipe Mastiches. drac. ix.

Lapidis hæmatitidis,
Gypsi,
Boli armeni, } Singulorum unc. iij.

Gũmi arabici,
Glutinis piscium. } Singulorum unc. ß.

Resinæ pini,
Picis naualis, } Singulorum unc. i. ß.

Colophoniæ, unc. ij.

Miscebis & lento igne fiat ceratum. SE. Haud mihi displicet eiuscemodi cerati genus, quoniam breue est, nec tot indiget miscellis. BRAS. Ego infinitos ferè sanitati restitui ex enterocele, solo ammoniaco præparato, & diaquilone maiori, quæ sunt longe pauciora, q̃ sint illa quæ in ceratis in pharmacopolijs seruatis ac præparatis insunt: nam hæc duo satis est

unà miſcere, & ſtatim confectum eſt. SE. Ad propoſitum finem intentionem habere non uidentur. BRAS. Tamen rem ipſam perficiunt. SE. Quoſdam audiui qui cerato quodam Arnaldi de Villa noua pro crepatis utuntur. BRAS. Verum eſt, ſed ab his non multum differt. SE. Optarem & illud audire. BRAS. Hoc facile fiet, ſi authorem ipſum legamus in ſecundo ſui breuiarij libro, capite trigeſimo primo, cum ait.

Recipe Lithargyrij,
Lapidis hæmatitidis,
Sanguinis draconis,
Boli armeni,
Maſtiches,
Ammoniaci,
Mumiæ,
Galbani,
Thuris,
Coſti,
Lũbricorũ terreſtriũ,
} Singulorũ drach. ſ.

Picis naualis,
Picis græcæ,
Ceræ albæ,
rubræ,
} Singulorũ drach. i.

Radicis cõſolidæ maioris,
mediæ,
minoris,
} Sing. drach. iij.

Roſarum
Myrrhæ
Aloes, } Singulorũ drach. iiij.

Paleæ marinæ cõbuſtæ,
Gallàrum,
Balauſtiarum,
Ariſtolochiæ rotundæ, } Singulorum drach. vi.

Viſci quercini drach. ij.
Sanguinis hominis ruſi. lib. i. minus q̃rta
Conficiatur hoc modo.

Accipe pellem unam hœdinam, uel arietinam cũ omnibus pilis ſuis, & decoquatur quaſi bulliendo per totum diem, quouſq; omnia ferè liquefacta ſint, & fiat ſicut colla, & parum uel nihil de aqua ibi remaneat: deinde accipe libram unam ex illa aqua optime cum ſtaminea uel panno collatam, & adde cum ea uiſcum quercinum, & in olla noua lento igne liquefieri facito & bullire, baculo ſemper & continue commouendo: deinde lumbricos terreſtres, poſtea ceram & picem addas, deinde adde terebenthinæ drach. ij. poſtea colophoniam, maſtichen, myrrham, ammoniacum, & galbanum adde, & liquæfac ſimul, & baculo ſemper moueatur. Signũ decoctionis eſt, q̃ ponatur una gutta ex eo ſupra lapidem marmoreum uel ſupra cultellum oleo inunctum, quæ cũ infrigidata fuerit, ſi maſſatur & optime coagulatur, tunc ſignum eſt perfectæ decoctionis. ſi non maſſetur, tantum lento igne bulliat, q̃ ad hæc deueniatur. SE. Neſcio in hac compoſitione quid ſanguis humanus effi-

ciat, & quæ sit humani sanguinis cum ruptura affinitas, nisi sit quia cum exiccatur, adstringere uidetur. BRAS. Nisi ita sit, aliã prorsus ratione ĩuenire nesciẽ. nã ob nullam aliam causam humanus sanguis herniæ prodesse potest. scito etiam pharmacopolas in primo simplicium ordine opium numerare, sub eo pondere sub quo illa sunt, simpliciter tamen author ipse (ut in suo cõstat libro) opium non ponit. sed iam hernioſorum cerata fastidio ueniunt, optarẽq; ut unusquisq; medicus tunc conficeret, quando illo indiget, & uehementius & minus uehemens, ut exigit affectus, ac ægrotantis temperies. SE. Audiui & Gentilem Fulginatem ceratum quoddam pro crepatis confeciſſe. BRAS. Confecit prorsus, & est in libro consiliorum suorum consilio primo. SE. Ne hoc prætermittamus obsecro. BRAS. Idem est cum supradictis, tamen ne laborem subterfugere uidear; iam, iam illud referam.

Recipe picis liquidæ,
Colophoniæ,
Ceræ citrinæ,
Aristolochiæ longæ,
rotundæ,
Vermium terrestriũ,
Aloes,
} Singulorũ unc. iiij.

Litargyrij auri.
Ammoniaci,
Opoponacis.
Castorei,

Maſtiches,
Bdelij,
Summachiorum,
Terebenthinæ,
Serapini,
Cõſolidæ maioris,
minoris,
} Singulorum unc. i.

Gallarum,
Nucũ cypariſſi,
Boli armeni,
Succi hypociſtidis,
Mumiæ,
} Singulorũ unc. vi.

Thuris,
Viſci quercini,
Lapidis hæmatitidis,
Olibani,
Gypſi,
Myrrhæ,
} Singulorũ drach. iiij.

Sanguinis draconis drach. vij.
Sanguinis humani lib. ij.

uero conficiatur: Accipe pellem Arietis expilatam, & coquatur in aqua tandiù donec tota liqueſiat: deinde dimitte aquam infrigidari, & reſidere, poſtea accipe pulueres ſubtiliſſime tritos, & ſetaceo cribro excretos: gummi uero genera in uehemẽtiſſimo diſſoluãtur aceto, & ſanguine commiſceantur, & hæc omnia

permiscẽda in collatura aquæ pellis arietis in cacabo, & simul bullire facito, donec ad nigredinem & cerati formam deueniant, & utere: notaturq; humanum sanguinem ab homine sano esse extrahendum & probæ temperiei, debetq; illico in cerato poni, cum extractus est, quia si diu extractus maneat, facile corruptionem incidit. SE. Omnia ferè ex eisdem simplicibus fiunt eiusdem generis cerata. BRAS. Tamen in aliquæ semper differunt.

SENEX. V.

Ceratum gratia Dei post prædicta scriptum sequitur. BRAS. Et istud quoq; est apud diuersos pharmacopolas diuersum, tu illud exprime quod confectum seruas. SE. Hoc seruo.

Recipe Picis naùalis,
Ceræ, } Sing. unc. ij. drach. iij.

Serapini. unc. ij.

Ammoniaci,
Terebenthinæ,
Colophoniæ } Sing. unc. i. drach. iij.
Croci,

Aloes,
Thuris, } Sing. unc. i.
Myrrhæ,

Opoponacis,
Galbani,
Styracis calamitæ,
Maſtiches,
Aluminis,
Fœnu græci,
} Singulorũ drach. vi.

Thymiamatis,
Bdelij,
} Singulorũ drach. iij.

Lithargyrij drach. i. ſ.
Miſce, & fiat ceratum ſecundum artem.

BRAS. Alij ſunt qui aliud ſeruant gratia Dei uocatum. SE. Quale nam? BRAS. Iſtud.

Recipe ceræ albæ,
Reſinæ pini,
Ammoniaci.
} Singulorũ unc. vi.

Terebenthinæ unc. iij.

Galbani,
Olibani,
Maſtiches,
Myrrhæ,
} Singulorum unc. ſ.

Ariſtolochiæ rotundæ, drach. ij.
Terenda terantur, & infundantur in uinum in quo decocta ſint.
Betonicæ.
Verbenæ,

Consolidæ maioris,
minoris,
Centaureæ,
Pimpinellæ,
Hypericonis,
Herbæ gratia Dei,
Bautiæ,
} Singulorum unc. i.

Postea extrahantur, & cum mulieris lacte conquassentur. SE. Hoc est unguentum. BRAS. Immo ceratũ est, & ad omnia uulnera aptũ, nam carnem gignit ac consolidat. sunt & alij qui hoc parant.

Recipe Galbani,
Opoponacis,
Viridis eris,
Thuris,
Aristolochiæ longæ,
Mastiches,
Myrrhæ,
} Singulorũ unc. i.

Ammoniaci unc. ij. drach. ij.
Ceræ unc. viij.

Olei communis,
Litharg yrij,
} Singulorum unc. viij.

Bdelij unc. ij.
Adamantis,
Lapidis hæmatitidis,
Calamitæ,
} Singulorum drach. i.

Cõficiatur ſecundũ artẽ addẽdo unc. vi. terebẽthinæ, & drachmas quatuor gũmi abietis, cõficiaturq; in maſſas.

SE. Arbitror illos qui hoc cõficiunt ceratũ adamantẽ nõ apponere. BRAS. Neq; ego hac in re ambigo, immo uidi uitri fruſtula apponi. ſunt alij qui ita conficiunt hoc gratia Dei ceratum.

Recipe Litharg yrij, lib. i. unc. v.
Galbani. unc. i. drach. ij.
Ammoniaci. unc. iij. drach. iij.

Ceræ citrinæ,
Colophoniæ, } Singulorũ unc. viij.

Olibani, unc. ij. drach. iij.
Bdelij, unc. ij.

Opopanacis,
Ariſtolochiæ rotũdæ, } Singulorũ unc. i.

Olei ueteris lib. ij. ſ.
Miſce, & fiat ceratum ſecundum artem.
Alij uero ita conficiunt ac ſeruant.

Recipe Galbani,
Opopanacis,
Olibani,
Myrrhæ,
Floris æris,
Maſtiches,
Ariſtolochiæ rotundæ } Singulorum un. i.

Ammoniaci, unc. ij.
Ceræ citrinæ unc. i.

Lithargyrij auri,
Olei cõmunis, } Singulorũ lib. i. ſ.
Miſce, & fiat ceratum ſecundum artem.

Alij qd ſeqtur gratia Dei cõficiũt, & cũ indicij præbẽt.

Recipe Galbani,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Viridis æris, } Singulorũ unc. i.
Ariſtolochiæ rotũdæ,
Maſtiches,

Ceræ nouæ unc. x.
Terebẽthinæ unc. vi.

Olei oliuarum,
Litargyrij auri, } Singulorũ lib. i. ſ.
Olibani unc. ij.

Myrrhæ,
Thuris, } Singulorum unc. i.
Bdelij,

Calamitæ,
Lapidis hæmatitidis, } Singulorum drach. i.

Hæc omnia in puluerem redigantur, præter ceram & gummi genera, & ita ceratum conficiatur: primo gũmi genera cultro incidantur, & per diem ac noctem in acri aceto infundantur: poſtea bulliant in lin-

gula igne lento, quoad acetum consumptum sit, baculo autem semper agitentur: deinde in lineum pannum fortem ponantur, & duobus baculis in capitibus telæ lineæ positis extorquendo ui exprimantur, in uasq; seruentur: postea oliuarum oleum accipiatur, in quod cera in parua frustula redacta ponatur, & ad ignẽ posita simul liquefiant: postea lithargyrium addatur egregie pulueri zatum, & bulliant semper agitando, ne fundo inhæreant, donec color mutetur, & nigrum fiat: postea gũmi addantur, & paulatim bullire sinantur, quoad gummi sint dissoluta, semper uero baculo sensim agitentur, sæpeq; lingulam ab igne depone, ne ob uehementẽ ebullitionem extra uas medicamentum saliat: tantum uero bulliant, ut ad illam deuenerit consistentiam, q̃ gutta una in aqua frigida posita densetur, tunc enim coctum esse existimandum erit. Si uero non densetur, iterum bullire permittatur, quoad densescat, cum ad hoc peruenerit, adde uiride æris egregie pulueri zatum, baculo semper mouendo, quoad unà iungantur. postea myrrhã adde, & tertio aristolochiam, quarto mastichen, deniq; thus, olibanum, magnetem, lapidem hæmatitin, simulq; decoquantur baculo semper agitando, ne fundo inhæreant, & ut egregiè misceantur, adeoq; decoquantur ut ad nigredinem deueniant cum rubedine, tunc guttam in frigidam aquam deponito: si digitis non adhæreat oleo inunctis, coctum est, tunc ab igne remoueatur baculo semper agitando: postea in peluim aqua frigida plenam ponatur, in qua dimittatur quoad manibus tractari possit, ut globi fiant, & ne manus exurat. aliqui sunt qui aristolochiæ rotundæ loco longam apponant.

SE.

SE. Ad quos ualet affectus hoc ceratum? BRAS. Si illa quæ de eo feruntur uera essent, nullo alio indigeremus cerato ad tot remouendos ualet affectus. nõnulli recentes ab authore illud uocant ceratũ Gotfredi, quod inquiunt habere uirtutẽ potius diuinam q̃ humanam. SE. Vires ipsius ni piget, referas. BRAS. Non piget prorsus, ĭmo audias: inquiunt ualere ad oẽs plagas nouas, & antiquas & uetustißimas, & supra oĩa unguenta ac emplastra ualde abstergere ac mũdificare, bonã carnẽ gignere, & in una hebdomada magis cõsolidare, q̃ cætera faciant unguẽta in uno mense: neq; permittit corruptionẽ fieri in aliquo ulcere, nec prauã carnẽ generari: conuenit neruis oĩbus incisis & concußis, atq; musculis à quacũq; causa hoc contigerit: ~~etiã~~ iflationi oĩ aduersatur: ferrũ, lignũ, uitrũ é carne educit. Si hoc ceratũ supraponatur, uenenũ etiã attrahit morsui cuiuscũq; dialis uenenosi suppositũ: oẽm abscessum sanat: carcinomati, carbunculo, fistulæ, & igni sacro opem fert: ualet ad cuiusuis ulceris dolorem, ubi corruptio adsit: unicuiq; percußioni conuenit, uel mẽbri obtortioni, & præsertim quãdo aliquid adfuerit corruptũ, strumas, ac natas disrumpit, & sanat: omnes abscessus qui in hominum costis fiunt uel in dorso, uel in hepate sanat, si supra locum ponatur, & dolorem remittit: podagricos dolores remouet, hæmorrhoidibus succurrit, cum extra apparent: conuenit & ad capitis inflationem.

SE. Alia igitur sunt dimittenda cerata, si ad tot ualet affectus. BRASA. Immo nunc ipsum dimittamus, & ad alia ceratorum genera contemplanda pedem uertamus.

Cerata capitalia sequuntur BRAS. Quot seruas capitalium ceratorum genera? SE. Duo, unum temperatum, aliud calidũ. BRAS. Cur frigidũ deseris? SE. Quoniã cum frigidum indicitur, semper præbeo tẽperatũ. BRAS. Tamẽ ægroti nonnunq̃ frigido idigẽt, in destillationibus præsertim. SE. Frigidũ i meo pharmacopolio nunq̃ seruaui. BRAS. Referas igitur cerata quæ paras capitalia. SE. Hoc est tẽperatum.

Recipe Galbani,
Terebenthinæ,
Resinæ, } Singulorum unc. i.

Acatiæ,
Maioranæ,
Rosarũ rubrarum,
Myrtillorum,
Thuris, } Singulorũ drach. ij.

Mastiches, drach. ȝ.
Misce, & fiat ceratum.

BRAS. Putas ne tu hoc esse tẽperatũ? SE. Ita audiui. BRAS. At potius calidũ est q̃ temperatà: nã calidarũ rerũ uigĩti sex drachmas recipit, frigidarũ uero octo & semis, calidæq; in maiori intẽsiõe calidæ sũt, q̃ frigĩdæ frigidæ. alij sunt Ferrariæ qui idẽ ferè cõficiũt ceratum, sed duas apponunt sandaracæ. i. gummi iuniperi drachmas, & loco semidrachmæ mastiches, inte-

gram ponunt boli armeni drachmam. alij tamen sunt qui ceratum capitale temperatum ita conficiunt.

Recipe Nucum cypariſsi,
Maſtiches,
Olibani,
Sandaracæ ſcriptorũ,
Roſarum,
Balauſtiarum,
} Singulorum drach.i.ſ.

Nucis muſcatæ,
Cinnamomi,
Gariophyllorum,
} Singul. drach.i.

Miſce, & cum puluertbus reſina p^{in}. i, & terebẽthina quãtũ ſufficit fiat ceratũ, qđ prorſus magis tẽperatũ ẽ, q̃ id quod facis. aliqui addunt Galbani diſſoluti in aceto unc.iij. at nunc tuum calidum refer capitale ceratum.

S E. Eſt hoc quod referam.

Recipe Pimpinellæ,
Agrimoniæ,
Pulegij,
Lauandulæ,
Millefolij,
Cõſolidæ maioris,
Matris ſyluæ,
Betonicæ,
Saluiæ,
Peloſellæ,
Centaureæ minoris,
} Singulorum lib.i.

Thuris,
Maſtiches, } Singulorum unc. ij.

Iridis
Ariſtolochiæ rotũdæ, } Singulorum unc. i. ſ.

Gũmi heleni, uuc. iiij.
Reſinæ unc. ſ.

Terebenthinæ
Olei abiegni, } Singul. lib. i. unc. iiij.

Ceræ albæ lib. i. unc. iij.
Vini albi quantum ſufficit, ad infundendũ per nouem dies: poſtea ad uini conſumptionẽ ebulliant, & per lac uehementer ducãtur, & cõficiãtur globi. BRAS. In lacte circunduci haud mihi placet, immo hanc cum lacte miſcellam penitus abijcerem. alij ſunt qui pro calido capitali cerato hoc parant.

Recipe Aloes,
Calamenthi, } Sing. partes æquales.
Pulegij,
Corticum citrorũ,

Miſce, & cum laudano ac modico acatiæ conficiatur. Alij uero hoc cerati genus ita conficiunt.

Recipe galbani, unc. i. ſ.
Reſinæ, unc. i.

Sandaracæ,
Thuris, } Singulorum unc. ij.

Corticum thuris drach. iij.
Mastiches unc. i. ſ,
Nucis cypariſſi drach. i.

Maiorannæ,
Myrtillorum,
Roſarum rub. } Singulorum drach. ſ.
Nucis muſcatæ,
Cubebarum,

Miſce, & fiat ceratum ſecundum artem.

SE. Sum ne hoc pro calido ſeruaturus? BRAS. Optarim ut medici tunc indicerent, quãdo indigẽt, & modo magis calidum, modo minus confici iuberent, ut exigit affectus, quo ægrotus afficitur, & ſemper eodem modo non indicere, ne pedes omnes uno calceo induere mueſſe uideamur. nonnulli uero ſunt qui ſeorſum ceratũ quoddam ſeruant, quod inquiunt ad catarrhi decurſum conuenire, ſi ſupra coronalem ſuturam extẽdatur, loco prius abraſo, & quoad rubuerit perfricato. SE. Qua lenã eſt? BRAS. Iſtud quod ſequitur: at nunq̃ applicãt, quin prius ſuprą locũ cucurbitulã apponi iuſſerint, atq; ſcarificari, qñq; ẽt locũ ſcylla perfricandũ uolunt.

Recipe laudani,
Gummi heleni, } Sing. partes æquales.
Sandaracæ,

Olibani,
Styracis liquidæ,
siccæ,

Misce, & fiat ceratum, cui nonnulli ut uehementius red dant, myrrham addunt. alij sunt, qui aliud in hoc affectu conficiunt, & frigidum ceratum capitale uocant, ex his uero conficitur.

Recipe Galbani præparati unc. i.
Resinæ drach. iiij.
Sandaracæ drach. iij.
Thuris drach. i.

Rosarum
Acatiæ
Myrtillorum
} Singu. drach. iij.

Camphoræ grana vi

Misce, & fiat ceratum secundum artem.

SE. Optarem ut tu calidum, frigidum, & temperatũ ceratum capitale cõficeres, mihiq; præberes ut semp seruarẽ. BRAS. Nosti me rarissime ĩdicere eiusmodi cerata, sed semper præparari iubere, ut mihi uidetur ratiõe affectus quẽ curo, ñ ut normã quãdã tibi tradã, si capitale calidũ desideras ita prorsus cõficiendum est.

Recipe nucis muscatæ,
Galangæ,
Acori,
Calami aromatici.
} Singulorum drac. i.

Cinnamomi,
Gingiberis,

Saluiæ,
Rutæ,
Baccarę,
Hyſſopi,
Libanotidis, } Singulorum drach. ij.

Olei rutacei,
Ceræ
Reſinæ pini, } Singul. quãtũ ſufficit.

Miſce, & fiat ceratum.

At ſi frigidum ceratum cupias, quo non niſi in deſtillationibus utimur, & preſertim tenuibus, hoc conficere poteris.

Recipe Maſtiches,
Roſarum rub.
Balauſtiarum,
Gummi iuniperi,
Corallorum alborum,
Boli armeni,
Terræ ſigillatæ,
Acatiæ, } Singul. drach. i.

Olei roſati,
Reſinæ
Ceræ, } Singul. quãtũ ſufficit.

Miſce, & fiat ceratum,
Si uero temperatum petas, ita conficiatur.

Recipe Boli armeni,	
Maſtiches,	
Acatiæ,	*Singul. drach. i.*
Myrtillorum,	
Thuris,	
Corallorum alborum,	
Maioranæ,	
Stœchadis,	*Singul. drach. i. ſ.*
Saluiæ,	
Reſinæ pini	
Ceræ	*quantum ſufficit*
Olei roſacei,	

Miſce, & fiat ceratum,

SE. *Placet ne tibi ut ita conficiam & ſeruem?*
BRAS. *Hoc non aſſero, ſed mihi ſatis fuit formam quandam horum trium ceratorum tibi præſtitiſſe.*

SENEX.

Ceratum pro ſplene huc accedit. BRAS. *Rari ſeruant compoſitionem aliquam uniuerſalem: ſed ut à medicis tunc indicitur, conficiunt.* SE. *Tamen ego ſemper hoc ſeruaui, & adhuc ſeruo & cum à medicis ceratum pro ſplene indicitur, præbeo.*

Recipe Ammoniaci præpati,
Diaquilonis maioris, } Singulorum. unc. vi.

Specierum unguenti pro splene unc. iiij.
Cum Terebenthina & cera quantum sufficit,
Misce, & fiat ceratum. BRAS. Non dixi raros seruare, quia nulli seruent, sed aliqui sunt & perpauci, & inter se dissidentes, nullusq; alius Ferrariæ inuenitur, qui tuum seruet pro splene ceratum, aliqui uero hoc quod sequitur seruant.

Recipe Ammoniaci, drach. vi.
Bdellij albi. drach. iij.
dissoluantur cum aceto scyllitico
Tamarisci drac. 5.

Scolopendriæ,
Se. agi casti, } Singu. scrup. ij. 5.

Seminis plantaginis drach. 5.
Ceræ albæ drach. ij.
Misce, & cum resina fiat ceratum ad formam splenis ac magnitudinem, quam medicus formare debet, ut tactui duritiem persensit ac magnitudinem. Alij uero hoc seruant.

Recipe Tamarisci,
Scolopendriæ,
Seminis agni casti,
Seminis plantaginis, } Singulorum scrup. ij.

Ammoniaci unc. 5.
Bdelli drach. iij.

Gummi dissoluantur in aceto scyllitico, & post infrigidationẽ aliarũ rerũ pulueres addantur, & fiat ceratum secundũ artem, tamẽ illud quo plerũq; usus sum, est ualde præcipuũ, ad lienis dolorẽ & duritiem emendanda.
SE. Quod nam est? BRAS. Hoc quod tibi referã.

Recipe Seminũ agni casti,
Tamarisci,
Ceterach,
Radicum iridis,
Absinthij,
Assari,
Apij,
Stœcadis,
Prasij,
Valerianæ,
Acori,
Lupinorum.
Sisymbrij,
Ebulorum,
} Singulorum drach.i.

Amygdalarũ amararũ
Corallorũ rubrorum,
} Singulorum dra.ij.

Radicũ capparorum,
Panis porcini,
} Singulorum drac.iij.

Hellebori nigri,
Lapidis armeni,
} Singulorum drac. iiij.

Bdellij,
Euphorbij,
Ammoniaci.
} Singulorum drach.i.ß.

Olei de capparibus,
Ceræ,
Resinæ pini,
Terebenthinæ, } Singulo. quãtũ sufficit.

Misce, & fiat ceratum secundum artem,

SE. Vehemẽtissimum esse debet eiuscemodi ceratum BRAS. Tale est ut lienis durities resoluat, & eiusdẽ partis dolorem emendet. SENEX. Ceratum diuinũ accedit. BRAS. Nunq̃ audiui ullam esse de hoc cerato apud authores factã mẽtionem. SE. Is pharmacopola qui hãc artem me docuit, semper hoc seruauit, licet raro uẽderet, & ego semper seruaui, q̃uis neq; unciã uẽdiderim, ut tota illa quãtitas adhuc sit i pyxide, quam primo confeci. BRAS. Optime feciſti quia res diuinæ nõ uẽduntur, at ipsius compositionem refer to. SE. Ita conficitur.

Recipe Galbani. drac. i.
Ammoniaci,
Opoponacis. } Singulorum drac. ij.
Aristolochiæ rotundæ, drach. i.
Ceræ citrinæ, drach. iiij.

Myrrhæ,
Olibani, } Singulorũ drach. i.
Viridis æris,
Bdellij,

Lapidis calamitæ,
Hematitidis, } Singulorum. drach. ij.

Lithargyrij unc. iij.
Olei oliuarum unc. vi.
Miſce, & fiat ceratum ſecundum artem.

BRAS. Ad quem conficitur uſum? SE. Ate libenter hoc addiſcerem, quia nunq̃ uel ipſius minimum uendidi. BRAS. Arbitror lienis duritiei conuenire, & omnia prædura emollire poſſe ac reſoluere.

SENEX VII.

Cum in uſu non ſit prædictum ceratum, Ceroniũ conte plemur. BRAS. Ceraniũ potius nũcupãdũ eſt, quia, ut Nicolaus iquit, à cera nomẽ ſortitũ eſt, quod dicit ualere ad humerorum dolorem, & pectoris ex frigiditate, & ſi humor frigidus illuc delabatur, illum reſoluere, ſplenem remollire, ad hydropem ualere, quæ ex cauſa hepatis frigidi excitata ſit: ob eãdem cãm matricis frigiditati ſuprapoſitum, multum reſiſtit, immo adde plurimum ualere in fractis oſſibus, & è proprio loco remotis, quando materiæ multæ illuc decurrere. at cõpoſitionem quam paras referto. SE. Eſt illa Nicolai. BRAS. Cum uideam uos plerumq; ab authoribus eſſe diuerſos, optarem, ut modum quo conficis, referres. SE. Ita conficio.

Recipe Picis naualis bene colatæ } Sin. unc. ij. drac. iij.
Ceræ,

Serapini. unc. ij.



Lithargyrij drach. i. ſ.

Ita uero conficiatur, Serapinum, ammoniacum opopo nax aliquantulum tuſa in uino ponantur, ita ut eo te= gantur, & ita per noctem maneant, manéq; bulliant ad uim medietatis conſumptionem, & uaſe ſuper ignem poſito, cum bullire inci piet, pix naualis bene colata ad= datur, & baculo ſemper agitetur, pice liquefacta cera addatur, qua liquefacta imponatur colophonia, ſtyrax deinde addatur piſtillo calido trita, poſt hanc maſtiche & olibanum, deinde myrrha & bdelium, interuallo po ſito terebenthina addatur, & ſequantur alumen, &

lithargyriũ, deniq; fœnugræcũ apponatur, cũq; fuerit coctum, supra tepidam aquam fundatur, & manibus ab aqua extracto exprimatur, do nec tota aqua inde exeat: deinde puluis aloes super marmor oleo laurino inunctum misceatur, deinde croco pulueriz ato, & manibus eodem oleo inunctis conformentur massæ.

BRAS. Hæc est præcise Nicolai cõpositio, quã oẽs conficiunt, & si aliqua sit apud aliquos diuersitas, in solis est ponderibus, nõ autem in simplicibus.

SENEX VIII.

Ceratũ apostolicon, post ceroniũ sedẽ habet. BRAS. Et hoc est Nicolai, de quo mirandum est qui dixerit emplastrum, id est dura confectio, apostolicon, id est supraposítum uel supramissum, cum ab Apostolis ita nũcupatum sit, ac si sit ab ipsis missum & inuentum: nam Apostoli inungebant ægros et sanabãtur, & alia applicabant præsidiorum genera, hinc nonnulli suis cõpositionibus authoritatẽ præbere uolentes, illas Apostolorũ nomine aut prophetarũ nominabant. SE. Ab apostolis igitur nomen habet? BRAS. Ita arbitror, & cõpõnẽ quã cõficis refer to. SE. Hæc est quã seruo.

Recipe Lithargyrij unc. vi.

Ceræ rubræ,
Colophoniæ, } Singulorũ unc. ij.

Propolidis,
Visci quercini } Singulorum unc. i.

Ammoniaci,
Magnetis,
} Singulorum unc. vi.

Mastiches,
Olibani,
Mumiæ,
} Singulorum unc. ʒ.

Terebenthinæ,
Galbani,
Bdelij,
Myrrhæ,
Aeris usti,
Sarcocollæ,
Lapidis calcis,
Diptamni,
Aristolochiæ rotũdæ,
Praßij uiridis,
Opopanacis,
} Singulorum drach. iij.

Ita uero confici debet, opopanax, ammoniacum, & galbanum aliquantulum tusa per noctem in uino ponãtur, quod in tanta sit copia, ut tegantur, mane bulliant, quoad liquefiant, & per colorium colentur, & iterum bulliant ad uini cõsumptionem, lithargyrium in puluerem subtilissimum redactum, cum sufficienti oleo in uase distemperetur, & super ignem ponatur, & tãdiu spatula agitetur, donec super lapidem positum in modum ceræ spissetur, statimq; cera addatur, qua liquefacta additur colophonia, postea, mastiche, & olibanum, deinde myrrha, factoq; interuallo Bdelium injciatur, deinde uiscus

quercinus, quo liquefacto addatur terebenthina, qua liquefacta uas ab igne deponatur, et gũmi genera adijciãtur, iterumq; uas ad ignem ſuſpendatur, & aliquantulũ bullire ſinantur, baculo ſemper cõmiſcẽdo: deinde ſarcocollæ addatur, & magnes: interuallo facto flos æris adijciatur, & lapis calcis, deinde æs uſtum, & baculo ſemper agitentur, donec aliquantulum rubere incipiat, deniq; dictamnum, & ariſtolochia rotunda addãtur: poſtea in aquam frigidam infundãtur, & ab aqua extractũ manibus exprimendo, & concutiendo ita tractetur, ut tota exeat aqua, & munctis manibus oleo laurino globi conformẽtur, uſuiq; ſeruentur. BRAS. Hoc eſt Nicolai Apoſtolicon. SE. Eſt, ut arbitror. BRAS. At nonnulla audias in tua hac cõpoſitione errata, unum eſt cum conficiendi modũ doces, æris florem ponis qui non erat in compoſitione relatus. SE. Ego aliàs hoc animaduerti, ſed nunq; percunctatus ſum cãm. BRAS. Veruntamen in quo error conſiſtit notato: cum retuliſti lapidis calcis, ſunt duo ſimplicia. ſ. lepidos non lapidis & calcis, eſt uero λέπισ æris ſquama, itaq; in authore legẽdum eſt, lepidis, calcis, diptamni, ariſtolochiæ rotundæ, praſij uiridis, opopanacis, ſingulorũ drach. iij. Error præterea eſt in compoſitione, quam adduxiſti, cum ais ammoniaci, lapidis magnetis, ſingulorũ. unc. vi. nam legi debet, ſingulorum. drach. vi. illiq; magis aberrant qui dicunt lithargyrij. unc. xvi. SE. Ad quos uales affectus eiuſmodi ceratum? BRAS. Ad ſtrumas recentes conuenit, probam carnem inducit, nam cutim attenuat, & nutrimentum attrahit, inſpiſſat, cicatricem implet, abſceſſus in corpore, ut in pulmone, ſtomacho, iecore,

iecore, diaphragmate emendat, ad oẽm frigidũ abſceßũ ualet, in quacũq; ſit parte, dolores, durities, & tumores emẽdat, & præciſos neruos, et pũcturas ſanat, cõtra uenenatorũ morſus adhibetur, quia ad circũferentiã attrahit, eadẽ rõne fiſtulis cõpetit, quia ſaniẽ attrahit, et locum emũdat, extrahit abſq; dolore tela in humanũ corpus infixa. ad renum dolores conuenit.

SENEX. IX.

Et ſi ad tot cõpetat, ut nullo alio cerato indigere uideamur, tñ oxycroceũ contẽplemur. BRAS. Vt lubet, uerũ cõpõnẽ quã facis refer to. SE. Hanc ego paro.

Recipe Croci,
Picis naualis,
Colophoniæ,
Ceræ citrinæ,
} Singulorũ unc. iiij.

Terebenthinæ,
Galbani,
Ammoniaci,
Myrrhæ,
Olibani,
Maſtiches,
} Singulorum unc. i. s.

Miſce, & fiat ceratum ſecundum artem.

BRAS. Et hæc etiam compoſitio apud Nicolaum extat, qui ait oxycroceum uocari ex aceto & croco, & præcipue ad oſsium fracturas ualere, et ad mẽbra quæ

dolore aliquo affliguntur, & ad duros abscessus in quacunq; corporis fuerint parte, nam remollit & dissoluit, ita uero confici debet: galbanum & ammoniacum aliquantulum tusa insufficienti quantitate aceti per noctem infundantur, & mane ad ignem suspendantur, & eliquentur, postea colentur, deinde iterum coquantur, donec aceti pars consumetur, tunc naualis pix addatur, quæ liquæfacta cera addatur, qua etiam liquæfacta addatur colophonia, deinde terebenthina, & interposito interuallo, mastiche, et olibanum, et myrrha addãtur, spatula semper commiscendo, deniq; cum probè coctum fuerit, in aquam frigidam infundatur, postea extrahatur manibus exprimendo, ut aqua exeat, inde super marmor oleo laurino inunctum cum puluere croci bene pinsatur, & in massa conformetur, quæ reseruentur ad usus. SE. Ego semper ita conficio. BRAS. Vnũ notato, simplicia secunda ab aliquibus poni ad pondus unius unciæ & semis, ut tu posuisti, ab alijs ad pondus unciæ unius & drachmarum trium: at hæc non est magna differentia, tu semper morẽ tuum seruato. SE. Fieri ne potest, ut omnes ita conficiant oxycroceum? BRAS. Ita profecto est.

SENEX. X.

Ergo ad diaquilonem album contemplandum accedamus. BRAS. à quo authore accipis eiuscemodi ceratum? SE. A Mesue. BRAS. Et Mesue illud uocat emplastrum, & de mucilaginibus etiam emplastrum uocatur, at modum quo illud conficis refer-

to. SE. Hic est modus.

Recipe Mucilagis Althææ,
Fœnu greci
Seminum lini,
} Singulorum unc.iiij.

Olei ueteris lib. iiij.
Lithargyrij auri lib.iij.
Ceræ albæ.unc.vi.
Terebenthinæ unc.iiij.

Mucilagines & oleum unà bulliant ad consumptionem mucilaginum, deinde lithargyrium & oleum simul bulliant igne lento, ad perfectam usq; coctura m: denique ceram adde & terebenthinam, & cum refrigidatum fuerit, adde pulueris iridis drachmas duas, & cõmisce. BRAS. Mesue uidetur sub alio ponderis ordine conficere, & sub alio etiam conficiendi modo. SE. Quonam? BRAS. Isto.

Recipe mucilaginis fœnugræci,
Seminum lini,
Radicum althææ,
} Sing. partẽ unam.

Lithargyrij præparati, partem unã.5.
Olei antiqui clari, partes. iij.

Ita uero conficiatur, lithargyrium & oleũ sint mista, diu in lapideo mortario, ferreo pistillo conquassentur,

& in hac concußione diu laboret, tum deinde bulliat ſuper ignem cum facilitate, ſpatula ſemper agitando, quouſq; lithargyrium coaguletur, tunc ab igne deponatur, paulatimq; infrigidari ſinatur, poſtea mucilagines accipiantur, & bulliant ebullitione aliqua, deinde inijce mucilagines ſupra lithargyrium ſemper cõcutiendo, donec egregie ſimul miſceantur, tunc iterum coquatur, donec inſpiſſentur, inquit Hamech: fœliciſſimum erit opus eius, ſi cum eo puluis iridis triti commiſceatur, mirabilis eſt iuuamenti ad reſoluendum, & maturandum fortiora. ſi autem meliloti mucilagines & proprie ipſius ſeminis addideris, tũc erit eius operatio uehementior, & ſunt qui pro cõmuni oleo, irinum oleum, & chamæmelinum accipiant, & erit in cunctis nobilior. ita conficit Meſue, neq; terebenthinam apponit neq; ceram. SE. unde deduxit hoc nomen diaquilon? BRAS. Diachylon dici debet, ac ſi diceretur de ſuccis, quia compoſitio eſt ex ſuccis, hoc eſt mucilaginibus facta. SE. quibus confert affectibus? BRAS. Lienis duritiei confert, lecoris uẽtriculi, & in ſumma ad omnes duros abſceſſus conuenit, & ad ſtrumas, nullum eſt pharmacopolium in quo non inueniatur, tamen omnes ceram addunt & terebenthinam. SE. Abſq; his uideretur unguentum.

BRAS. At ſi memoria habes quæ ſuperius dicta ſunt de unguentis, unguentum uere dici non poteſt, licet Auicenna ipſum inter unguenta numeret. SE. Auicenna ergo de hoc egit? BRAS. De ipſo in quinto canone mentionem facit, tractatu undecimo, ubi de um-

guentis tractat, & emplastris, & inquit ad nodos & strumas conferre, & ad abscessus duros, cuius permistio hæc est.

Recipe fœnū græci,
Seminū lini,
Althææ albæ,
} Singul. chelesati.i.

Infundatur unūquodq; horum per se die & nocte, deinde accipiatur de unuscuiusq; mucore siue mucilagine
lib.i.& quarta
Lithargyrij, lib. i. ſ.
Olei, lib.ij.

Bulliant mucilagines ebullitione una, deinde auferantur ab igne, & postea bulliat oleum cum lithargyrio, donec coaguletur, & eius color alteretur: deinde proijciātur supra ipsum mucilagines, una post aliā, & igne lento coagulentur. SE. Est totum in pōdere differētia. BRAS. Sed neq; magna, Serapio & ipse eandem ferè habet descriptionem, tractatu septimo, capite. 38. uocatq; cōpositionem hanc unguentum de mucilaginibus, & ita conficit.

XI

Recipe mucilaginis fœnu græci,
Seminis lini,
Althææ,
} Singul. lib. ſ.

Decoquantur donec inspissentur, deinde accipiatur li=

bram dimidiam merdasengi, ideſt litharg yrij, & deco-
quatur cum libra una olei, poſtea ſupra ipſum adijciã-
tur mucilagines, & manu tractẽtur, donec miſceãtur,
& unum fiant. Raſis in ſeptimo ad Almanſorem ubi
de ſtrumis agit, eadem utitur deſcriptiõe, & Halyabbas
in. x. practicæ, nulla eſt apud hos authores niſi in pon-
dere differentia, ueruntamen Raſis in libro de iunctu-
rarum ægritudinibus, capite. 26. deſcriptionem quan-
dam habet diachyli ab hac lõge diuerſam, at horum nul-
lus ceram adijcit, & terebenthinam, quæ tu in com-
poſitione tua adijcis. SE. Ita ſemper confeci,
BRAS. At præter authorum intentionem confeciſti,
ſcito autem aliquos eſſe qui diachylon magnum Meſue
conficiunt, & cum ſimpliciter diachylon indicitur, il-
lud præbent. SE. Iſti maxime errant. BRAS.
Tecum facio, nã adẽ diachylon ſimpliciter quod album
uocatur, de quo nunc ſermo eſt, & diachylon magnum
quod à Meſue refertur, & tertium diachylon cum gum
mis quod ab aliquibus ex magno conficitur, & gum-
mi generibus ab aliquibus ex albo de mucilaginibus &
gummi generibus. de his uero ſuo agemus loco. SE.
Hoc abre non erit, at nunc ſcire optarem num apud
antiquos diachylon iſtud reperiatur. BRAS. Immo
reperitur & eſt antiquiſsima compoſitio, q̃q̃ in aliquo
differant, nam Paulus libro primo, capite decimotertio
diachylonis compoſitionem refert. SE. Quo nam
modo conficit Paulus? BRAS. Iſto.

Recipe Spumæ argenti, lib. vi.
Olei æstate, lib. vij. hyeme, lib. ix.
Fœnu græci sextarium dimidium,
Seminis lini sextarium dimidium,
Althææ, lib. iij.

Althæam ac semina coquito in aquæ sextarijs uiginti, donec parum relinquatur, ex ipso libras quatuor admiscens oleo decoques tantisper dum bullæ sedantur, deinde leuissimam argenti spumam inspergens decoque igni clemente usq; dū syncerum reddatur. SE. In rebus ipsis inter Mesuem & Paulum nulla est differentia, sed in ponderibus solum differunt: arbitrorq; si hoc modo conficiatur, ut dicit Paulus, q; eundem prorsus habebit cum nostro colorem. BRAS. immo hoc impossibile est, quia tuum ceram recipit ac terebenthinam: at eundem prorsus habebit cum diachylo Mesue colorem, si experiri uolueris, immo & eandem contrahi consistentiam. Aetius præterea libro decimoquinto, capite decimoquarto diachylon emplastrum, hoc est ex succis factum refert, q; non multum à prædicto dissentit: dicit uero neruorū uulnera sine inflammatione cō seruare, sectiones glutinare, iuflammata ulcera, uulneratos musculos absq; alio cataplasmate aut fomento sanare. congruit & podagricis quocunq; tēpore illitū aduteri inflammationes tam diutinas q̄ recentes pessariū efficacissimum est, rosaceo aut myrtino oleo dilutum caua ulcera implet, citoq; ad cicatricem ducit, utq; summa non dicam, reliquum omne cataplasma aut

cuiuſq; generis medicamentum ulceribus extra applicatum ijs qui huius copiam habuerint prorſus ſuperuacaneum eſt, durities etiam mollit ac diſcutit, ſi cæteris miſceatur quæ ad hos uſus idonea fuerint, quod ita præparatur, olei pinguis & recentis æſtate quidem lib. vij. 5. hyeme uero lib. iiij. ſucci lib. quatuor, oleum cum ſucco ſuper carbonibus decoquito, & ubi feruet tenueſq; bullas emittere inceperit, ſpuma argenti iniecta ſinito, ut placido iugiq; igne ſimul bulliant, donec ſuccus cum pingui conficiatur, medicamentumq; inquinandi finem fecerit, planumq; & iucundum colorem ſuſceperit, ſed nondum rufum attigerit: poſtea ab igne ſublatum uerſato ac refrigerato, manibusq; diligenter ſubigito, & paſtillum magnum conficito: deinde uſus tempore ſumamus medicamenti quidem partes duas, ceræ uero & olei ſingulorum partem unam uel plures, ſi res exegerit. uides Aetium ceram addidiſſe, ut eiuſcemodi compoſitio ſit tuæ ſatis propinqua, at quia dicit ſuccos eſſe accipiendos, & de quibus ſuccis loqueretur non expreßit, propterea modum conficiendi ſuccos ſtatim docet, cum ait: ſuccus autem ita paratur: aquæ ſextarios uiginti, radicum agreſtis maluæ recentium lib. iij. fœnu græci, ſœminum lini ſingulorum ſemiſextarium, radices maluæ lotas & contuſas aqua madefacito: poſtridie fœnu græcum expurgatum & lotum adijcito, & madefieri ſinito: perendie ſemen lini ſimili modo ablutum: quarto die uſq; ad probã craßitiem decoquito, & per collum traiectum ad medicamenti confectionem admittito, ego uero (inquit

author) duodecim aquæ sextarijs maluæ libras quatuor fœnu græci & seminum lini, sing. sextarium admisceo. SE. Præter ceram et succorum uel mucilaginum eductionem cum Mesue diachylo conuenit. BRAS. Idē Aetius ex Oribasij monumentis aliud adduxit diachyli genus. SE. Quod nam? ne referre pigeat. BRAS. Non piget, ita ducit author.

Recipe Spumæ argenti.	}	Singul. lib. ij.
Olei,	}	
Ceræ,		unc. viij.
Fœnu græci,	}	Sing. partes æquales.
Seminum lini,	}	
Radicum althææ,	}	

Decoquito quousq; crassissimus succus reddatur, cuius postea transcolati libras duas decoque, ut prædiximus. SE. Et hoc eadem recipit simplicia cum præcedente, in rerum ponderibus solū differunt. BRAS. Et Galen in septimo de compositione medicamentorum per genera libro diachyli compositionem refert, quam dicit inuentum Democratis, qui compositionem (ne pondera facile amitterentur) carminibus cecinit. Huius authoris carmina audire optarem. BRAS. Res est haud modice prolixa. SE. Quid ad nos, quorum nunc officium est hæc tractare? BRAS. Audias igitur, ita enim canit Democritus.

Lithargyri leuißimi chryſitidis
Libras duas miſcens, quatuor axungiæ
Valde uetuſtæ, † ♄ annoſæ, atq; craßißimæ,
Et non olentis, non nigræ, non aſperæ: ♃
Sic nanq; ſumet pharmacum efficaciam.
Liquatæ diligenter olla axungiæ,
Membranulas, ſalemq; mox ſuſtollito,
In uas aliud ipſam percolans amplius,
Adiectoq; oleo, rurſus cura ferueat.
Non omne pones oleum, ſed partes duas:
Tertia manebit in expedito condita,
Si ſit neceſſum iungere, ne abſit longius.
Vteris omnino per hyemem, cum inditum
Medicamini craſſum oleum longo tempore
Euaſerit, Lithargyrum & feruentibus
Inſpergito, leui igne, & aßiduo coquas,
Spatha mouens, præſtiterit quam eſſe pineam.
Cùm ceperit mediocri coctum tempore,
Medicamen hoc emplaſtri ſpißitudinem,
Nec non fœtorem ſimili pacto pharmaci,
Confeſtim ab igne caccabum deponito,
Faciens per æſtatem pauxillo durius,
Sed hyeme mollius, non inquinans tamen
Moueto, aduſque quò modice ita refrixerit:
Sic deinde rurſus manibus durioribus,
Totum ſubactum ex olla transferri iube.
Cum poſcet uſus, iterum ualide mollies.
Molliq; diligenter pelliculam illinens
Per magna ſuper accõmodabis ſplenia.

† Ex antiqs ita lagẽdũ, libra autem unã, ac unc. iiij. olei annoſi craßiſſimi, & nõ olẽtis, nõ nigri nõ aſpi

SE. Gaudeo me audiuisse cõpositionẽ i qua in simplciũ ponderibus errari non potest. BRAS. Hanc ob cãm compositiones à Galeno probantur, quæ carmine scriptæ sunt, quoniam si in ponderibus error contingat, cõtinget etiam in carmine error. Adest & apud Galenũ in quinto κατὰ γένη libro pastillus diachylon. i. ex succis. Alexãder uero Tralianus aliud diachylõ facit libro primo, capite. 34. propè finẽ: nam plura miscet. SE. Quo nam modo conficit? BRAS. Isto.

Recipe Spumæ argenti tritæ. lib. iiij.
Olei communis. lib. vij.
Ceræ. lib. i.
Resinæ piceæ. unc. vi.
Succi pulicaris. lib. iij.

Succus uero iste ita fiat, qui psyllij mucilago uocatur, in aquæ fontis xestas sex, immittantur triti psyllij unciætres, & per diem macerentur, postero die clementi igne ad crassitudinem usq; strenue decoquatur, postea ocyssime colato, nã simul atq; gelidum fit, indurescit, atq; sic denuo mittes in cacabũ, & ea facito, rursumq; colato. Esto autem mensura pro re nata lib. iij. Tu deniq; spumam argenti subtilissime tritam ad manum habeas, cum eo insere cacabo in quo cremor pulicaris herbæ continetur, & continue agitando lento igne, donec digitis uiscositate non adhæreat, neq; uel tantillum eos inquinet elixato,

ſublatoq; ab igne cacabo inijciatur cum cera reſina, & ubi non contaminabit digitos, pilæ infundito, rudiq; mollificato, pelli inducito, & ubi repoſcet utere. SE. *Hoc eſt aliud diachyli genus, ab illo Meſue.* BRAS. *Eſt prorſus aliud, facit & mentionem Galenus emplaſtri διὰ λάκκων in tertio de compoſitione medicamentorum ſecundũ locos, in ſecũdi capitis calce, & illud inter laxatoria numerat emplaſtra. Notaq; non eſſe argenti ſpumæ miſcendas mucilagines, dum ebullit, ſed ſinendum ut refrigeretur, hoc eſt ut tepeſcat.*

SENEX. XII.

Diaquilon magnum ſuam ſedẽ hic habere iuſtum eſt. BRAS. *Differentia hæc magni & parui in diachylo apud Meſuen tantum eſt & recentes: nam antiqui unum ſolum habebant diachylon. at tu magnum refers quod paras.* SE. *Illud paro quod à Meſue magnum uocatur, & ita conficitur.*

Recipe *Lithargyrij mundi unc. xij.*

Olei irini,
Chamæmilini, } *Singul. unc. viij.*
Anethini,

Mucilaginis ſeminũ lini,
Fœnu græci,
Ficuum pinguium,

Passularum,
Succi iridis,
Scyllæ,
Hyssopi humidæ,
Glutinis Alzauach, } Singul. drac. xij. ʒ.

Terebenthinæ. unc. iij.

Resinæ pini,
Ceræ citrinæ, } Singulorũ unc. ij.

Conficiatur ut superius dictum est in præcedenti diachylo, & est expertum inquit filius Zachariæ, acquiritur ei in decoctione, ut discedat à mollitie ceræ, & accedat ad spissitudinem unguentorum. BRAS. Hoc est diachylon magnum quod præberi debet cum à medicis indicitur, notaq; in hoc diachylo Althææ mucilaginem addi debere. SE. Scito tamẽ nos hoc simpliciter non seruare, sed semper gummi genera mista habet, & cum magnum indicitur diachylon, hoc præbemus. BRRS. Tamen diachylon cum gummis ita conficitur.

Recipe diachyli de mucilaginibus lib. i.

Galbani,
Ammoniaci,
Bdelij, } Singul. unc. i.

Misce ad ignem lentum.

Alij his addunt opopanacem, & serapinum ad æquales partes cum prædictis, alij uero magni diachyli libram accipiunt, cum uncia una prædictorum gummi generũ, itaq; diachylon cũ gũmi conficiũt, quod nõnunq; & nigrum diachylon uocatur. extant & alij qui pro cõmuni diachylo, illud conficiunt, quod a Mesue paruum uocatur. SE. ex quibus constat? BRAS. ex his quæ sequuntur.

Recipe lithargyrij, unc. vi.
Olei ueteris clari. lib. i.
Mucilaginis psyllij, unc. iiij.
Mucilaginis hyoscyami, unc. i. ſ.

Mucilaginis seminum lini. } Sing. unc. ij.
Radicis maluæ, }

Conficiatur ut de alijs superius dictum est. SE. Alijs minus calidum uidetur. BRAS. Ob hoc à Mesue dicitur resoluere abscessus à caliditate factos. SE. In magno diachylo quid intelligendum est, per gluten Alzauach? BRAS. Quid accipis tu ipsius loco? SE. Glutẽ piscium. BRAS. Et non pauci ita intelligunt: tamẽ aliqui accipiunt uiscum quercinum, quod horum accipiatur haud megnifacio, illos solum non probo qui ammoniacum recipiunt, nam in eo qui ex gummis conficitur diachylon, ammoniacũ iterũ repetere nõ oporet. aliqui gũmi hederæ intelligũt, à qbus ẽt nõ dissentio.

SENEX XIII.

Nunc de hyssopi cerato agendum est. BRAS. Oesipi dicendum est, nam œsipus & œsipum neutro genere, lanæ sordes est, illa potissimum quæ sub alis cõtinentur, & est sudor quidam cum pinguedine, unde & lanæ ipsæ dicuntur succidæ, quando sordibus sunt imbutæ. de hac autem sorde in simplicium examine ubertim locuti sumus, ueruntamen quomodo compositionem hãc conficis? SE. Hoc modo.

Recipe croci drach. v.

Bdelij,
Mastiches,
Aloes,
Styracis liquidæ, } Singulorum drach. vij.

Ceræ citrinæ, lib. i.
Terebenthinæ unc. i. s.

Medullæ cruris uaccæ,
Adipis anseris, } Singu. drach. xv.

Hyssopi humidæ. lib. i. s.
Olei nardini unc. viij.

Misce, & fiat ceratum secundum artem. BRAS. Omnes ferè pharmacopolæ hoc seruant œsipi ceratum,

& dicunt esse secundum Philagrium, medicum antiquum, sed error est, cum dicitur hyssopi humidæ, uidiq; ceruicosum quempiam mirum in modum hallucinari, neq; doceri uolebat, sed accipiebat hyssopum herbam uiridem, ignorabatq; legendum esse oestpi humidi, uel sordis abstractæ à lanis. de modo extrahendi hanc sordem, & Dioscorides ~~uigesimo~~ libro, & Mesue hoc loco agit, & eodem ferè modo excerpunt, q̃ legitur Bdelij, Mastiches & pro drach. vij. in multis codicibus legitur drach. viij. tamen hoc non magnifacio, neq; ob id corrupta est compositio, q̃uis Auicenna & Serapio legant drach. viij. SE. Auicenna igitur & Serapio compositionem hanc retulere? BRAS. Retulere prorsus, q̃uis non nihil differant, SE. Horum authorum compositiones afferre ne pigeat, BRAS. Auicenna in quinto canone inquit, emplastrum Philagrij ad dolorē stomachi & iecoris, & dolorem matricum, et apostemata cū linitur extrinsecus, & administratur mulieribus in lana liniendo cum eo matricem.

Recipe croci drach. ij. aliter drach. xij.

Bdelij,
Mastiches.
Ammoniaci,
Aloes,
Styracis humidæ,
} Singul. drach. viij.

Ceræ sextaria. iij.

Adipis

Adipis anseris drach. xij.
Hyssopi siccæ aut humidæ. drach. xxx.
Olei nardini q̄tum sufficit.

S E. Cur dicit Hyßopi siccæ aut humidæ? B R A S. Legi debet oesipi liquidioris uel densioris, densior uero fit, cum inueteratur. S E. Iam Serapionem adducas, ut inter ipsum & Auicennā differentiam cognoscere possim. B R A S. Ita scripsit ī septimo tractatu Serapio Dhimadh Philagrij ad dolores stomachi & hepatis, & apostemata, & ægritudines matricis, q̄n linitur exterius {alia litera habet exitus} & q̄n supponitur cū lana.

Recipe Croci pondus drach. ij. {& in descriptione alia inuenimus drach. xij.}

Bdelij
Mastiches,
Ammoniaci,
Aloes,
Styracis humidæ,
} Singulorū drach. viij.

Gummi sextaria, iij.
Pinguedinis anatis drach. xij.
Hyssopi siccæ drach. xxx.
Olei de spica quantum necesse est,
Misceantur, & administretur.

S E. Vbi Auicenna ceram ponit, Serapio gummi mi scet. B R A S. Non erit ceratum nisi ceram recepe-

rit, tamen & gummi etiam in ipso conuenit, tu modo contempleris quomodo ab oesipi cerato Mesue distinguatur. SE. Seruant ne omnes hanc Philagrij compositionem? BRAS. Omnes ferè, q̃q̃ alij compositionem illam seruent, quam Mesue refert ex Pauli descriptione. SE. Quæ nam est illa? BRAS. Hæc quæ sequitur.

Recipe Ammoniaci drach. x.
Bdellij drach. v.
Sigiæ, ideſt ſtyracis liquidæ drach. iiij.
Croci drach. i. ſ.

Aloes,
Maſtiches,
Olibani, } Singulorũ drach. ij. ſ.

Ceræ drach. iij.

Sepi
Medullæ uitulinæ, } Singulorũ drach. ij.

Hyſſopi humidæ drach. xl.
Olei irini quantũ ſufficit.

Miſce, & fiat ceratum ſecundum artem. SENEX. Pauca uidetur ceræ quantitas in compoſitione. BRAS. Contextus mendoſus eſt, legi etenim debet. unc. iij. & de ſepo etiam ac medulla, legi debet Sing. unc. ij. non autem drach. ij. SE. Re

peritur ne apud Paulum hoc oestpi ceratum à Mesue descriptum? BRAS. In Pauli codice diu quæstui, & illud inuenire nunquam potui, tñ in .7. libro capite decimo septimo hyssopi liquidæ cõpositionẽ habet, quæ legi debet oestpi liquidæ: est uero compositio ab illis quæ superius enarratæ sunt, longe diuersa: forte fuit alter Paulus iste quem Mesue adducit, & non Aegineta. SE. Veram referas Pauli compositionem. BRAS. Hæc est.

Recipe Meliloti, unc. iiij.
Cardamomi, unc. ij.
Lanæ admodum sordidæ, unc. vi.

Macerans in uini sextarijs duobus per triduum, coquito donec pusillum relinquatur, & extrahens colansue, uino admisce olei, uncias tres & denuo usque ad maximæ partis etiam uini consumptionem elixato, inde colophoniæ unc. i. resinæ terebenthinæ tantundem adijce. Sunt uero qui ceræ quoque, unc. x. admisceant & hyssopi herbæ unc. i. concoquunt pariter cum alijs. alij lanas uino abluunt desiccantesq; uinum cum sordibus, quod etiam pinum appellant. SE. Non uidetur uel minimum quid cum Pauli compositione adducta conuenire hæc uera Pauli compositio. BRAS. Alij sunt qui oestpi ceratum descriptione Galeni conficiunt quod à Mesue refertur. SE. Quale nam est? BRAS. Istud.

Recipe Ceræ citrinæ unc.iij.

Olei chamæmelini }
Irini, } Singulorum unc. vi.

Maſtiches, unc.i.
Spicæ drach.ij.ſ.
Croci drach.i.ſ.
Terebenthinæ unc.i.
Reſinæ unc.ſ.
Hyſſopi humidæ drach.lxxx.
Miſce, & fiat ceratum ſecundum artem.

SE. In quo loco Galenus de hoc cerato mentionem fa cit? BRAS. Nuſquam apud Galenum compoſitio nem hanc inuenire potui, tamen in decimoquarto Me thodi medendi libro Claſſe ſeptima pag. 88 G. cerati ex oeſipo mentionẽ facit: quõ autẽ conficiatur nõ edoceti tamen & in eodem loco lubentius utitur oeſipo, quan do habetur, quàm cerato ex oeſipo, immo tunc ſolum cerato utitur, cum abfuerit oeſipus: propterea ſi tibi pla cuerit communẽ illam cõpoſitionẽ ſeruare, quæ ad Phi lagrium refertur, illam ſeruato: ſed quantum in me ſit, ad duricies emolliendas atque nodos ſolo oeſipo potius uterer, quo ſi carerem, ceratum acciperem: cum que Galeni ceratum ignoretur, niſi id ſit quod à Meſue re fertur, Philagrij cerato, quàm alio potius uterer, cum uero hæc haud ſint magni facienda, iccirco ad alia te conferre non ab re erit, præſertim cum annotauerit

eiuſcemodi ceratũ, ad uulnerum labiorum duritiem conuenire, et ad morbi gallici durities, & ad eiuſdem generis omnia quæ emollitione indigent.

SENEX. .XIIII.

Ceratum de betonica conſiderãdum occurrit. BRAS. De hoc ſuperius locuti ſumus in unguẽto de Betonica, tamen ne quidquam prætermittatur, quod non ſit probè diſcuſſum, tu refer quodnam ceratum de betonica paras. SE. Hoc paro, & etiam ſeruo, & cum indicitur, præbeo.

Recipe betonicæ uiridis,
Pimpinellæ,
Agrimonij,
Saluiæ,
Pulegij,
Milleſolij,
Conſolidæ maioris,
Centaureæ minoris,
Matris ſyluæ,
} Singulorum. unc. vi.

Thuris,
Maſtiches,
} Singulo. drach. iij.

Iridis,
Ariſtolochiæ rotũdæ,
} Singulorum drach. vi.

Ceræ albæ. unc. viij.
Gummi helemi. unc. ij.
Reſinæ pini. unc. vi.
Terebenthinæ. unc. viij.

Olei abietis,
Vini albi, } Sing. quantum ſufficit.

Quæ ſunt incidenda incidantur, & quæ in puluerem redigenda redigantur, & herbæ uehementer in mortario piſtẽtur, & per dies octo in uino permaneant, ſinguloq; die uehementer agitẽtur, & bulliant: quo facto, Recipe Terebenthinam, oleum abietis & reſinam pini colatam, & ceram, & ponantur in prædictum uinum, & igni ſuſpendantur, ac bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, paulatimq; bulliant, deinde in ſacculum ponãtur, & torculari uehementer exprimantur, & infrigidari ſinantur, nam uidebis ſupradictum unguentum ex prædictis uino agglutinationem facere, & ideo manibus uehementer commoueatur, donec tota humiditas exeat, deinde caprinum lac ſimul addatur, & globi formentur, & iterum manibus probe agitentur: neque illis aures adhibendæ ſunt, qui toties agitandos eſſe negant. BRAS. Tuum hoc cephalicum haud reprehendo: ſed neque ita recipio quin alia meliora ſequi uoluerim. nonnulli Ferrariæ ſunt qui unguentum de betonica accipiunt, & addita reſina ac cera in ceratum redigunt.

Iſis ceratum ſuam ſedem hic habet. BRAS. Eſt ne apud pharmacopolas in uſu? SE. Diu eſt quod illud conficio ac ſeruo. BRAS. ac quonam modo ipſum conficis? SE. Iſto.

Recipe ceræ. unc. C.
Terebenthinæ. unc. CC.

Squamæ æris,
Ariſtolochiæ rotũdæ,
Thuris,
Salis ammoniaci, } Singulorum dra. viij.
Serpentariæ,
Aeris uſti,
Aeruginis raſilis,

Aluminis uſti, drach. vi.

Myrrhæ,
Aloes lotæ, } Singu. drach. xij.
Galbani,

Olei antiqui. unc. viiij.
Aceti acerrimi. unc. xviij.

Confice ceratum ſecundum artem, ſubinde manibus longo tpe emollias, manuſque acerrimo aceto ma-

deſcant: denique in uas æneum fundatur, ad uſusq; ſeruetur. nonnulli Terebenthinam *apponunt, ut dictum eſt. alij* Terebēthinæ *loco colophoniam.* BRAS. *Cum ceratum iſtud à nullo ſit poſitum recente, quomodo in ipſius cognitionem deueniſti?* SE. *Tibi referam, quo modo in ipſius cognitionem deuenerim. Nobilis quidam capite uulneratus multos acciuit medicos, ut in ſanitatē reſtitueretur, inter quos aderat* Excellētiſſimus Nicolaus Leonicenus, *q oībus perſuaſit, ut iſis ceratum conficeretur, itáque me docuit quomodo eſſet conficiendum, ut tibi retuli: deinceps eiuſce modi ceratum ſemper ſeruaui.* BRAS. *Superuixit ne ille in cuius gratiam ceratum hoc confeciſti?* SE. *Obijt, at ob quid ita interrogas?* BRAS. *Quia rariſſime uidi illos ſuperuixiſſe, quibus applicatum fuit. Huius uero cauſam eſſe arbitror, quia nunquam niſi in ultima deſperatione adhibetur: & nunquam adhiberi uidi niſi in extremo.* SE. *Non ne hoc eſt Galeni ceratum?* BRAS. *Non Galeni, ſed a Galeno refertur in quarto de compoſitione medicamentorum ſecūdum genera, ubi inſcriptio eſt iſis cephalica ad chironia & difficilia, eſt item cruentis idoneum, unde Græci ἕναιμον appellant, eius uero compoſitio apud Galenū ita conſtat.*

Recipe ceræ denarium pondo centum.
Reſinæ Colophonniacæ denarium pondo. CC.

Guttæ ammoniaci,
Squammæ æris,

Thuris conbusti,
Aristolochiæ tenuis,
Aeruginis,
Salis ammoniaci,
} Sin. denariũ põdo. viij.

Chalbani,
Mannæ,
Myrrhæ,
Aloes,
} Sin. põlo denariũ. xij.

Aluminis rotundi denarium pondo sex.
Olei ueteris heminam,

Aceti quantum sufficit, præparato ac utitor, interim mero, interim diluto medicamine. S E. Non multum interest inter hoc Galeni, & illud à me relatum. B R A S. Non est magna prorsus differentia præterquam in ponderum nominibus: & quia tu Terebenthinam recipis, Galenus uero resinam, colophoniam, quanquam tu ipse hoc animaduerteris. præterea tu ponis aceti, unc. xviij. Galenus uero ponit quantum satis est: in reliquis non adest magna differentia. Paulus loco aluminis usti, alumen scisile ponit. S E. Sũt ne alij qui alio utantur iside? B R A S. Nulli quos sciuerim, & cum isis parari debet, cephalicum hoc paratur, non tamen hoc dico, quin nouerim adesse & emplastrum isis apud Galenum in eodem libro, ubi inscriptio est, Isis uocatum emplastrum giluum, quod ad fluentia, diuturna, maligna ualet, acuix curabilia maxime in parti

bus extremis. SE. Emplastrum hoc referrene pigeat. BRAS. Ita conficiendum monet Galenus.

Recipe argenti spumæ denarium pondo. C.
Minij sinopici denarium pondo. viij.

Diphrygis,
Ceræ,
Chalcitidis combustæ, } Sing. denariũ pondo. i. {aliter quatuor.}

Chalcitidis crudæ denarium pondo duum,
Olei heminas duas.

Argenti spuma & oleum coquantur, dum iterum ac tertio efferuescant: hoc facto aquæ modicum digitis instillatur, mox diphryges, chalcitis, testa leuis facta inspergitur sub manu aquam instillando, donec non amplius medicamen inter coquendum strepat, ubi constiterit ceram indito, sint autem chalcitis cruda, & minium ex oleo modico contrita, cum bene habet pharmacum, hæc immittito, continuo moueas. his rite peractis in pilam conijcito, ac rursum condito, subi gitoq; excipiens utitor. sunt tamen & apud Galenũ in uno eodem libro multæ compositiones sub nomine Isidis, & adest Isis uiride in loco superius citato: at cum cerata non sint, ad hunc locum non spectant. tu interim alia ceratorum genera prosequaris. SE. In publicis officinis alia non fiunt ab his quæ enarrauimus, nisi quispiam particularis medicus sibi genus unũ aut alterũ cõfici iu-

beat: at uniuersalia genera illa sunt quæ adduximus. BRAS. Cerata igitur quæ in usu sunt, pauca esse constat. SE. immo paucissima, quòniam neque alij pharmacopolæ omnia conficiunt, sed nonnulli aliqua, alij alia, non tamen extra narrata. BRAS. Quid nobis amplius agendum supereſt? SE. Plura adhuc super sunt considerandа. BRAS. Quænam? SE. Vnũ est, emplastra in examen ducere. BRAS. Id ut lubebit, fiet, modo sinas me paululum spatiari, nam sentio iã mea membra præ nimia quiete stupescere. SE. Id citius quàm fieri possit agas, ut cœptum laborem finiamus. BRAS. Iam surgo & ad spatiandum accingor.

FINIS.

Chartarum series

A B C D E F.

INDEX

Cerata unde dicta. .1.

Ceratum stomachale. .2.

Ceratum contra pistilētiam. .3.

Ceratum pro Crepatis. .4.

Ceratum Gratia dei. .5.

Ceratum Capitale. .6.

Ceratum Ceronium. .7.

Ceratum Apostolicum. .8.

Ceratum Oxycroceum. .9.

Ceratum Oesipi. .13.

Ceratum de Betonica. .14.

Ceratum Isis. .15.

Diachylon album. .10.

Diachylon nigrum, .10.

Diachylon magnum. .12.

Vnguentum de Mucilaginibus. .11.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI

Medici Ferrarienſis

Examen omnium Emplaſtrorum, atque Cataplaſmatum, quorũ apud Ferrarienſes pharmacopolas vſus eſt.

ILLVSTRISSIMAE

ELLEONORAE ESTENSI

DICATVM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AD ILLVSTRISSIMAM,

ET EXCELLENTISS.

ELLEONORAM ESTENSEM

Illustriß. DVCIS Ferrariæ filiam

Hieronymus Brasauolus.

QVOTIES adolescentulæ illæ in Salomonis templo educatæ mihi in mẽtem ueniunt, toties tu ipsa Illustrißima adolescentula mihi occurris contemplanda: nam omnes illas omnium adolescẽtularum dotes in te sola fulgere reperi: hæc uero solent esse Estensium uirginum et aduleſcentularum propria, quæ semper præclaris uirtutibus cæteras omnes Italiæ proceres excelluere. Cum igitur te iam omni uirtutum genere ita excultam esse repererim, ut nihil addi posse uideatur, quomodo tua præconia efferre potero? nam id efficere idem esset, ac si lucentißimo soli lampada admouere uoluerim. Verum cum ego Excellentiam tuam summopere obseruem, nihil uehementius exopto, quam illud efficere, quod tibi gratum esse percepero: gratum uero Excellentiæ tuæ me facturum existimabo, si libellum hunc, qualis qualis sit, tibi dedicauero, quem spero Excellentiam tuam benigna fronte recepturam, & me in illorum numero existimaturam, qui te summopere colunt, obseruant, ac uenerantur. Vale.

Antonij

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

EMPLASTRORVM, atque CATAPLASMATVM.

quorum usus est apud Ferrarienses pharmacopolas

Examen.

SENEX, BRASAVOLVS.

QVORSVM *tam celeri gressu properas?* BRASA. *Ad ægrum quempiam morituꝝ, qui tamen adeo ægre fert, ut nõ solum corporis, sed et animæ discrimen immineat.* SE. *Prudenti cuipiam religioso tradẽdus est, qui illi huius finis necessitatem ostendat, suadeatq; diuinæ uoluntati acquiescẽdum esse. Veruntamen audiui te de hac materia disputasse, et Dialogum quempiam scriptis tradidisse.* BRAS. *Ita plane est, sed nihil aliud suadeo, quam nemini mortem placere.* SE. *Ni pigeat interim Dialogum referas, dũ te ad ægrotum istum comitabor.* BRAS. *Viæ laborem auferet Dialogus. hinc. n. ægroti domus non modice distat, & tibi morem geram. At ne diutius immoremur, ita incipit Dialogus cuius inscriptio est.*

QVOD NEMINI MORS PLACEAT.

FVit olim nostra in hac urbe Philosophus cũ æuo, tum omni doctrinarum genere insignis: qui sudoribus in iuuandis alijs, & apte componendis iuuenum animis famam immortalem sibi parauit: & qui Stoicos et Peripateticos non modo disciplinis æquauerat, sed in moribus etiã atq; corporeis exercitamentis eorum imagines referebat. nam sub porticum Illustrissimi atq; cõstantiss. in bello & pace Ducis nostri ALPHONSI in dies magna doctorum atq; scholasticorum frequentia comitante spatia faciebat, qui ab eo tãquam à Delphici Apollinis oraculo disciplinarum fontes hauriebant. Disserebat obambulãs, docebatq; in porticu, immo & alijs uacabat nonnullis (tam erat laborum sitiens) ut sese opportunitas, & temporis offerebat occasio. Nonnunquã in aulicum quendam, à rudibus annis amicum incidit, uirum & ipsum iam senio confectum, & studiosorum amantissimum, alter alterum salutauit, resalutauitq;, ut singularis exigebat amor. Nescimus interim cui summã manum imponeret. Nos illuc accessimus, cum in mortis sermonem descenderant. Mortem Philosophus ille omni laudum præconio, tanquam summum animãtis bonum, in rerũ apice, atq; summo fastigio ponebat: quam quisq; (ut eius uerbis utar) si sapiat, ut citius fieri potest optare debet, & apertis ulnis expectare. Aulcius è contrario, nihil homini deterius, nihil infœlicius, nihil deniq; miserabilius contingere posse contendebat: quam & insani, & bruta animantia euitare nituntur: putabatq;

aulicus

aulicus Philosophum non ex corde, sed extremis labijs illa effari. Tunc PHILOSOPHVS. Amici iocantur, et beneuolos fallunt? ita me Deus amet, ut hoc toto corde, tota mẽte sentio: cui et si alij uiri non consentiãt, nec recipere uelint aut audire, fucata hac uita, & blando hoc aspectu deluduntur: quos si quiete alloqui possem, & rationes nostras audirent, certus sum me eos illuc perducturum, ut mortem uita præstantiorem esse fateantur. Tunc AVLICVS. Subridens, inquit: Pulchrum erit, unà & curiosum ualde hoc experiri, quod nemini Iro etiam uel Pausone magis calamitoso suadebis. PHIL. Periculũ faciamus. sed quid erit præmij si aliquem euidentibus rationibus in nostrã sententiam descendere cogamus? AVLI. Quid uice uersa enanciscar ego, si nulli tuam hanc sententiam suadere poteris? PHIL. Illud sit inter nos mutuum, si nulli mortem optimã esse suadere potero: mihi ipsi, tuq; tibi ipsi aliquo assentiente conditionem pones. AVLI. Esto: rem igitur pede dextero exordiamur. PHIL. A te huius rei initiũ facere opportunũ uidetur. AVL. Vt lubet faciamus. PHIL. Putas ne humanam animã immortalem esse? Deumq; existere? & beatos angelos, atq; intelligentias cœlestes? bonosq; præmio, & prauos affici pœna? AVL. Quis adeo impius, & infidelis hæc non crediderit? PHIL. Putas ne quandoq; te illuc peruenturum? AVL. Puto: diuini tamen numinis auxilio fretus. PHIL. Putas ne ibi fœlicitatem esse incomparabilem, quæ nullo mœrore, nullis miserijs, nullo luctu affecta sit? AVL. Equidem. PHILO. Tu igitur uitam illam fœliciſsimam esse putas, quam qui ui-

uunt, nulla re indigent, nulla ægritudine corripiuntur, nullo animi affectu uexantur: et nõ niſi per mortem recipi poteſt: tamen non das operam præſentem uitam, id eſt ueram mortem certa illa uita cõmutare? Aut igitur fides abeſt, nec ea quæ prædiximus, ibi eſſe credis: aut atra bile uexaris. AVL. In fide nulla eſt ambiguitas: ſed horrenda illa inferni tormenta, ingẽtia ſupplicia, et uarios cruciatus pertimeſco: ſum his mundi illecebris inextricabili nodo uinctus: non poſſum facile amicos, parẽtes, agnatos, filios, aut fortunæ bona derelinquere. PHIL. Ergo fucatis his bonorum ſimulachris detineris, quæ nihil aliud ſunt, quã mellita uenena? ò curas fatuas, quæ te uelut ad ſirenios ſcopulos alligarunt: ò ſolicitudines turbulentas, quæ te miſerum deniq; in infœlicem exitum deducẽt. Dic ſodes, ſi apud extremos Indos beatam uitam eſſe putares, ubi etiam hanc noſtram momentariam uitam centum annorum ſpatio prorogares, nunquam uero illuc peruenturus eſſes, niſi nudatus: num depoſitis indumẽtis, ac rebus omnibus amiſsis illuc protinus greſſum flecteres? AVL. Et maiora adhuc ſubirem, ut breuem hãc uitam integro æuo producerem. PHIL. At quanto leuius, quantoque dulcius iudicare debes cœleſtem uitam nunquam deſiturã una breui atq; facili morte tibi parare: immo & ſi ſexcentas mortes ſubire opus eſſet, hanc æternam uitam deſerere non deberes, qua ſummum intueberis bonũ, in angelorum choris uerſaberis, in ſanctorum contubernio collocaberis. ſi igitur ut cẽtum annis hanc uitam prorogares, ad extremas orbis partes nudatus amicis derelictis, & fortunæ bonis, & maximo tuo incommodo proficiſcereris,

cur

cur carcerem hũc corporeum uehementer deponere nõ exoptas, ut pro hac uita, quæ nihil aliud est quàm uapor ad exiguum tempus apparens, aut unius horæ somnium, æternitatem assequaris? AVL. Vera sunt quæ dicis: tamen si ad extrema mundi limina peragrarem, amicos reuisere possem, neque corpus hoc, quod summopere amo, deponerẽ. PHIL. Ignoras igitur apud superos, & in sanctorum consortio amicos etiam uideri posse? AVL. Ignoro. PHIL. Vir es qui aliena curas, & posthabes propria. immo cœli cultoribus nihil deest, quod optent. AVLI. Quid si filios optarent, si uxores, aut diuitias? PHIL. Hæc omnia haberent, & his omnibus saturi fierent. AVL. At si filij & uxor in exteriores tenebras, & in tartareas pœnas deiecti essent? PHIL. Eos in cœlum (si lubeat) reuocare poteris: sed hanc diram cupiditatem non habebis: nam eris diuinæ menti conformis: cui placet ut ob eorum flagitia plectantur. non deerunt in cœlis cupediæ, nõ dapes diuersæ, non pepones, non phasiani, non cretica uina, si alicui uel immoderato placerent: sed q̃ in illis cœlestibus delicijs uersantur, hæc omnia spernunt, tãquam terræ, et elementorum omnium excrementa, quibus non indigent: his solum cibis depascuntur, qui mentem oblectãt, solo ueri Dei atq; IESV CHRISTI intuitu gaudent. in quo ueluti in fulgentiss° speculo omnia intuẽtur, Quæ sint, quæ fuerint quæ mox uentura trahantur, Hoc solo oblectantur, hæc est æterna gloria, hæc est uita illa, quam is ingredi debet, qui mãdata seruat. AVL. Nos hæc aliàs audiuimus: nam publicis concionibus oblectamur, & nihil aliud audiuimus quàm de hac æterna

gloria: tamen nunquã illuc progressus sum, ut hoc corpore spoliari cuperem: putoq; patres istos, qui tantopere æternam illam uitam extollunt, hanc temporariã et momentaneam magis amare: illisq; durum uideretur, si corpus deponere oporteret. PHIL. Putas ergo durum esse, atq; asperum, corpoream hãc molem exuere? AVL. Puto. PHIL. O quàm tua hæc excogitatio uana est: nisi forte non uerum dixit Plato, qui animam hominem esse iudicauit, corpus tanquam uestem et carcerem, quæ illam à suo munere impediat. dic igitur: si ueste nimis graui premereris, quæ tibi impedimento esset, ne urbem illam fœliciſsimam in extrema mundi ora positam adire posses, num uestem istam, & si auro contextam, arte laboratam, ostroq; superbo, deponeres, ẽt si tibi gratiſsima esset? AVL. Deponerem, & si tota esset orientalibus gemmis contexta. PHIL. Hæc uestis corpus caducum & fragile est, quod hominem, ideſt animam prohibet ne illuc ascendat, unde discesſit. nunq̃ uero nisi morte deponi potest hæc uestis: hoc est carneũ & corruptibile corpus: quippe mors (ut Phædon ait) est animæ à corpore dissolutio, & quam solidi uinculi exitus. AVL. Tamen nostri sensus non parum luctãtur, et quãto fieri potest, hanc dissolutionem effugiunt, ut ferè in pugnam cum morte descendere uideãtur, dolentq; de morte. PHIL. Dic igitur, quando in hanc pugnam descẽdunt? ante mortem? uel in ipsa morte? uel post mortem? AVL. Semper dissolutionem istã, ideſt mortem ægre ferunt, & dolent. PHIL. Si ante mortem doluerint, uani sunt & cassi sensu sensus, qui dolore eos nondum infestante ægre ferant. in ipsa morte dole-

re non

renon possunt quoniam animæ à corpore recessus momento expeditur, quò fit, ut nullo uel exiguo tempore infestari possint. nec post mortem dolere possunt, quoniam absunt: nam mors est sensuum priuatio, et non destructio corporum, ut Trismegistus in Pymãdro testatur. AVL. Id est, id inquam est quo deterentur, scilicet sensu priuari: putantq; in hoc actu se plura passuros. PHIL. Mortem igitur non timent, sed præuios mortis labores, qui ob ægritudines, ob dolores, ob corporis & animæ inquietationes recipiuntur, & qui mortis opinionẽ terribilem faciũt. Vnde ab Epicteto in Enchiridio scriptum est mortem non esse terribilem, sed mortis opinionem. tu ipse es qui mortem inquietissimam putas, atq; iniquam: cum sit planè tranquilla, & amœna noscentibus, ignaris aspera. sed iam caput aliud adeamus: num fœlicissimum est Deo assimilari? AVL. Maxime. PHIL. Is num Deo satis proximus, similisq;, qui futura uaticinatur? AVL. Omnino. PHIL. Plato in Epinomide, & in Phædone, scriptum reliquit, quò hoies morti propius accedũt, eò maxime uaticinari: sæpiusq; horã recessus animæ à corpore prædicere, qppe anima est ab hoc corporis ergastulo ferè soluta, & in suam ac propriam naturam redacta. cum igitur mors nos Deo similes reddat, eam fugere absurdum uidetur. AVLI. Hæc argumenta nobis puerilia uidentur, & nihil quod dignum sit suadere. PHIL. En igitur, num quisq; qui hac uita fungitar, seruit? AVL. Quid inquis? Reges atq; principes imperant, non seruiunt. PHIL. Immo nullũ est magis onerosum seruitium eo, quo Reges & Principes seruiunt: modo illos seruire

putes,

putes, qui illa ferè coacti agunt, quæ alioqui omisissent, nisi fato, aut alia maiori potentia traherentur. AVL. ita est. PHILOSOPHVS. At Reges quot agunt, à quibus abstinerent, si aliter agere cõmodum esset? Hic Rex qui nũc totam Italiam perturbat, si iamdudum hostem suum profligasset, tot labores die noctuque non pateretur, ab infinitis propemodum curis, animiq; anxietatibus solutus esset, quæ in dies illum perturbant, et ferè mente alienari faciunt, cum uidet milites regredi, aufugere, trucidari. His eorum animi, uelut incudes continuis malleis obtundũtur: his seruiunt, et maxime seruiunt. hoc seruitij genere ciues carent. At si Rex uitijs, & sceleribus scateat (ut maior Regum pars consueuit) sib ipsi seruit: immo non sibi, sed imperiosis dominis, qui suis cupiditatibus imperare nescit. Propterea historici Alexandrum Magnum suo cognomine indignum putarunt: qui cũ de tot urbibus, de tot prouincijs, de tot gentibus, mari, terraq; triumphasset, sibi ipsi imperare nescivit: cum nulla sit pulchrior, aut magis honesta uictoria quàm se ipsum cohibere, ut inquit Solomon, & se sibi dare, ac herbam mordicus accipere. AVL. In hoc sensu Reges seruitio exire, non contendam. PHILO. Hæc est apud Platonem in Phædone sententia. Mortale est, ut subijciatur ac seruiat: diuinũ, ut præsit, ac ducat. cum anima à corpore soluitur, diuina & immortalis efficitur, domina, præses, imperatrix: nunc in re mortali uersans in curarum inuolucro, in stercoris uolutabro, il legitime seruit: cumq; excellẽtius sit præesse, quàm seruire: melius igitur erit atq; optabilius ab hoc caduco corpore puram animam solui, atq; liberari quàm in eo diu-

tius

tius conſeneſcere. AVL. Tu te ipſum habes in conſi=lio: nondum illuc acceſsi, ut mortem uita præſtantiorem arbitrari poſsim, atq; uoluerim. PHIL. Dic igitur ſi id rationibus efficiam, ut tu ipſe fatearis, mortem nõ eſ=ſe uita peiorem, num mihi aſſenties? AVLIC. Neſcio an id unquam efficere poteris. PHIL. Nobis cauſa no ta eſt, cur mortem adeo uehementer horreſcis. AVL. Quæ nam eſt hæc cauſa? PHIL. Si tibi illam aperire uoluerim, tu ibis inficias. AVL. Non ibo, per Hercu=lem. PHIL. Fide cares, & in animi immortalitate nõ parum ambigis: quibuſdam ſimilis es, quos per urbem ob ambulãs quandoq; audiui ita dicentes, noui huius mundi delitias, neſcio quas ſim in alia uita recepturus: neminẽ adhuc regredi uidi: aut aliquem qui uiderit, audiui.

AVL. Et ego frequenter eadem ſententia uſus ſum, ad=doq; uel mortuos optime ſe habere, ut amplius regredi negligant, uel impeditos nõ poſſe. PHIL. Tamen non ne putas animam immortalem eſſe? AVL. Non dubi=to. PHIL. Et ad beatas illas animas, quæ in cœlis ſunt, euolaturam? ubi ſummi numinis intuitu delectaberis?

AVL. Quid opus eſt uerbis? hæc omnia mihi certiſsi=me conſtant. PHIL. Num igitur quàm citius fieri po=teſt, illuc eundum eſt? quis enim ita fatuus in ſodalitium maximi Regis, uel Principis recipiendus aufugiet? AV LIC. Nullus: ſed ob iſtud uitam cum morte non commu tat. PHIL. Tamen mors nihil habet incommodi, ni=hil quod ægre ferre debeamus, aut dolere. AVL. Im=mo è contrario quàm multa habet maxime incommoda, & praua. PHIL. Id eſtne prauum, aut incommodum, quod ſenſu nunquam percipitur? AVLIC. Non eſt.

PHIL

PHIL. Sed mors ipsa nunquam sentitur: quam qui habet, non modo illam, sed nihil sensu recipit: ut Diogenes ille Cynicus quãdoq; interrogatus, an mors praua esset, respondere non uereretur, quomodo praua si non sentitur? & Thales Milesius, eandẽ esse cum uita censuit. unde à qbusdam interrogatus, si à uita nihil differt, cur nõ moreris? ait ille, quia nihil differt, et Plato nono de Legibus libro mortẽ non esse uita peiorem testatus est. cur igitur tãquam malum quoddam, & ueluti mõstrum horrendum extimescenda? immo cum anima in Sanctorum consortio recipiatur, nemo illam optare non deberet. AVL. In his rebus anceps sum. PHILO. Cur es anceps? immo ex opposito addam, etiam si mortalem animam putaremus, præstabilius esset, atq; illustrius, à sedulis & inextricabilibus huius mundi curis radicitus euelli, quam in continuis corporis angoribus, animi perturbationibus agitari. dic, quid aliud est mors, quàm somnus? AVL. Nihil aliud: immo & ipsa quies est simillima mortis imago. PHIL. At quid potest in hac lachrymarum ualle dulcius cõtingere, quàm somnus quietissimus? quo nox nulla insomnia noscat? AVL. Nihil omnino. PHIL. Si anima & corpus unà pirent (quod à Christiana mẽte absit) mors esset hic quietissimus somnus, insomnijs carens, quem raro in hac uita miserijs plena assequimur: nam sensim sine sensu tempus elabitur. Quisq; igitur sapiens sibi ipsi inquiet, iam quiescendum est, & hæc laborum sarcina deponenda: iam dormire licet somno sine insomnijs quietissimo. AVL. Hæ mihi uidentur fabulæ, quas refers, indignæ etiam ut surdis cãtentur. PHIL. Putas ne mortem expauescendam, si

nihil

nihil sit? AVL. Minime. PHILO. At homine uita functo, supereſt anima, neq; corpus diſſoluitur: nam ſolum ab inuicem ſegregantur: quæ ſegregatio reſpectus quidam eſt, & accidens, quod in re ipſa nihil addit. mors igitur nihil eſt. AVL. Nos uero hoc maximũ eſſe exiſtimamus, animam prohiberi ne priori uinculo ſuo corpori copuletur. PHIL. Vir es Mineruæ pinguis. anima eſt quæ refugit, & corpus ingredi renuit, ne fœtido illo carcere. i. corpore obſtricta, & ueluti ſerua teneatur. Nam ſi corpus ſuum ingredi uellet, nihil eſt, quod eam impedire poſſet. AVL. Poſſet igitur corpus accipere quando luberet? PHIL. Poſſet. nam beatæ illæ animæ quæ in cœlis ſunt, ſi ante terribilẽ Iudicij tubam ſua corpora aſſumere uellent, nihil eas impediret, quin illud aſſumerent. ſed nulla eſt anima quæ hoc cupiat: omnes enim nihil aliud uolunt, nihil aliud cupiunt, quãut à Deo optimo maximo ſtatutum eſt: is uero omnipotens tunc recipienda corpora ſtatuit, atq; aſſumenda, cum uiuos & mortuos in die illa tremenda iudicabit. AVL. Mirum eſt quod audiui. PHIL. Sed uerum, audias præterea in Pymãdro Triſmegiſtum, qui mortẽ nihil eſſe cenſet, & nihil in mũdo mori: et Epicurei mortem nihil ad nos ſpectare uoluerunt: quippe cum ſumus, non eſt ipſa: noſq;, dum eſt, non ſumus. AVL. Quomodo inquiunt Epicurei, non accipio. PHIL. En, quid ea curas? quæ non habes? nunc febre cares, quid febrem curas? AVL. Nihil curo, ſed uereor ne in illam incidam. PHIL. Tamen cum ea cares illam non curas. AVL. Non curo. PHIL. In morte idem contingere debet: cum uiuis, ipſa nihil ad te: nam & uiuis, & ſenſuũ

adminiculo

adminiculo fungeris: illa uero est sensuum priuatio. Cũ mortuus eris, quid ad te, cum nihil senties? quamuis Lactantius decimo septimo capite tertij libri, eos qui ita dicunt reprehẽdat. AVL. Nunc Epicureorum sententiam accepi. PHIL. In hac parte infinitas philosophorũ atq; poetarum sentẽtias post haberi decreuimus, quibus mortem ipsam optimã esse et ipsi suadent: et nos suadere possemus. Hanc Epictetus ueluti summum bonorum meditandam esse iubet, ut Plato philosophiam per mortis meditationem definuerit. Lege uetus instrumentum, & relege, nunq̃ uel raro inuenies eum qui naturali morte à uita decesserit mortuum dictum esse: sed omnes cum patribus suis quiescere dicuntur. illi soli qui uiolenter interiere mortui à sacris literis in Pentateucho uocãtur, et in tertio Regum libro capite secũdo, mors uniuersæ terræ uia nuncupatur, ad quã omnes ueluti peregrini accedimus: ineſtq; nobis (ut philosophi inquiunt) ex materiæ primæ appetitu, quæ nouas formas semp desiderat & appetit. hic uero appetitus ex primi parentis Adæ inobedientia ortum habuit. immo & elemẽtorum contrarietas, ex quibus constamus, ad corruptionẽ plurimum facit. sed de his hactenus. nunc ad id quod est huius rei caput redeamus. Num pulchrius est, illustriusq; è summis miserijs, è summis anxietatib⁹, è sũmis curis atque laboribus quanto citius fieri possit liberari? AVL. Equidem. PHIL. Sed quæ uitæ pars ab his incommodis soluta est? quiue homines qui hæc non patiãtur, inueniri poterunt? AVL. Nonnulli certe inueniuntur, licet rari, qui diuites sunt, corpore ualidi, pulchri, quos sua sors contentos effecit. PHIL. Et qui sunt hi?

quoq;

quoq; tempore, & quam diu in hac fœlicitate cõmorantur? Legi Diuum Ambrosium hoc ferè modo scribentẽ: Etiam si quis in hoc mundo curis oĩbus, & sollicitudinibus careat, mortem exoptare debet, ut summam fœlicitatem amplectatur: quanto magis eligẽda erit, expetenda, atque inuocanda si tota sit discriminibus plena uita? hanc à principio & ferè à cunis examinare pergamus. Cum primum è matris aluo in lucem emergit infans, nudus, et in nuda humo (ut Plinius inquit) natali die abijcitur (quum cæteris animalibus natura uaria tegumẽta cõcesserit, testas, cortices, coria, spinas, uillos, setas, pilos, plumam, pẽnas, squamas, uellera) uagit⁹ statim & ploratum auspicatur, uitã incipiens à mœrore, uel quia dolore uexatur, caloréue aut frigore. nihil nos scimus, uocem solum audimus, quæ est molestiæ signum, quam nescit uerbis explicare quod patitur. infœliciter iacet manibus pedibusq; deuinctis. Cætera autẽ aĩalia quum primum orta sunt, roboris speciem habent, & munus. quando homini incessus? quando uox? quando firmum cibis os? quãdiu palpitans uertex? Interim ad septimũ ferè annum ineptus, & tanquã mortuus ætatem transigit: tunc pædagogis datur, qui illum diuersis laboribus affligunt, & tanq; tyranni imperant. subsequente ætate pædotribas despicit, & ea tunc puerilia esse censet, quæ prius expauescebat, sed uitã laboriosiorem ingreditur: nempe artem quãdam sectari incipit: & illi, si ingenuus uir sit, totis uiribus incumbit. Si hæc sit armorum peritia qua delectetur, hinc iurgia surgũt, hinc certamina, hinc uulnera patitur, hinc percussiones, in nuda terra iacet, crebro noctes insomnes ducit, uictus deest, & de-

niq;

niq; ictu paruo perimitur. Si uero præceps mercandi cupiditas illum teneat, terras omnes, omnia maria infinitis discriminibus peragrat, & nauigat, quodq; per uniuersam ætatem arte & labore acquisiuit, breui momento fortunæ impetu dißipatur. Sunt nõnulli mechanici, alij mercenarij, qui laboribus non dies modo, sed noctes etiam insomnes ducunt, uixq; panem & uinum aqua dilutũ pro uictu sibi parare possunt. Aliqui scientijs incumbunt, qui solitarij in silentem locum sedentes marcescunt, deridentur à uulgo, exibilanturq;. Qui magistratus gerunt, quot curis uexantur? in continuo sunt mortis periculo, ne ab illis interficiãtur, (quod crebro contigisse certum est) quos iuste uel iniuste iudicarunt. Nautæ quot pericula subeunt? Bias ille inter philosophos sapientißimus non parum dubitauit, an nautas inter uiuos, an inter mortuos enumerare oporteret. O si altißimam (ut Lucianus inquit) speculam ascendere liceret è qua uniuersus orbis circũspici posset, quot uaria hominũ discrimina, quot miserias, quot ploratus intueremur? Hic dominus est, quem multi sequuntur: seruus ille, qui sequitur. Quot inde sunt animorum paßiones? hunc insatiabilis tenet auaritia: alius uino madet: alius torpet inertia: alius ambitione fatigatur, plures inconstantes quid sequantur ignorant: alij uitijs diuersis affecti cõsumuntur: quos in libello de Humana miseria à nobis edito ad unguẽ usq; retulimus. Et quis caret pro sua sorte uitijs? Deniq; paucißimi senio conficiuntur, nediũ attingunt: & qui senectutem assequuntur, quid lucrantur? Bis pueri fiunt, sensus labascunt, tremunt artus, hebescit uisus, deperditur gustus, auditus eripitur, odo

rant

rant nihil, ut Xenocrates Platonicus optime monuerit, quos Deus amat breui ex hac uita reuocare. & à Plinio capite primo uigesimi octaui libri Historiæ mundi scriptum est. Quapropter hoc primum quisq; in remedijs animi sui habeat, ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestiua morte: in eaq; id optimum, quod illã sibi quisq; præstare potest. At hoc à religione Christiana longe dissentit. Si omnia uitæ incommoda referare uoluerim.

Ante diem clauso componet uesper olympo.

Ex his uero paucissimis non ne uides hominis uitam miserrimam esse? & mortem quæ ab his breui momẽto liberat, esse optandam? AVL. Multa ex his quæ dixisti, uera esse constat, tamen quicquid facis, quicquid conaris, irritum et in cassum est: nã uita hæc mihi placet, & mortem abhorreo: nec tuis his argumentis uel pusillum ab hac sententia dimoueri possum. tamẽ in hac uita illud optarem, quod nõnullis in hac urbe contigit, quos absq; labore diuitias habentes (nam diuitum patrum hæredes fuere) hilares, quotidie cõuiuantes, sibi uiuentes, & de alienis parum curantes uidemus. PHIL. O uir qui à pueritia in triuialibus tripudijs uersatus es, ignoras igitur eos, qui tali uictus genere utuntur, & qui talem uitã agunt omnibus hominibus calamitosiores esse? qui numerum faciunt, & nati sunt (ut inquit Flaccus) consumere fruges: solos cibos, solas cupedias, solas potiones colunt, ut corpus fluidum atq; periturũ impleant farciantq; casurum citius, molestiorem carcerem sibi ædificant, quos non erat operæ pretium nasci, alijs & sibi ipsis inutiles: qui tãquam rapidi canes, nil aliud co-

gitant, quàm si quid sit cœnandum delectabile: si dulce uinum, ponticumq; ea curant, quæ popinarium, & dissolutissimum hominem decent, nec edunt, bibunt ue ut uiuant, sed potius uiuunt ut edant, ac bibant: immo ut uorent atq; ingurgitent. tu huius generis homines in hac uita fœlices esse putas? AVL. Hactenus certe putabam: sed deinceps nunquam. PHIL. Cede igitur, & una uoce mecum fatearis, prudentis hominis officiũ esse mortem apertis ulnis expectare: cum nihil sit in terra miserabilius homine summæ inter cuncta animalia imbecillitatis fonte. Iugi mœrore torquetur, & si quid habeat, uanum omne est, & uanitas uniuersum, inquit Salomon. AVL. Vis ut uno atq; simplici uerbo te expediam? PHIL. Id facias, & bene. AVL. Mihi uideris gerras nugas effundere, & surdis fabulã cantare, nam quò plura dicis, eò magis in uitæ amorem, atq; desiderium ducor, & inflammor. Hæ nugæ sunt adolescentibus referendæ: & non ei, qui psittaci rostrum nactus sit. nam & si exquisitioribus argumentis usus esses, tibi quoq; non obtemperassem: quanto minus his tuis fucatis ratiunculis, ac sophisticis obtemperandum? PHIL. Tamen ab eorum laqueo fugere nescis, neq; scis eorum ueritatem euitare. AVL. Dialecticæ arti, aut sophisticæ palæstræ nũquam operam dedi, ut sciam ego quæ neganda sunt negare, & quæ affirmãda affirmare, quæ uè distinguenda distinguere. quicquid sit persentio animũ meũ, atq; ĩtima præcordia morti repugnare: immo cum id solum uerbũ audio MORS, horresco, & frigidus it per ossa tremor. tibi ergo tua argumenta seruato, & mihi meis sensibus, & meæ menti assentiri pmitto.

to. PHIL. Ex his tuis uerbis aliud cõiectare non possum, quàm te delicias illas alterius uitæ, & Paradisi fœlicitates non credere: immo putas aĩam unà cum corpore mori: & (ut ille dixit) cum sanguine fundi. AVL. Nondum rem accepisti, nã in animæ ĩmortalitate subdito: neminẽ ad hanc usq; ætatem regressum uidere potui. PHIL. Rem arduam commouisti, de qua nec tempus, nec occasio disserendi datur, tamẽ ne te in hac tam praua sententia sinamus, non nihil de hac re præfari ab re non erit: aliàs diffusius, commodiusq; hanc disputationẽ tractaturi. Dic igitur, putas ne homines in tantã excellentiam deuenisse, in tantam rerum omnium maiestatẽ, nisi diuinum quendã spiritum haberẽt, quo intelligant, quo naturæ secreta scrutẽtur, & rerum causas pendãt? quo cœlum ordine metiantur, stellas dinumerent, astrorum motus diuidant noscantq; & nomina imponant? quo syderum deffectus, ortus, & occasus ostendant? quo in aere cometas, fulgura, grandines, fulmina, cadentes stellas penetrent? quo abdita sub terra, serpentes, mineralia, croceum aurum, & pallidum argentum perue-stigent? quo supra terram, herbas, arbores, & plantas omnes, atq; animalia calleant, terrarum dimensiones, urbium nomina (quas & condunt) montium situs, fluminum & fontium interualla teneant? res publicas moderentur? quo in aquis pisciũ genera laborioſe superent? quo tandem in ardua diuinæ sapiẽtiæ, in Deum, et intelligentias eleuentur? Quid cunctaris? ad hæc respondе. AVL. Ex his, & multis alijs animam diuinum aliquid esse & immortale non possum non credere, tamen neq; ex hoc illuc duci possum, ut mortem optare uelim, aut

possim. PHIL. Nondum perfecte credis ibi esse bonorum omnium possessionem, ibi esse uoluptates omni miseria uacuas, ibi omnia esse quieta, & à senectute remota, ibi esse sanctam exultationem, ibi uitam malorũ nesciam, & tranquilla pace nutritam, rerum naturam contemplantem, & philosophiæ secreta: ibi pro fucatis bonis uera accipi, pro incertis & fluxis, certa & æterna, pro tinctis & ueneno aspersis, syncera & pura, pro sollicitudine & curis, fiduciam & honestum otium, pro turbulẽtia tranquillitatem, pro flagitijs integritatem. AVL. Si illuc corpore accedere possem omnino tot bonis irretirer. PHIL. O rem arduam dixisti, quã puerum dixisse pudere deberet. sed cur debes fragili, caduco, & fœtenti corpore remorari? quòd nunquam uoluptates capit (si uoluptates illæ sint) quin illas summi dolores concomitentur, hæc elegãter in sitiente Plato ostendit. num qui sitit dolet? id est passione quadã uexatur? AVL. Maxime. PHIL. At qui bibit, num gaudet? AVL. Omnino. PHIL. Qui sitit, num bibit? (nisi pocula desint.) AVL. Certe. PHIL. Igitur qui dolet, gaudet: nã qui sitit, dolet: qui bibit gaudet: & qui sitit bibit: suntq; in uno apice innexa huius mundi dolor, & gaudium, & ab inuicem nunquam dissoluentur. AVL. Tu poteris totam hanc diem orando consumere, tñ mori percupere non possum. PHIL. putas ne quandoq; utile esse mori? AVL. Nunquam. PHIL. Ergo ut aliquis immortale nomen sibi paret, ut proprium honorẽ tueatur, non debet potius se ipsum neci exponere, quam in summo dedecore uitam ducere? AVL. Quid est hoc dedecus? satius est meretricia frõ

te &

te & perficta superuiuere, quã breui cum honore mori. Damnaui semper Achillis fatuitatem, qui apud Homerum breuem uitam cum parua illa gloriola elegerit, quàm longiorem sine honore. PHIL. Nescio an ex propria sentẽtia loquaris, imo non solum CHRISTI populus pro fide, atq; honore seruando mortem subire debet: sed antiquiores etiam Gentiles, quibus nullum nisi temporarium premium promittebatur, pro seruando decore mortem subire non uerebantur: quot sunt apud authores huius rei exempla? quin & ipse apes, quibus ratio deest ut suum Regem tueãtur, propriã uitam exponunt, de quibus poeta 4° Georgicorũ libro id canit.

Pulchramq; petunt per funera mortem cc

Auerrois præterea in omni fide infidelis, in præfatione primi de Physico auditu libri, inquit. Quum uita nostra punctum sit respectu uniuersi temporis, nullus sit adeo delirus, qui scelestißimum scelus perpetrare eligat magis quàm mori. Plato in secũdo de Legibus in bellis iubet moriendum potius, quam fugiendũ, & Arist. tertio Ethi. capite primo secundi tractatus, mortem in bello pulcherrimam esse asserit, quod à Virgilio secũdo Aeneidos hoc modo exprimitur.

Pulchrumq; mori succurrit in armis, cc

Præsertim si pro patria aut fide pugnatur. et Sallustius in Catilinario quando sit pro uirtute moriendum edocuit, Pliniusq; uigesimo quinto Historiæ mũdi libro capite tertio inquit. Ea conditio uitæ est ut mori plærumq; etiam optimi portus sit. nunc sexcentos authores referre omitto, qui mortis encomium ob uirtutem scriptis dedere. Dic uerò, non ne quandoq; pro uirtute mori

conuenit? AVL. Conuenit quidem, sed optandum non est. PHIL. Immo nulla esse debet maior uoluptas, quàm commodam moriendi occasionem, & dignã præstari, putas ne mortem illam bonam esse quæ ex uirtute paratur? AVL. Certe. PHIL. Bona non ne expetenda? AVL. Omnino. PHILO. Igitur & hæc mors expetenda, hæc quærenda, illùc proficiscendum quò illam inueniamus: nec perquirentes quicquam omittere debemus intactum, ut hanc ipsam inueniamus atq; subeamus. AVL. Non est opus tot dona polliceri: etenim nunquam mortem desiderare potero, immo (ut Aristophanes inquit in Pluto.)

οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἢν πείσεις, idest nec mihi persuadebis, etiam si persuaseris. PHILNSOPHVS. Oleum igitur & impensam perdo. AVLICVS. Quis dubitat? PHILOSOPHVS. Puto te nunquam mihi assensurum, ut premium consequaris: tamen spero me breui reperturum, quoniam alijs hominibus id suadere confido, cui tu tam obstinate obstitisti. AVL. Certus sum tuæ sententiæ neminem assensurum, sed en hic baiulus, qui labore atq; sudore quotidianum panem sibi parat, à uino abstinens, non uti Socraticus, sed quoniam illo caret, placet ne ut illum uocem, in quo experiaris an tuam sententiam sequi uelit? PHIL. Placet, sed interim dum illum alloquar digito compesce labellum. AVL. Cum inter uos dissertatio agetur, & de morte contentio, solas aures præstabo, os uero clausum erit, nisi sputa resserare cogãt: nũc ipsum uoco, Baiule. BAIVLVS. Adsum: quid agendum imperas? AVL. Cognoscis ne hunc uirum? BA. Cognosco.

gnoſco. AVL. Illum alloqui ne refugias, nam tempus nõ fruſtraberis, quoniam hic nũmus tuus eſt, ut doctum hunc uirum alloquaris, quoàd illi placuerit, ego interim aures ſolas accõmodabo. BA. Quicquid uelit iam percunctetur. PHIL. Dic mi baiule, quid tibi melius uidetur, quid ue pulchrius, cito mori, et ab hac miſera uita liberari, an continuis laboribus inſudare? & immenſis curis connecti? BA. Inſudare melius eſt, quam mori. PHIL. Rides aulice? ſed parum expectato: nam hunc rationibus cogam, ut noſtræ ſententiæ inhæreat. Dic mi baiule num tua uita calamitatibus referta eſt, & iugi labore? uixq; ſecundarium panem emere potes, quo ueſcaris? BA. Certe. PHIL. Quid tibi melius uidetur, quieſcere, & nullo incõmodo affici, an defatigari? BA. Quieſcere. PHIL. Quãdo liberius atq; diutius quietem enanciſceris, quàm moriens? BA. Nunquam. PHIL. Viuens autem non continuo inſudabis, & nullus erit laborum modus? BA. Nullus. PHIL. Præclarius igitur eſt, et magis comodum mori, quam diutius uiuentẽ, tot intemperatis moleſtijs, tot imenſis curis affici? BA. Si rem optime conſidero, ego uitam potius, & miſeram, & calamitoſam uiuere ſtatui, quàm mori. PHIL. Nõ ne argumentum hoc fateri te cogit? BA. Quid ſit argumentum ignoro: logicam nunquam didici, ſed uiuere didici, nondum mori. PHIL. Et hoc eſt quod quiſq; diſcere deberet, bene mori, hic baiulus uir indocilis eſt, qui cũ ipſo nutricis lacte errorẽ bibit, nam præmiſsis conſentit, poſtea ultimo in limine fugit. Hinc abeamus aulice, ut alterum ad ſubeundas rationes non ita ineptum reperiamus. AVL. Vocabo ne illum

œnophorum, uini portitorem? en quam facies rubore enitescit & uini succinit color. PHIL. Voca, quid mali est & in hoc experiri? AVL. Vini portitor? PORTITOR. Quid inquis? adsum. AVL. Ni te pigeat hunc probum uirum audias, & illi ad interrogata respondeas, aliàs debitum persoluam. POR. Illi ne uinum sapit? AVL. Sapit. POR. Est ergo uir probus: expecto quid uelit, quidq; petat. PHIL. Quos putas magis fœlices uiuos an mortuos? POR. Stupeo: stantq; comæ: quæ obscura, & fatua percunctatio: absint defuncti qui nihil generosi uini gustare possunt. PHIL. Tu ergo summum bonum in uino posuisti, & nihil putas excellentius esse quam potum? POR. Nihil iucundius, nihilq; suauius. Ante Noë tẽpora īsensati erãt uiri illi, qui nondum hæc tam bona naturæ bona gustarant. PHIL. Hæc missa faciam, & ex animo respõdeas, quænam maior uitæ pars est, illa qua curis anxietatibus, & laboribus uexaris: an illa qua gaudes? POR. Quas curas refers? aut quas anxietates? absunt hæc à uiro probo: nam et si quãdoq; contingant ocyus auertuntur, quàm impetrent in animo locum: hæc est mihi pestis, hæc est mihi calamitas, hæc summa cura, cũ uina optima & generosa reconduntur, & nullibi publice uenalia sunt: nam his ueram uitam et integram duco, curis liberam, liberam omni dolore, quæ animum paratißimum aduersus res tristes, aduersus res trepidas præstant. an nescis tu qui tot authores euoluisti id quod à puerulo uicini mei cantari audiui?

Vina parant animos, faciuntq; caloribus aptos,

PHIL. Vir es profecto magni consilij, mihi iam ex tua

ingenita

ingenita humanitate satisfeciſti, abeas igitur, ut negotia tua expedire poſsis, POR. Abeo, ſaluete. PHIL. Homo eſt hic intemperatus, ebrietate perditus: malas ne uidiſti? frontẽ, oculos, & nares uino madere, & guttatim ferè ex ebrio impuroq; ſtillare? nunquam fui grauiori incommodo circumſeptus, quàm cum ſuffitus illos ex eius ore, tanquam camino effumantes naribus reciperem: nec ueſtibus pocula deſunt, totus profluit, totus latice madet. AVL. En quomodo fortuna ſplendidã occaſionem nobis parat: uide hũc mẽdicum ad nos proficiſcentem, qui os adeo pallidum habet, ut plumbũ imitari uideatur, et teſtudinem greſſu imitetur immo uix coæquat, miſerrima, et infœlici uita fruitur: hic tuis argumẽtis (ſi quis alter) cohærebit: hominem percũctare. MENDICVS. Optimi uiri Dei amore & immaculatæ eius matris obolum date, cẽtuplum in alia uita relaturi. PHIL. Bene uales, an ægrotas? MEN. Aegroto: & quò minus ſanitatem aſſequi poſsim, pauertas in cauſa eſt, maculæ uniuerſum hoc corpuſculum occupant, nec deſunt ulcerum cruſtæ, apud me ambiguum eſt, an famem precario pane ſedare, uel ſaltem mitigare potero, Eleemoſinam mihi date, frigeſco obambulãs, tremunt artus, ueſtibus careo. oh oh oh oh oh. AVL. Hunc denarium argento conflatum acccipito, poſtea ne hinc abeas prius, quàm hic uir te interrogare non deſinat. MEND. Id fiet. PHIL. Dic paupercule, cum tot diſcriminibus plenus ſis, tot malis, tot ulcerũ ſquamis, nõ ne melius eſſet cito mori, quam his cõtinuis miſerijs affligi, à quibus non niſi per mortem liberari potes? MEND. Certe ab hac miſera uita decedere me-

lius

lius est, & quid aliud expeto, quam animam istam creatori suo concredere? AVL. Verbis iocatur, & aliud in corde gerit. MEND. Immo cor ipsum loquitur, & ueros exprimit affectus, non uanas nugas, aut præstigiatorum deliramenta, quid mihi immorandum? quid boni præstolor? imania solũ et atrocia expectanda, et ni à xenodochio recipiar, extrema miseria mihi paratur, & luctus extremus. uideor uidere abscessus, et odiosa ulcera, quæ totum corpus occupabunt. PHIL. Hic est unus, hic est qui ueritati constanter assentitur, quiq; sua bona noscit, & id sapienter optat, quod alij indigne fugiunt. AVLI. Ne id dicas Philosophe, hoc genus hominum iam diu noui, insidiosum, & uafrum: permittas me illum alloqui: nam tibi sum ostensurus hunc ipsum uitam summopere amare: & mortem summo odio prosequi. PHIL. Experiaris & tu quid in hac re sentiat: puto illum ab ea, quam dixit, sententia non esse discessurum. AVL. Mendice, caue quomodo loquaris, ne uitam tuam despicere uelis. MEND. Et quis non despiceret hanc uitam morte ipsa deteriorem? AVLI. Caue ne in te ipsum sententiam feras. MEN. Quam sententiam? AVL. Hanc, suppone huic ensi collum, suppone, nunc, nunc ab his tam sæuis miserijs liber eris. MEND. Ha mi domine, insontem ne percutito: ne sis adeo immitis obsecro: ensem in uagina repone. AVL. Ha fili mi, hoc facio, ut deniq; à tot laboribus, totq; discriminibus liber sis, me tui miseret, tu mortem optas, nunc, nunc illam experieris. MEND. Ha parce huic uitæ: quid egregium tibi erit interfecisse mendicum? AVL. Humana quædam affectio cogit me, ut hoc mu-

nere

nere te donem, nam si mori cupis, id efficiam ut breui uotis tuis potiaris. MEND. Parce precor. AVLI. Mori igitur recusas? MEND. Recuso per Iouem. AVL. Sed cur prius tam constãtem mortem expectabas? MEND. Vt lubentius obolum daretis, seditiose loquebar, immo uitam summopere cupio, quam nullus est qui non desideret, & summo nixu non defendat. AVLI. Videtur ne tibi hic mori uelle ò Philosophe? PHIL. O omnium quos adhuc nouerim, infœliciſsimũ, tot animæ atque corporis angustias pateris, tot miseriis & calamitatibus premeris, et nondũ iudicasti melius esse eligibiliusq; uita hac tam morbosa, tamq; graui priuari, id est à tot noxijs liberari, quàm diutius animã in hac morborum sentina remorari? MEN. Nihil esse adeo graue puto, aut adeo atrox, quod hominem fallere possit (modo spes adsit quandoq; euadendi) ut mortem præuita eligere uelit aut debeat, uobiscum ingenue locuturus sum. Putatis me esse turpissimum, inquinatissimum, imbecillissimum, ut oculis uidetis, sed eos præstigijs affeci. sum iuuenis, ualidus, neq; imelegãti forma præditus, neq; ita mendice uiuo, ut hic aspectus præ se fert: hilarẽ uitam, atq; uoluptuosam duco, per totum orbem alieno sumptu uagor: latrones non timeo, aut fures, sed plenus canto coram latrone, qui plærunq; pecuniam mihi erogat, sumptus supra uitæ necessaria facio, & mihi ipsi nõ nihil placeo, quando in disertus ego sapientes uiros decipio, & meis ieiunis uerbis pecuniã erogare cogo: postquam recesserint, in illos oppedo ridẽs, atq; unà submurmurans quomodo hic uir cordatus à nostro abiectissimo genere fallutur putat me Dei amicum esse, & ferè illum

cum

cum beatis angelis alloqui, cum nullũ genus sit magis inuisum Deo nostro: nempe illum blasphemamus, iniuria afficimus (si in Deum iniuria cadere possit) nũmos precario partos colludimus atq; consumimus. PHIL. Stupeo, & horresco hæc audiens, mihi totus uideris asper, luteus, pallidus, rugosus, inquinatus, squallens, et deniq; malo totius corporis habitu, quem chachexiam medici dicunt, te uexari putabam, cui & febrem, & alia multa uitæ incommoda coniungi solent, immo uox ipsa nescio quid miserrimum sonare uidetur. MEN. Audite uiri probi: postquam cœpi artem nostram uobis aperire omnia ingenue fatear, sed in hũc angulum secedamus, ut uos soli mendicorũ artem condiscatis. En hæ sunt duæ iuglandes, quas ore porto, ut tremulam uocem, & semipfecta uerba mihi faciãt: has ut lubet muto, ac remuto, ut malæ crescãt, & decrescant, put mihi opportunũ uidetur: uarijs coloribus faciẽ pingo, ut exigunt loca: immo una urbe semel expilata operam do commutata facie iterum & tertio expilare. Cymini puluis luteam pellem facit, pallidam atq; subnigram fumus. Cum urbes aliquas Protei more in sexcentas mutatus formas defraudauerim, ficto uulnere, iocosa cicatrice, iocinoris aut lienis penula coxendici alligatã, & maxillis iuglandium gratia tumentibus: abeo ad alias urbes eridẽdas, nũmos precario receptos turpiter ludens, aleaq; dilacerans, lautius conuiuor, quam ipsi nobiles, nihil uoluptati parcẽs, ne meus genius defraudetur. PHIL. Si uere, & non ficte (ut nunc facis) ægrotares, non esses omnium mẽdicorum miserrimus? tamẽ ad hunc usum, ad hanc indigentiam, quæ tibi cõtingere posset, nihil reponis? MEN.

Vos non intelligitis mendicorum bona, tunc essem fœlicissimus: nostrum genus ægritudinibus gaudet, quid nobis potest contingere melius, quàm crus diuinum? (ita enim nos uocare solemus crura uehementer ulcerata) PHIL. Quid aliud tunc superest, quàm summa indigẽtia, & in Xenodochio mori? MEN. Immo quo magis ægrotant mendici, eò magis pecuniam accumulant, uos eorum mores ignoratis: optimi huius artis uiri nũquam Xenodochia ingrediuntur, ignaui sunt, & desides, indigniq; uita illi, qui in tali loco se claudunt. uerus enim mẽdicus nullo morbi genere affectus suum lucrum extenuat, sed quò grauioribus morbis affligĩ, magis redit alieno ære grauatus, per compita circuẽs, per angiportus, per templa. PHIL. Certum mihi est, si uehementiori quadam ægritudine caperetur, non solum non circuiret templa, immo nec per lectum sese uertere posset. MEND. Tunc domini efficimur, nobis inseruiunt famuli, magis fidi quàm uestri, nam & ipsi mendici sunt, trahuntq; ægrum, aut paruo curru, aut humeris gestãt. nullus est tam uehemens morbus, tamq; sæuus, qui possit uerum mendicum remorari, aut domi claudere. PHIL. O Dij immortales, nunquam huic obscuro generi, et sordido benefaciam. MEND. Oro ne mea ingenuitas me defraudet. PHIL. Te omnino non defraudabit: nam uolo ut sis mecum frequenter in prandio. MEND. Nec illud prætermittere possum, quosdam esse nostri generis, qui tanquam Principes multis imperant, quos domi alunt, hi indies precario quærunt, & quæ recipiunt, ad Principis domum portãt. si panes sint, & pro prandio, uel cœna supersint, eos baiulis uendit dominus: si uestes,

aut

aut aliud simile, omnia suis artificibus uẽdens, in nũmos uertit: immo & hi mendicorum magistri hos pueros emunt, prauaq; & turpis ipsorum affectio pretium auget, & quò magis sunt tetra ulcera, eò citius emunt. Si mendicorum mores excutere tentarem, nox prius accederet, quã sexcentesimam partem referre possem. PHI. Hæc satis superq; sint: at p tua hac ingenua dicacitate, argenteã monetam accipito, abiq;, et interim alios fucato uultu, & trementibus uerbis decipere pgas. MEN. Valete. AVL. Vides & hunc omnium, quos adhuc uiderimus, mendicissimum mortem effugere. PHIL. Immo mendacissimum, cui an uera credi debeant suspicamur, nihil non fingit nouus hic Proteus. quod hominum genus ad uorandum, & ingurgitandum nascitur, quid frugis humanæ naturæ præstare potest? miror Deũ hos patiẽtissime ferre: et nisi esset summũ bonum, ferre non posset. AVL. Egregie dixisti, sed en colonus meus huc accedit, uir omni laborum genere implicitus: hũc uoco, tenta an tuæ de morte sententiæ fauere uelit: Thoma. THOMAS. Heus patrone, non te uideram: quid hic agis? AVL. Tu uero cur ad urbem accessisti? THO. Cum nũc emendandæ sint uites atq; recidendæ, nihil mihi agendum supereſt ruri, nam & uites, & arbores, oẽs putaui, & sulcis semina dedi, reliquum est naturam occultis fomitibus alimentum & augmentũ præstare: interim dum ipsa die noctùque agit, in urbem ueni, ut suppelectilia quædã meæ familiæ necessaria emerem. PHI. Sed hæc missa faciamus: Thoma dic mihi, ĩ toto anni curriculo habes ne diem unum uel alterum in quo corpore & animo quiescas? THO. Nullum certè habeo: nam et

si corpore

si corpore in die Resurrectionis CHRISTI, & eiusdem Natiuitatis quiescam animo sum agitatus: quippe familiaribus curis, alijsque mentis negocijs perturbor, ut nec per integram horam uera quiete frui possim. PHI. Nonne melius esset integre, quiete, sine aliqua uel corporis, uel animæ perturbatione diutius uiuere? THOM. quis dubitat? PHIL. Dum hac uita, & hac uitali aura frueris, putas ne quandoq; quietem istam te inuĕturum? THO. Nunquam. PHI. Non ne in alia uita hæc quies habetur? THOM. Si quis in Dei gratia bene obeat. PHIL. Ergo expetenda est hæc alia uita tam bona, tãq; omni malo priuata: & hæc deserenda quæ potius mors est q̃ uera uita? THO. Ita est. PHI. Tu igitur Thoma, quãto citius fieri posset, aliam uitã optare deberes: quæ cũ haberi non possit, nisi p huius mortem, & huius mortẽ desiderare debes, ut uitam illã quàm optimam enanei scaris. THO. Mortem optare nõ possum, immo quicquid facio, quicquid patior, quicquid uel molestũ uel incommodum fero, id omne ut superuiuam, fero, & perfero. PHIL. Sed quietem habere non potes in hac uita. THO. Satis quiesco si uixero, qui me oderint illa uita quiescãt: illa oblectentur, in illam ocyssime recipiantur. PHIL. Et hic ex eorum genere est qui nesciũt sua bona: Vale mi Thoma. non est opus cum hoc rustico tempus conterere. AVL. Vides, mi Philosophe, in porticus fine, quo loco uitrearius cucurbitas papyro munit, hominum cœtum? PHIL. Video. AVL. Hi omnes in sudore uultus suo pane uescuntur: illuc ne pigeat accedamus, fortè ex illis unus tibi consentiet. PHIL. Non abre erit inter tot miseros unà periculũ facere, gressus ac-

celeremus

celeremus, ne quis inde recedat. Quum primũ ad hos mercenarios peruenere. Philosophus omnes una uoce salutauit: illi uersa uice resalutarunt. Tunc philosophus. Num, uiri optimi, melius esset, atque fœlicius ab illis curis quæ animos uestros uexant, ab illis laboribus quos perfertis, liberos esse, quam eisdem iugiter occupari? Equidem, respondere. Philosophus deinde. Non uideo quomodo liberi esse possitis, nisi hanc miseram uitam cum morte cõmutetis. Probauit Suicida sentẽtiam, quin addit. Mors est calamitosis egregium munus. hoc æquo animo ferre non potuit fumarij mundator: sed indignatus, suicidam loquentem pingui sermone impediuit, inquiens. Tu id sentis, at ego malem dolijs profulchro supponi, quàm uita hac excedere. PHIL. Nonne quisque uestrum miserrime uitam ducit, cui desunt uestes, desunt cibi, desunt omnia uitæ commoda. SVICIDA. Impudenter loqui uideris ò philosophe: nam uitam inglorie quidem, sed uoluptuose deducimus: nempe phasiani desunt, desunt perdices, & cretica uina, sed uilioribus saturamur, cæpis contenti, allijs, & secundario pane, quæ etiam nos sapidius comedimus, quàm uos phasianos, & capos. quot uestibus indigemus, tot ambimur: nam frigore parũ afficimur, quo uos tenelli, ac delicatuli exanimamini. quoties sues interficio, offam, & salis pugillos in hanc peram latenter abscondo: & si mulieres adsint, iubeo ut catilos, lanceq; ferant, ut interim abeuntes, furta occultare possim. quisq; nostrum lucello, & præda commode uiuit: nemo non furatur. hic si fumarium purget, nonnihil aufert, quod mulieres in fumario condidere: & alij pro sua sorte atque arte idem face-

re

reconantur. PHIL. Num continuo timore infestamini furta: & si pusilla sint detegi? SVICID. Maxime. PHIL. Ergò iugis est, & perpetua pœna uita uestra. SVIC. Omnino: tamen nõ est adeo pertinax, ut mortem optare debeamus, cum hæc omnia pro seruãda uita à nobis fiant. PHIL. Quid si lictores uos caperent? SVIC. Pro re tam uili non capiunt: & si etiam caperent, quisq; pro ingenio suo, aut fugere, aut carcere solui tentabit. Nullus hic est, qui mori uelit. PHILO. Valete omnes. AVL. Nescio an quis alius miserabilior in hac urbe inueniri possit: omnes enim in hunc angulum unà conuenere: tamen nullus est, qui mori uelit, aut cupiat: uel latrinas, uel fumaria purget: uel sues, uel boues iterficiat: uel uitrea uasa, uel herbas, & olera uendat: uel enses, & cultros acuat: uel storeas papyro consarciat: nec ipsi salsamentarij, macellarij, fructuarij huic uitæ concedere uolunt: nec lactarius, & qui ueteres calceos resarcit: & si uno uerbo dicere liceat, nullus ex infimo hominum genere tuam sententiam approbauit. Sed en mi philosophe, occasio datur, qualẽ uolebamus. Mulier quædã Aethiopica ex earum genere, quas Cinganas uocamus, tibi à tergo blãditur, ut nummos extorqueat. PHIL. Scythica est, non Aethiopica. AVL. Ipsa est tibi bonam fortunam dictura, quæ illi parũ adulatur: sed permittas me illam alloqui. PHIL. Vt lubet. AVL. Vis mihi fortunam meam referre, & quæ futura sunt aperire? AETHIO. Id efficiam si deinceps obolum numerabis. AVL. Duos etiã numerabo: caue autem ne me fallas. AETHIO. Extende manum. AVL. En. AETHIO. Duas uxores duxisti, è quibus tres filios nactus es: deim-

ceps fœlicißime uiues, niſi duo obſtiterint, filij mors immatura, & capitis uulnus. Auarus es, & immodica libidine caperis. AVL. Ha impudica atq; improba mulier nihil ueri refers: putabas me defraudare, ut alios ſoles? per Iouem poſthac neminem defraudabis. Suppone colla, ut citius et minori ictu moriaris. AETHIO. Haha domine, quid operoſum ages mulierem interficiens, & pauperculam? Parce precor, parce huic paruo nato. AVL. Mihi uideris fatua, & tibi inuida: nam ſi ab hac inopia liberaberis, ſi tot laboribus finem facies, ſi nihil amplius erit quod optare poßis, ſi deiceps alienas urbes uiſitare non cogeris, ut uiuas, nonne tibi continget res gratißima, res quã potius quærere deberes, q̃ inuentam reijcere? AETHI. Noſtrũ genus aſſuetũ eſt laboribus, immo aliud uiuendi genus conſequi neſciremus, q̃ iſtud: me igitur abire ſinito. AVL. Cur igitur tã temere dicebas, me auarũ eſſe, atq; libidinoſum? AETH. Quoniam rari ſunt ſeniores, qui auari non efficiantur: & rariſſimi homines, quibus libidinis actus non placeant. In reliquis quid prædictura ſim, quo ordine, & quibus ſignis ignoro: nec aliqua eſt noſtri generis, quæ quid dicere uelit. ſciat. Vos eſtis, qui (neſcio qua perſuaſione ducti) putatis nos Scythicas mulieres Chiromantiam, & uaticinandi artem callere, cum & ipſa præſentia nos fugiant. Nos ſemper bona promittimus, ut mulierculis placeamus, & aliquam pecuniolam extorqueamus. Tamen ne ſemper benedicere uideamur, aliquid incommodi addimus: ſed tale, ut non poßit bona peruertere. Certus ſis, nos futuras Cræſo ditiores, ſi uentura prænoſcere ſcire mus. AVL. Vitam tibi munere impartior, & ſimul hãc

monetam addo: hinc cito habeas. AETHI. Dij sint tibi faciles. AVL. Philosophe, nullus est qui in tuam sententiam descendere uelit, quantumcunque mendicus, & ægrotus. PHIL. Nondum claros homines allocuti sumus: sed ignaros solos, & qui ueluti belluæ uitam ducunt. Nunc adeamus artifices, hi forsan nostræ sententiæ inhærebunt. AVL. Et hi quoquæ cum alijs à te discedent. Sed en in pharmacopolæ officina huius generis conuentus agglomeratur, nescio quid simul habeant commercij. Aediles forte præstolantur, qui eos ob immunditias mulctarunt, quas ante officinas spargere nõ cessant. PHIL. Commode offerunt. AVL. Properemus. PHIL. Vt fert ætas gressus accelero, ò uiri probi, ne pigeat in hunc angulum secedere: nam uobiscum de re quadã graui uerba facturus sum. Tunc artifices secedamus inquiunt, hoc enim nihil impedimento est. Hos philosophus in hunc modum alloqui cœpit. Viri fratres, putatis ne summum aliquod bonum euenturum, quo in hac uita fœlices esse positis? Nihil unquam tale euenturum iudicarunt. PHIL. Vos igitur in hac miseria uitam semp ducetis? At illis uisum est hoc nomen, Miseria graue nimis. Quid inquiunt, miseria? nullus est ex his, qui adsunt miser. PHIL. Audite fratres, atq; filij, nec indignemini, si uerbum aliquod uobis asperum uideatur, habetis ne omnia quæ possunt haberi cõmoda? ARTIFICES. Immo potius omnia incommoda. PHIL. Estis ne ab humanis curis liberi? à solicitudinibus mentis? à corporis ægritudinibus? ARTIF. Non sumus, sed his plærunq; nobis etiam nolentibus, afficimur. PHIL. Res uestræ succedunt ne secundũ uo-

ta? ARTIF. Nihil unquam, aut certe raro succedit, immo in dies res nostræ in peius labuntur, & mala figuli rotæ in morem quotidie reciprocant. PHIL. Speratis ne dum hac aura frui licebit, ab his quas retulistis curis uos euasuros? ARTIF. Nunquã. PHIL. At si uobis alia contingeret uita quietior, quæ ab omnibus his curis uos liberos efficeret, non ne illa protinus à uobis cupide quærenda esset? ARTIF. Quam uitam nũc dicis, quæ nos ab his malis liberare posit? PHIL. Illam quæ ab imprudentibus mors uocatur. ARTIF. Nobis imprudentior is uidetur, qui hac uelit priuari uita, ut aliam ignotam uitam ingrediatur, hic deridendus esset, ut Aesopus canem illum suum derisit, qui inspecta carnis umbra uerã carnem dimisit, ut fictam uorare posset: nulla nobis uidetur huic nostræ præferenda uita. PHIL. Ergo nec Deum creditis omnibus præesse, & deliciarum locum habitare, ad quem beatorum animæ perueniant, & in quem boni recipiantur, ut fœliciſsima & inenarrabili suauitate plena uita lætẽtur, et uiuant. ARTIF. Immo nos Deum esse credimus apud inferos malorum ultorem, & qui in cœlis omnium bonorum præmia rependat, tñ nos hic habitare malumus, nempe hac uita nunquam spoliati delicias illas, & iucundas paradisi uoluptates nunquam persensimus, quas si persensissemus, fortè illis allecti hãc præsentem uitam despicere mus, interim uero conabimur, quantum in nobis erit, hic manere. PHIL. Esto amici nulla sit alia uita, q̃ ista, num melius est, à quotidianis curis tandem solui, & ab infinitis laboribus liberari, quam in ipsis tãquam in Prometheis scopulis consenescere? ARTIF. Equidem.

dem. PHIL. Quis est qui in hac caduca & fragili uita continuis curis non affligatur? ARTIF. Nullus. PHIL. Conceßistis (nec dudum) melius esse à curis liberum esse, quam ipsis affici. ARTIF. Maxime. PHIL. Addidistis præterea, neminem esse, qui dolores, qui curas, qui anxietates in hac uita effugere possit. ARTIF. Certe. PHIL. Igitur melius est hac uita quæ est uera mors, priuari, etiam si nulla alia sit uita, quã in illa tot malis, tot discriminibus affectos ĩmorari: nam qui hac uita priuantur nihil amplius sentiunt. ARTIF. Tuæ huic sententiæ nunquã subscribemus, immo totis uiribus conabimur hanc uitam longius protrahere, quàm poßibile fuerit, & conabimur, ut in nobis erit, calamitates, curas, dolores, si non in totũ auferre, eas saltem leuare. PHIL. O bone Deus, uideo uos esse homines irrationales, qui singulas propositiones conceditis, tamen conclusioni quæ necessario sequitur, non assentimini, quippe conceditis nemini in hoc mundo contingere posse, ut uitam habeat calamitatibus liberã. ARTIF. Et iterum annuimus, & re ipsa experimur. PHIL. Conceßistis deinde melius esse ab his laboribus solui, quam in ipsis diutius cõsenescere. ART. Illud etiã elargimur. PHIL. Iudicatis præterea mortem solã eam esse, quæ ab his uinculis uos soluat. ARTIF. Et nunc sponte iudicamus. PHIL. Velitis igitur aut nolitis necessario inferre oportet à uobis, & omnibus nobis mortem esse optandam, esse quærẽdam, & eò eundum quò ipsam inueniamus, ut ab huius mundi curis, laboribus, & angoribus liberemur. ARTIF. Nos è contrario dicimus, nec optandam esse mortem,

neq; quærendam: sed ut fieri potest, fugiendã. PHIL. Num facta ratio hoc infert? ARTIF. Quid ad nos tuæ hæ ratiunculæ? nos uiuere oblectat, & si curæ in dies in sexcentas formas transmutarentur. PHIL. Estis ergo irrationales, qui rationem uidetis, assentimini præmissis, tamen conclusioni absq; ratione, absq; ulla apparenti excusatione terga datis. ARTI. Hoc est quod nos sentimus: tibi tua optio contingat, posteaquam tam ardenter mortẽ desideras: aut forte hoc nobis persuadere tentas, cum tuus animus longe dissentiat. Nunc opus est Aediles alloquamur: en accessere. Valete. AVL. In hoc cœtu nullum artificis genus deerat, tamẽ omnes mortẽ euitare cupiunt: nescio an alter homo inueniri poterit, qui magis laboribus insudet istis. In diuitibus, atq; nobilibus tentandum nõ est an illos in tuam sententiam ducere possis: nam huius mundi illecebris affluunt, & summis delicijs abundant: Paradisum putant mare hoc, quo innatamus: suas habent delicatulas concubinas, & molles amatrices: nectareis poculis, & condito ambrosia cibo uescuntur: palatia habitant ex aromatibus myrrhæ & thuris, & uniuersi pulueris pigmentarij suffita: atria nunc omitto, & cubicula gẽmis & auro decorata: pensiles hortos irriguis floridiores, & terre nos gelida hyeme fœcundos. PHIL. Statueram diuites hos non tentare: tamen ex his nõnullos noui, qui dolorificis ægritudinibus infestantur: unum præ omnibus tentandum elegi, qui uehementissimis podagricis doloribus cruciatur, ad huius domum uertamus iter. AVL. I præ, sequar. Interim senes hi gressus ut decebat ætatem, accelerabant, quoàd podagrici ædes offenderunt:

ualuas

ualuas recluſas inuenêre, ut nobiliũ Ferrarienſium mos eſt: ingrediuntur ueſtibulum, & per impluuium in epiſtylium tranſeunt: ſcalas aſcendunt, quas dextrorſum offendêre: atrium ingrediunt̃, & deniq; ad nobilis ægrotantis cubiculum perueniunt: pulſant, aperitur. Tunc Philoſophus, Saluus ſis, mi patrone. NOBILIS. Vtinam Dijs gratum eſſet: ſed à me longe abeſt ſanitas: quid mihi proſunt diuitiæ? quid ſeruorum chorus? quid nati? quid generis nobilitas? nã hac ægritudine adeo premor, ut uix reſpirare poßim. PHIL. Hæc quæ pateris conſtanti animo ferre debes. nã miſericos Deus plærumq; in hoc mundo triſtia quædam infert, ut uel in altero pœnas auferat, uel eaſdẽ ſaltem remittat: quicquid homo hic patitur, oĩa æquo animo ferre debet. NOB. Cum nemo poßit ſuo fato obſiſtere, illud eo animo, quo poteſt, ferre debet, & totis uiribus conari toleranter ferre: tamen is equidem cæcus eſt, qui podagrã non dico concupiſcit, ſed uel illi puſillum etiã blanditur: neſcio an illi purgatorij luctus, & afflictiones extremæ podagricos dolores æquare poßint: nempe pedibus meis clauos infigi perſentio, & caro quæ oßibus inhæret, eodẽ modo reuelli uidetur, ut ſuilla ſalſamentarij caro reuellitur, cum ad conficienda tuceta oſſa carnibus exuuntur. PHIL. Certe uel Plinius, uel qs fuit ille philoſophus, non ab re ſcriptum reliquit, Satius eſſe nunquam naſci, aut ſtatim in primo lucis ortu aboleri. NOB. Hos pro cul dubio affirmare auſim ſatius eſſe non naſci, aut citius mori, quàm podagricis doloribus affici. PHIL. Non ne etiam expedit eum qui hoc uehemẽtißimo dolore afficitur, quanto citius fieri poteſt, liberari? NOB.

Certé. PHIL. At cum hoc fieri non posit, nisi per mortem, huic ægro mors quoq; optanda est, atq; expectanda? ueluti summum quoddam bonum, quod illum liberat à malis. NOB. Id nunquam dixerim mori melius esse: nã pristinæ sanitati restitui optabilius est: tñ si quis inuitus totã suam uitam in his cruciatibus transigere cogeretur, is mortẽ potius cupere deberet, q̃ tot angustijs, tot doloribus affectus diutius in uita cõmorari. PHIL. Tamen fieri non potest, ut is qui grandis natu sit, & ferè senio cõfectus podagricos dolores euitare possit: propterea hic præ uita mortem eligere debet. NOB. Hic noster podagricus morbus intercalaris est, & in toto integro anno plures habet inducias. PHIL. Interim dum uos inducias habere putatis, quia podagrici dolores absunt, non ne domesticis curis, & familiaribus laboribus occcupamini? NOB. Maxime. PHIL. Nunquam igitur est à malis uel corporis, uel animæ libera hæc uita? NOB. Nunquam. PHIL. Eam igitur deserere potius præstat, quàm sedulo modo corpore, modo animo uexari, & nunquam ab his liberum fieri posse expectare. NOB. Non sunt adeo graues hæ curæ, neq; adeo laboriosæ, ut mortem implorare debeamus, qua media curas illas euitemus. PHIL. Num satius est curis uacare, quàm illis esse impeditum, uel graues sint, uel leues? NOB. Omnino. PHIL. Num id expetendum, quod ab his soluere potest? & ab ea præsertim calamitate podagrica, qua te iterum uexari formidas? NOB. Prorsus. PHIL. Est ne aliquid in hoc uitæ pelago, quo & familiares curas, & mẽtis affectiones, & podagricos labores emendare possis?

NOB.

NOB. Nihil, quod sciam. PHIL. Num omnia hæc incõmoda uitæ exitu corriguntur? NOB. Corrigun tur quidem, uel potius auferuntur, sed alio nõ mediocri dispendio. PHIL. Quo? NOB. Lucis, id est uitæ priuatione. PHIL. Vita humana non ne hæc omnia, quæ superius dicta sunt præstat, in qua nemo sua sorte contentus est? NOB. Prorsus. PHIL. Non ne igit id præ oĩbus eligendum est, quod mali nihil, boni pluri= mum est? NOB. Certè. PHIL. Mors uitæ oppo= sita est, & uita oĩa mala affert, mors uero illa aufert: nã uitæ opposita est. & hæc est oppositorũ conditio, oppo sita facere, Dic igitur, non ne id deterius est quod mala facit, quàm id quod illa aufert? NOB. Maxime. PHI. Est igitur uita morte deterior, & mors ipsa à uere sa= pientibus optanda. NOB. Tua hæc argumẽta aliquid momenti omnino habere udentur, sed non tale, ut ad mortem me allicere poßint, hac uita mirifice oblector, & hoc unum est, quod in summis podagræ cruciatibus me præter modum angit, pauor mortis. PHIL. Non ne mors tuo podagrico dolore melior est? NOB. Et suauior, quia dolorem emendat, tamen dolores istos po= tius ferre uolo, quam mori: nam spe quadam pascor au= ferri dolores posse, & deinceps per temporis spatium absq; dolore superuiuere, nec frustror mea spe. PHI. Interim tñ uarijs curis afficeris, et cõtinuo podagræ ti= more. NOB. Nugæ sunt quas refers, cum semel eua= serim nihil mali amplius futurum cogito, & præteritũ obliuioni trado. PHIL. Si dimidium uitæ tempus cu= ris, & doloribus afficereris, eligeres ne in his consene= scere? NOB. Immo gratißimum mihi foret, & ad de=

crepitã

crepitã usq; ætatem peruenire. PHIL. Quid si maior uitæ pars eodem modo affecta esset? NOB. Adhuc cõsenescere optarem, immo cũ nihil sit uita melius, nihilq; suauius, etiam si toto uitæ tempore ita afficerer, uiuere potius optarem, quam mori: nempe ignoro, quò profecturus sim. PHIL. Igitur fide cares? NOB. In fide non dubito, sed res est dulcissima uita. PHIL. Quare igitur cum primũ huc accessi, et tu ipse dicebas, auferri ab hac uita melius esse, quã his continuis miseriis immorari? NOB. Tunc communi loquendi modo utebar, et non ex re, neque ex animo. Hæc est summarum summa, mortẽ summe abhorreo, & super omnia terribilia odio habeo. uidi multos etiam sæuissimis morbis cruciatos, qui tamen totis uiribus mortem effugere tentabant, quã & deliri ipsi euitare conantur. PHIL. Num multi se ipsos suspendunt? NOB. Hi non sunt fatui, neq; deliri, sed maniaci, et furibundi, cacodæmone agitati. hos, & eos etiam qui se præcipites dant, non solum non puto homines esse, sed neq; etiam animalia. PHIL. Tamen mortem cupiunt, & illam tanquam bonum pro scopo accipiunt. NOB. Certe pro bono accipiunt: sed æque est, ut is, qui meretriculas adit, quas morbo Gallico affectas esse nouit: hic enim morbum cognoscit, affectionẽ uidet, tamẽ irretitus turpi illa tentigine, quam sub specie boni & delectabilis imaginatur, morbum spernit, quem plærumq; magno præmio emit. Et parricida speciem boni accepit, ut hæres esset, tamen rem scelestissimam perpetrat. Qui igitur seipsos necant, quod pessimum est, sub boni quadam specie agunt. Immo ex hoc mortem omnium rerum pessimam esse inferre oportet.

Dic

Dic igitur mi Philosophe, (nunc & ego uersa uice Philosophum interrogabo) si quid sit, quod alio melius sit, non ne omnia eiusdem generis his quæ sunt in alio genere meliora erunt? PHILO. Profectò. NOB. Si mors igitur uita præstãtior sit, quælibet mors quacunq; uita præstantior erit. PHIL. Syllogismo concluditur. NOB. Certus autem sum, te nunquam putaturũ mortem illius qui se ipsum perimit, esse meliorem uita etiam cuiuslibet miserrimi. PHIL. Immo ratione qua mors est uita melior, sed ex conditione agentis peior est: nam hæc est rerum cõditio, hic mos, Quò res sunt præstantiores, eò peiores esse oportet, ut praua agentis cõditio expostulat: cuius rei exemplum habere potes in Eucharistia, qua nihil sanctius, nihil religiosius, si uir integer bono animo consecrauerit: è contrario, nihil deterius, nihil perfidius ratione agentis, si turpi animo cõsecretur. NOB. Vno uerbo te expediam, ò Philosophe: Quando ita tibi lubet, moriaris: ego uitam opto, uiuere cupio, & nihil mihi atrocius uidetur ipsa morte. Abite igitur, & cum mortuis de morte uerba faciatis. Interim ego cum uiuis de uita concertabo. PHIL. Vale igitur mi nobilis uir. Aulice, dies hic mediocri dolore infestatur, & si quis habeat humana commoda, hic unus est. Alium quendam adeamus à teneris annis amicum, qui uesicæ calculo, et renum doloribus cruciatur, quibus (ut Plinius et antiquiores medici censuerũt) nulli alij sunt grauiores dolores. AVLI. Mihi abstinendum uideretur ò Philosophe ab hoc labore. nam si hic, quem tam dire cruciatum uidimus, mortem cuitare studet, neminem puto tibi assensurum, & nos impræsentiarum

tiarum frustra lapidem loturos. PHIL. Tamen argumentis coactus est. AVL. Quid curat ipse argumenta? Interim ad ædes patientis calculum peruenere. Valuæ recluſæ erant, & puer à paleis quibuſdam et feſtucis ueſtibulum emundabat: huic dixit Philoſophus: Quare impræſentiarũ herus tuus occupatur? PVER. Mœrore, & uehementi cruciatu: audiſtin uocem illam magnam, non mediocriter intonantem? PHIL. Audiuimus ualde longe, & miratiſumus clamorẽ. PVER. Is fuit, quem mox reliqui pudenda abſq; pudore oſtendentem, et pecudum more (ex doloris uehementia) manibus ac pedibus ambulantem. PHIL. Mihi ſummè placet, ut illum hac hora conueniamus. PVER. Expectate parumper, quoàd illi de ueſtro acceſſu nonnihil indicem. Quo nomine uocaris? PHIL. Tam cito mei oblitus es, qui quotidie huc accedo? PVER. Parce mihi Philoſophe, neſcio quid mihi obumbrauerat oculos. Ingrediens puer horum aduentum dominno indicauit, qui è lecto ſurgens Philoſopho occurrit in hunc ferè modum exclamans, Sæpeſæpiusq; ad nos ingrederis ò Philoſophe, tamen nulla præſidia tecum affers, nulla tuæ doctrinæ teſtimonia: affer, affer remedia, quæ tam diros cruciatus extinguant. PHIL. Aequo animo feras, nam Deus optimus ſanitatem reddet, & nos nonnihil præſidij nobiſcum attulimus: nam puluerem hunc puſillum ex lithoſpermate, & alijs nonnullis, cum ibis hac nocte cubitum, degluties, qui maximo erit tibi leuamẽto. Sed dic, ò amice (ni tibi ſit moleſtum loqui) cùm lapidis incẽdio perureris, & eius motu dolore angeris, num melius eſſet mori, quàm tam diris affectibus cruciari?

ciari? CALCVLOSVS. Quid inquis mi Philoso-
phe? Mors oblectamentum esset, esset deliciæ: quippe
nunquam spero ab hac efferata ægritudine liberari.
PHIL. Tu igitur ab hac uita solui cupis. CAL. Et
uehementer cupio: immò & singulis diebus mortis au-
xilium imploro, & eam apertis et obuijs ulnis expecto.
PHIL. Aulice hic suasore non indiget: iam uici et pal
mam referre debeo. AVL. Non sum tam leui testimo
nio contentus: permittas me illum alloqui, ut noscam
an serio, uel ioco loquatur. Dic charißime, es ne unquã
uita functus? CAL. Nunquam, tamen hoc percupio,
AVL. At mortis dolores nondum expertus es. CAL.
Immo singulis diebus experior, & nunquam mori finio.
AVL. Sed mortis dolores in centuplo superant illos,
quos in præsentiarum pateris ex calculo: nam Mors
ultimũ est terribiliũ: sed cras (ut arbitror) experieris.
CAL. Vides ne mortis quædam indicia? AVLI.
Nulla profectò. CAL. Cur igitur tam præceps iudi-
casti me cras passurum esse dolores mortis? AVLI.
Ne cures hoc scire. CAL. Obsecro per Deos, si quid
occultum uides, id mihi aperias. AVL. Non possum
tuis precibus non satisfacere: Philosophus hic tibi à cu-
nis amicus, ut uir est insignis & pius, tui misertus est, &
puluerem illum uenenosum emit, ut te ab his affectibus
paucißimis horis liberaret. CAL. Ha improbe &
sceleste Philosophe, non satis adhuc angor, tu tentas no-
stris miserijs ultimum luctũ addere? AVL. Tu igitur
non putas melius esse mori, quàm tam sæuis cruciatibus
uexari? CAL. Non equidem. AVL. Igitur neq;
uita priuari cupis? CAL. Non per Deos. AVLI.

Cur

Cur igitur tam constanter affirmabas hanc uitam tibi fastidio esse, & mortem præ uita eligebas? CAL. Dolor ipse in hæc uerba me duxit, quo infestante quid loquar ignoro. At sedato dolore sententiam muto, & cũ filijs, uxore, atq; amicis consenescere opto, quamuis & nunc grandis sim natu. PHIL. Tu ergo uexari potius elegisti, quàm liberari. CAL. Nequaquam. PHIL. Tamen mors id curabit, et ei opem præstabit, cui nescit uita mederi. CAL. Viuendum est, etiam dolore summe infestante: nam reposita est quædam spes in sinu meo, qua spero adhuc sine calculo me superuicturum. PHIL. Tamen unum est, in quo uideris mortem præ uita elegisse. CAL. Quidnam est hoc? PHIL. Optimos calculorum abscisores per totam Italiam quærere non desinis, ut calculum educant: num tunc morti planè exponeris? CAL. O quàm uaniſsime loqueris: immò hos quæro ut uiuam: uir es pinguis Mineruæ: uideo me hũc dolorẽ diu nõ esse laturũ, ut annos aliquot meæ uitæ addam, hoc dispendium subire non uereor: quod etsi periculosum sit, tamen multos etiam euasisse nouimus. sed en dolores iritantur, intenduntur, parcatis obsecro, si pudenda detexi, nam cogor ubique mingere: hinc abeatis obsecro, quoniam & simul inter mingendum excerno. PHIL. Vale, & puluerem illum deglutito: nam uenenosus non est, sed ita tibi dixit Aulicus, ut probaret an ex animo diceres, quando mortem uitæ præferebas. AVL. Vidistin quo cruciatu, quo acerbo & uehemẽti dolore teneretur pauperrimus hic uir: obriguit penis, stillabat sensim, uix oculi temporibus coërcebantur & sua orbita, eius facies tanquã ignis exardescit, tamẽ diu

uiuere

liuere cupit, tot miserijs atq; calamitatibus afflictus. PHIL. Ex his est, qui sensu, & non ratione ducuntur: sed Philosophos, atq; Theologos adeamus, qui naturæ secreta cognoscunt, & qui huius uitæ indignitatem, & alterius uitæ præstantiam nouerunt: hi statim in nostrā sententiam descendent. Interim religiosos omittere decreuimus, quos mortem odio habere nouimus, & uitam summopere diligere, et qui Dei amore incommoda euitant: hos uerò omittam, ne quis ex bonis offendatur. AVL. Ne hos uiros posthabeas: nam si quis tibi assensurus sit, ex hoc genere erit: nam peccatis carent, esuriunt, sitiunt, uigilant, de nocte surgunt, ut psalmos & orationes cantillent, in patriam festinant. PHILO. Nolo huius generis uiros irritare: intus & in cute illos noui. Si quid uerißimum depromerem, quod in eorum mores aliquid faceret, statim hæreticum me uocarent: adeo omnia, quicquid ea sint, ad fidei articulos deducūt. Nos uerò quicquid de his sit, id reducamus in cumulum uirtutis, & meritorum, & inscitiam fingentes uulgarium mores imitemur, antiqua scilicet mulorū uestigia sequentes. AVL. Suborta est mihi ambiguitas, ò Philosophe. PHIL. Quænam? AVL. Si mors desideranda est, quisq; igitur se ipsum perimere deberet, ut finem suum assequeretur. PHIL. Hoc fieri non debet: tu non ne putas homines esse sub Dei potestate, & ab ipso custodiri? neq; aliquem ex eius custodia (ut Plato inquit) eo inuito aufugere debere? AVL. Ita reor. PHIL. Si quis ex tuis seruis seipsum, te inuito, interficeret, num illi irascereris, atq; si posses, pœna afficeres? AVL. Omnino si possem. PHIL. Quum Deus homines

mines poßideat, nemo ſeipſum interficere debet, niſi Deus neceßitudinem aliquam impoſuerit, quam euitare non poſſet, aliter poſt mortem ab illo punietur, qui & animam ipſam punire poteſt. AVL. Diligenti ratione ſuaſiſti, neminem ſeipſum interficere debere: ſed mihi in hoc obtempera: Duo ſunt in carceribus occluſi, ſenex et iuuenis, ambo plectendi capite, eos inuiſamus obſecro. hi fortè prius à religioſis irretiti in tuam ſententiam deuenient. PHIL. Vt lubet. Tunc pedibus addidere alas, ad carcerem perueniunt, et ſtatim loci pœnalis commentarienſem magiſtrũ imueniunt: cui dixit Aulicus, quid agis mi Philaciſta? hic reſpõdit, Lictores expecto, qui duos quoſdam miſellos damnatos capite ad Prætorem conducant. Hic ſubridens dixit, Cur huc acceßiſtis? uultis ne condi, & carceribus ſeruari? AVL. Dij auertãt: ſed hos miſerrimos (ni refugerint) lubẽter alloquemur: ſunt ne uno in loco? PHILACISTA. Non: ſed in hac prima cuſtodia iunior clauditur, ſatis belle ad mortem præparatus. In illa ueró, quæ dextrorſum eſt, ſenex continetur, quem nullus uir probus ſolari poteſt, nullus illi ſuadere poteſt, ut mortem, quã promeritus eſt, libenter ſubeat. Hic igitur locus eſt, in quo iuuenis clauditur: ſi placet, ingredimini. Poſt hæc carcerem ingredientes, Aulicus in hæc uerba prorupit: Deus te liberet, ut Ionam fecit de uẽtre ceti. Tum iuuenis decollandus hoc audiens dicit, hac re indigeo: ſed poſteaquam huc acceßimus, hàc eundum eſt. Tunc Philoſophus, Quàm fœlix es, et ipſa iuuẽta illuſtris, qui cras ſub aurora miſerias humanas ſub imperio habebis, immortali uita donaberis, pro mortali & caduca: quid

aliud

aliud expecto ego præclarius, q̃ ab his miserijs auferri? IVVENIS DECAPITANDVS Hac sorte contẽtus sum, cùm Dijs ita placuerit, & mea coinquinata scelera promereãt. PHI. Confide fili, et hæc constãti animo feras: iam uideo tuæ constantiæ præmium apud superos in martyrum choris parari. AVL. At si fieri posset, non potius uiuere malles? IV. Malim profecto. PHIL. Ne illum in uitæ amorem reuocemus Aulice. AVL. Esto: ad senem accedamus, nam hic iuuenis libenter à uita decedit, quia mortis iudicium rescindere non potest. Adde iuuenes ob imperitiam uitam minoris facere quàm senes: propterea singulis diebus iuuenes inconsideratè uitæ discrimina subeunt. Senem uerò decapitandum partim fatuum existimo, partim sapientem: fatuum, qui tam odiose ferat quod euitare non potest: sapientem in diligenda uita. Sed en audi ipsum senem eiulatibus cõquerentem. PHIL. Senem quidem audio, sed pueris comparandum. Iamq; senis custodiam ingrediebãtur. Tũc Philosophus altiori uoce intonuit: Quid agitur? Vnus ex his qui senem solabantur, pro cunctis respondit, nos totis uiribus huic seni suadere conamur, ut læto animo cũ sanctis angelis in beatorum choris cohabitare uelit, & æterna uisione frui: sed corpori, et sensibus nimis indulget, mortem effugere cupit, à qua dissolui nullus est nunc modus. Tunc Philosophus, Simite me illum alloqui. Cur ita sæpe suspiras pater, ac suspiria multis cũ lacrymis immo de pectore trahis? ubi illa tua constantia, qua tot uiros impauide trucidasti, tot in milites etiam solus grassatus es? SENEX. Ha ha, sum hìe ferè dolore exhaustus, uita priuare me parant, quã

omnium rerum dulciſsimam puto. PHIL. Num audiſti uulgatam Platonis ſententiam, Humanam uitam peregrinationem eſſe? opus eſt peregrinum eò tandem peruenire, quò à ſuperis deſtinatum eſt. huc acceſsiſti, in cœlũ uocaris, num lætus in patriam abibis? Quis peregrinus adeo fatuus prope patriam conſtitutus, regredi tentaret? iam occupas propriũ ſolum, cur lætus nõ ingrederis? dimitte, dimitte tuam hanc mollitiem, quæ nec ſatis infantili ætati conuenit. SEN. Certè uera ſunt quæ refers: tamen non poſſum non ægre ferre mori, qui adhuc per aliquot annos ſuperuiuere potuiſſem. PHIL. Et per quot annos? octogenarius es, quam ætatem pauciſsimi, quos æquus odit Iupiter, attingunt, & nondum es hac laborioſa uita ſatur? SEN. Id me uehementer angit, quòd mea morte non moriar. PHI. O bone uir, nulla eſt alicuius mors, ſed cuiuſcunque quælibet. Quid refert (inquit Seneca) mori cæſim, an punctim? Voluntariam mentem præpara bonorum optimo, id eſt morti conſentientem. SEN. Mori neceſſe eſt, etiam ſi noluerim: tamen quòd ſponte & lubenti animo id efficiam, nulla ſunt argumenta, quæ id ſuadere poſsint. PHIL. Dic mi pater, necant ne merentem, uel immerentem? SEN. Merentem, & eum qui nec decem uitis ſatisfacere poſſet. PHIL. Si igitur merentem necant, non ſolum non ægre ferre debes: ſed te ipſum ſponte præſtare debuiſſes, ut purgarent, & occiderent. SEN. Vtinã aufugere potuiſſem. quæ animalia mortem nõ fugiunt? Ipſæ etiam aues clatris roſtro perfractis extra caueam abuolare nituntur. PHIL. Nihil merent, & ſunt bonorum ignaræ: ſi tibi gratum ſit, ex Platone tibi oſtendam,

dam, quòd non solum non erat fugienda mors, sed abs te imploranda, & quærenda. SEN. Nugæ sunt, & puc= rorum deliramenta. PHI. Eia igitur incipiamus. Iu= stum omne, ut iustum est, non ne bonum? atq; pulchrum? SEN. Maxime. PHIL. Si quis agit, non ne opus est aliquid pati? SEN. Quomodo hoc ais? PHIL. Si quẽ percutias, agis: non ne opus est illũ qui percutitur pati? SEN. Prorsus. PHIL. Immo opus est eadem ratione patiatur, qua percutitur. SEN. Non accipio. PHIL. Si aliquo fine percutiatur, non ne opus est eodem fine pa tiatur, quo percutitur? SEN. Equidem. PHIL. Rur= sus dare pœnas, non ne est aliquid pati, & ab aliquo a= gente, scilicet puniente? SEN. Omnino. PHIL. Qui punit, num iuste punit? SEN. Iustè: sed & nonnunquã iniustè. PHIL. Nemo iniustè punit, cùm is qui iniustè punit, non puniat, sed iniuria afficiat eum, cui sub falso punitionis nomine malum infert: post hæc qui punitur, num iustè patitur? SEN. Iustè. PHIL. Omne autem iustum bonum est atq; pulchrum, ut superius cõcessisti. SEN. Concessi. PHIL. At quod bonum est & pulchrũ, num honestum, uel utile, uel delectabile? SEN. Ita ar= bitror. PHIL. Vnusquisq; igitur, qui malum aliquod perpetrauit, punitionem quærere debet, ut iustitiã su= beat, quæ illi honesta erit, aut utilis, aut delectabilis: Cũ ergo tu pessimè egeris, ne puniri ægre feras: immò for= ti, atq; temperanti animo fructuosam horam expecta, qua purgaberis, & ab animæ prauitate liberaberis. SEN. Hæc omnia uera esse cognosco: tamen inops ani= mi, concitari non possum. PHIL. En alia ratione uta= mur: Si corpus & anima (ut eorum exigunt naturæ)

æqua paßione tenerẽtur, cui citius remedium præstare deberes, animæ, an corpori? SEN. Animæ. PHIL. Qui morbus pollutior est, qui ue magis uerendus (etsi æquè cõmaculent) animæ, an corporis? SEN. Animæ. PHIL. Et huius rei hæc est causa, quia anima est excellentior corpore, num istud ais? SEN. Maxime. PHIL. Quæ autem ars à corporis morbo nos liberat? SEN. Medicina. PHIL. Igitur cum corpus ægrum est, medicum uocas, & summè peritum, qui te sanitati restituat, cæteriq; ita faciunt? SENEX. Ita solent. PHILO. Quid si medicus inurere cogatur, membra abscindere, amara potui dare, num hæc subeũt, uel refugiũt. SEN. Subeunt omnia, ut sanitati restituantur. PHIL. Cum uero sanitati restituti sunt, à corporis morbo liberi euasere, nõn ne? SEN. Ab eodem. PHIL. Donasti superius animam corpore præstantiorẽ esse, et animæ morbum corporis morbo longe peiorem, totq; subimus incõmoda ut corpus sanetur, nõne et maiora discrimina pro sanãda anima subire conueniet? SEN. Ignoro qui nam sint morbi animæ. PHI. Iniusti, grassatores, parricidæ, fures, auari, fœneratores, non ne morbo animæ afficiuntur? SEN. Certe. PHIL. Sed quis ab his morbis liberare potest, si cui resipiscenti purgari placuerit? SE. Neminem ex mortalibus scio. PHIL. Suntne qui puniant, & homines meliores reddant? SEN. Prætores, ut arbitror. PHIL. Recte sensisti: nam incipientes furta committere flagellis purgant: qui purgati deinceps res alienas uident, & intactas prætereunt: alij rursus perseuerantes auribus priuantur, atq; naso: si altius ægritudo radices iecerit, hos acrius purgant, & longe amario

ri

ri pharmaco utuntur. Sunt ne igitur Prætores, qui animam morbo liberant? SEN. Ratione infertur. PHI. Eras ne æger anima, & praue affectus, id est grassator, fur, homicida? SEN. Maxime omnium. PHIL. Ha ha pater cur lictores expectasti, qui te caperent? te ipsum sponte Prætori offerre debuisti, & ab illo animæ sanitatem protinus petere: sicuti si corpore ægrotus fuisses, à medico petijsses. SEN. Nimius est hic dolor, quẽ Prætores inferunt. PHI. Quid ais? delectatio est: num curari à medico delectabile est? & ægri maxime gaudẽt cum actu curantur? nempe futuram sanitatem expectãt? SEN. Certe. PHIL. Non est igitur dolendum, esse in medicorum animæ manibus, qui illam purgent: immo potius hic anima æger delectatione affici debet. Quisquis igitur qui animam suam graui quadam ægritudine affectam habet, cuipiam iudici sponte se offerre deberet, & ab eo purgatoria medicamenta expetere, quibus purgatus in pristimam sanitatem anima restituatur, sitque sui ipsius accusator, et morbum (ut dicitur) obuia manu gerat, atq; omnia ægritudinis incommoda Prætori uti medico referat: deinde purgatoria pharmaca subeat, quæcunq; illa sint, uel mutilet, uel flagellis torqueat: immo si opus fuerit, capite mulctetur, suspendatur, quoàd anima medicamento reintegrata conualescat. SEN. Tamen non paucos noui grassatores, homicidas, omni scelerum genere deturpatos, qui & Prætorem, & lictores summopere cauebant. PHILO. Insensati erant, & his sensuum imaginibus decepti, & omnium penitus insanissimi: his similes, qui morbo corporis affecti sese medico concredere nolunt, amara pharmaca reformidantes, ut

pueri faciunt. SEN. Vir optime, his uerbis ita animum meum instituisti, ut sedatè, ne dicam uoluptuosè, mortis discrimina patiatur. PHIL. Iubilet igitur animus tuus, gestiat, oblectetur, qui capitis ablatione purgatus in cœlum aduolabit mundus, immaculatus, & à sanctis angelis inter martyres coronabitur, quiescet absq; dolore, absque ulla mœroris labe. Iam lictores instare uideo, ut Prætori præsenteris. Vale, & huius animæ pharmacum percupide bibe: illa uitijs exonerata, atq; purgata, ante summi Tonantis tribunal accedet. AVL. Dedisti huic seni satis commodum medicamentum: certus sum, primos illos hortatores nunq̃ in mortis consensum hunc inducturos esse: immo nec tu ipse induxisses, nisi morien di necessitas instaret. PHIL. Cum hic senex argumentis coactus nostræ sentẽtiæ inhæserit, dignus sum ut præmia reportem. AVL. Non acquiescit sponte, quod suspiria ostendunt: sed nisi ui capite mulctaretur, libenter tuum hoc pharmacum nõ biberet, immo nisi illum in uitæ amorem uel memoriã perducere uererer, tibi ostenderem illum summopere mortem abhorrere. Sed nunc opportunius erit philosophos aliquos, atq; theologos adire, qui si tuis argumentis subscribant, mihi ipsi conditiones imponam. PHIL. Nosti philosophum illum antiquæ disciplinæ, grauem unà, & theologum cõsummatissimum, qui non raro mecum domestice obambulat? AVL. Noui. PHIL. Illum adeamus, qui unus erit pro cunctis. AVL. Lubet. Tunc iter ad philosophum philosopho peramicum inchoarunt, sed affuit occasio, qualem non putarant: nam eius famulum inter eundum inuenere, qui cursim, & anhelans gressus festine trahebat.

Quorsum

Quorsum, inquit philosophus, adeo raptim uolas? Tũc famulus. Ad auditorem peccatorum accersendum, qui dominum meum uisitet, & ad hanc pagendam uiam hortetur. PHIL. Quid ais? oppressisti me: nunc agitur tertius dies, quo simul de cœli natura, deq; angelis in foro differebamus: ò uita nostra misera, & tanquam uitrum fragilis, an ægrotaret ignorabam. FAMVLVS. Languet, spiritum ab imo pectore trahit, uiaticum recepit, iunctus est, & is qui aliàs adeo sapiens fuit, nunc mortem abhorret, & summopere in uitam anhelat. PHIL. Sine religiosum suis preculis uacare, ego eius uice fungar, & operam dabo, ut ab hac uita sponte recedat. Ad huius ædes peruenere, et uestibulum ingressi imbecillẽ, & tristem ægri uocẽ audiere. Tunc philosophus his uerbis cubiculum ingreditur. Quid hoc amice? ubi tua illa animi magitudo? ubi philosophica constantia? ordinem naturæ considera: illuc ibis, unde ueneisti. AEGER. Iamdiu est, quòd hæc mente reuoluo, noui que hanc esse omnibus communem uiam, quam nemo euitare potest: sed pauore quodam, nescio an humano, uel ferino extimulor, quem non possum à cogitatione repellere. Videor uidere corpus hoc uita, gustu, tactu, & alijs sensibus priuatum putrescere, in uermes conuerti, atq; uorari. PHIL. Nunc profecto mihi sine sensu esse uideris, quoties uereris, ne illi corrumpãtur, & ne caro hæc putrida uermibus dometur: non ne putas animã ab hoc corporeo carcere solutam rerum naturas expeditius percipere, & ea etiam quæ sensu capiuntur, præstãtius attingere, q̃ cum est in ipso corpore clausa? AEG. Maxime. PHIL. Quid perfectius, quid ue excellen

tius, aliquid rei flaccidæ, atq; statim perituræ, gustu sentire, uel gustus rationem, & Ideam noscere, qua omnia gustui subiecta tenebis? AEG. Ideam & rationem. PHIL. Hæc Idea non ne promptius ab anima, quæ sit corpore libera, quàm ab eodem impedita percipitur? AEG. Valde. PHIL. Immo corporei sensus plærunq; impediunt, quoties ægritudo sensus obtũdit, ut ne queant eorum sensuum, qui affecti sunt, sensilia tractari. AEG. De cæcis, atq; surdis exemplum esse potest, qui de coloribus atque sono parum iudicare possunt. PHIL. Es ne unquam in Platonis operibus uersatus? AEG. Sæpius. PHIL. Quid inquid ille hominem esse? AEG. Animam claustro mortali clausam, corpusq; umbraculum hoc tegens, ne optimorũ bono fruatur, scilicet ne Ideas rerum cõtempletur. Immo tam diu angitur, tam diu mœstitijs ac doloribus afficitur, quàm diu hoc carcere detinetur. PHIL. Cur igitur times, cur tam pauidus contremiscis si compedibus, & fæculenta custodia liberaberis? num illum desipiẽtem putares, qui cæco carcere putrido & fæculento solui posset, tamen in ipso diutius ĩmorari niteretur? AEG. Hunc ualde riderem, nouiq; has meas lachrymas esse uanas: sed non possum non amare hanc uitam, in qua tam diu sum uersatus, & dolere in discessu. PHIL. Aegrè fero ego, & non possum non indignum putare tam prudentem Philosophum, ac sapiẽtem, tam egregium Theologum, atq; consummatißimum, qui nihil nõ uestigatum reliquerit, mortem adeo timide & pueriliter expauescere, quod Philosophum non decere constat. AEG. Sed utinam huic philosophico studio non nauassem: hoc

est

est, hoc inquam, quod me deterruit: nã sæpius circa animæ naturam philosophatus sum, & apud me adhuc sub iudice lis est, quid de ea futurum sit. PHIL. Ha uir egregie, quæ nunc audio? num putas animam per se à corpore liberam esse, & mortem nihil aliud esse, quàm corporis ab aĩa solutionem? AEG. Omnino. PHIL. Dic, est ne Philosophi opus uoluptates sequi, uel eas longius euitare? AEG. Quid inquis? PHIL. Debent ne Philosophi pocula ingurgitare, epulas uorare, uenereis commaculari, egregijs uestibus indui, uel his frui ut necessitas compulit? AEG. Vt necessitudo expostulat. PHIL. Verus ergo philosophus debet animam ab his corporeis oblectamẽtis habere expeditã. AEG. Debet si uerus est. PHILO. Num uulgus hos putat mortuos, qui uoluptates deserunt? AEG. Ita putat. PHIL. Num philosophi tunc maxime speculantur, tunc maxime contemplantur, & uiuunt, cum animam in sese recipiunt, ac colligunt, nihil uident, nihil audiũt, nullo sensu fruuntur, sed penitus à corporeis rebus auelluntur? AEG. Maxime. PHIL. Non ne est philosophi officium speculari? AEG. Est. PHIL. Num melius libere atq; expedite speculari, q̃ impediri? AEG. Melius. PHIL. Num corpore impeditur? AEG. Et hoc impeditur. PHIL. At philosophi munus est optare liberum esse, & eò melius speculari posse, quò fieri possibile sit. AEG. Valde. PHIL. Si quis igitur uere philosophus est, & philosophiæ muneribus gaudet, mortẽ ipsam, quò citius fieri potest, optare debet, ut sit speculationibus liber, et agilius in omnes Ideas penetrare possit, Deiq; similis fiat. Immo si uerus

est

est philosophus, dum hac uita fruitur, id est hoc caduco corpore circumcingitur, à uulgo mortuus existimatur, qui omnes illorum uoluptates deseruit, omnes cupedias atq; libidines spreuit. Edit, bibit, induiturq; ut uiuat, posteaquam ita Deo placuit: non uiuit, ut his curiose fruatur. AEG. Audio nouum Socratem uera hæc inferẽtem, & referentem. Ea ratio, quam nuper adduxisti, suadet philosophum corporis mole oppressum eius finẽ attingere nõ posse, immo quàm maxime à corpore secedit, tam altius scientiarũ abdita penetrat. Sed unum est, quo uehemẽter extimulor, quod nuper tanquam uerum asserebam. PHIL. Quid nam hoc est? AEG. An anima huius corporis uinculum exeat, uel potius cum eo simul intereat: & unus sit hominum & iumentorum (iuxta Solomonis sententiam) interitus: nam ante horã in syncopin incidi, & ea non paruo spatio affectus sum. Interim nihil intelligebat anima, nihil speculabaẽ, nihil sensu cognouit: quid tunc agebat? quid feriabatur? PHIL. Hoc ignoras? Ipsa obesis corporeis clatris ligabatur, cuius mores dum in ipso est corpore, pati necesse est. Putabam te humana quadam fragilitate, & cõsuetudine mortem expauescere: sed hoc multo deterius est, quo illam expauescis: nempe hæresim sapit: & quam hæresim? eam quæ non solum Christianam religionem, sed omnes etiam bonos mores aufert. Sed ò præclare frater, ne hoc animo hinc recedas. nam si tibi gratum sit, argumenta parabo, quibus animam immortalem esse & tibi & alijs suadere posßim. AEG. Nihil mihi gratius contingere poterit. PHIL. His igitẽ omißis, quæ ex præcedẽti disertatione colligi possent, alia quædam

sequamur

sequamur indicia, & paulo altius maiora argumenta exordiamur, ut mentem hanc inanem, quæ à religione Christiana discedit, in suam orbitam reducamus. Eia igitur. Quid esset miserius homine, qdue infœlicius inter cuncta huius mundi animantia, si corpus & anima uno interitu morerentur? qui semper corporis imbecillitate, animi inquietudine perturbatur, quid inquã infœlicius? cum cætera animantia, etsi corpore afficiantur, nihil mente sua, nisi quod præsens est, percipiant: cum hoïes & prætëritorum malorum memoriam habeant, & ea quæ futura sunt, prænoscant, & prædoleant?

AEG. Certe nullum animal homine miserius esset.

PHIL. Tamen animal est Deo proximum, quod illum colit, honorat: tamen habet uitæ terminum belluis uel æqualem, uel parum differentem, & est ad plura minus idoneum: nudum ab utero uenit, cum alijs secum uestimẽta nascantur. Ideo non est credendum hoc animal nihil habere, quo cæteris animantibus præstet.

AEG. Habet omnino, & id est Intelligere.

PHIL. Nihil homini contingere põt deterius, quàm Intelligere, si animus cum corpore perit: nam passiones, & miserias intellige re, atq; meminisse miserijs cumulum præbet: propterea aliud esse oportet, quo homines bruta excedant: sed hoc nihil aliud esse potest, q̃ animæ immortalitas: quæ quoties est soluta corpore, præmijs afficitur, si Dei mandatis paruerit: & pœnis, si eisdẽ obstiterit.

AEG. Hæc tua ratio probabilitatem quidem dialecticam sapit, sed à demonstrationis natura longe distat.

PHIL. Quid opus est in his rebus demonstrationẽ quæramus? nempe quod probabile est, sufficit necessitati coniunctum, cui

Christiana

Christiana fides adijciatur, & plurium philosophorũ opinio, & in suscitandis mortuis miracula à Sanctis facta. AEG. Et miraculis fidem non præsto, & num mortui in lucem redierint ambigo. PHIL. Eane credis, quæ à dignis fide uiris, pdita sunt memoriæ? AEG. Maxime. PHIL. Hæc à sanctis uiris, quorum fides scietia est, maximisq; philosophis scripta sunt: quatuor inquam Euangelistis primo: deinde Hieronymo, Augustino, Gregorio, Ambrosio, Hilario, Chrysostomo, & reliquis Christiani dogmatis proceribus: his nisi assentiri uolueris, cur historiographis tam facile fidẽ præstas? AEG. Scripsere historici quæ nihil ad illos. PHIL. Hi quoq; celebratissimi uiri nunquã miracula descripsissent, literisq; mandassent, nisi illa propriis oculis uidissent: hac eadem ratione nullis historicis, nullis emolumẽtis credendum esset: sed hæc aliàs. Nunc ad animã ipsam redeamus, communibusq; argumentis, & tibi notis, sed forte ægritudinis ui oblitis, animam immortalem ostendamus. AEG. Huic nodo summopere incumbendum est, ut ambiguitas à nostra mente recedat. PHILO. Esto bono animo, Deiq; implorato auxilium, qui tibi in hac ultima calamitate opẽ ferat. AEG. Sit mihi præsto Deus, mentẽq; dirigat, et ipsius misericordiæ lumine illustret. PHIL. Ita igitur incipiamus. Anima seipsam mouet, & primo, an ab alio mouẽ? AEG. Seipsam primo mouet: sed p accidens, ut inquiunt. PHIL. Seipsam mouet, & primo mouet: sed hic motus est uita, ergo sibi ipsi uitã præstat. assentiris ne? AEG. Assentior. PHI. Cum uero in qualibet natura sit perpetuus sui ipsius amor, & idem nunquam deserat seipsum, nunquam uiue-

re

re desinet: immo quia ipsa est motor, & motus est uita, nunquam mouere cessabit, ne seipsam perdat. Immo si mori dixeris, aut prius esse, quàm moueri, auferetur: aut prius moueri quàm esse, aut unà moueri, & esse subtrahentur. Non primum, quia motus non potest esse seorsum ab essentia: nec secundum, etenim spontaneus motus id concomitatur, quod semper motum facit: nec tertium, quippe nulla mutatio potest illi ab intrinseco uel extrinseco aduenire. Non ab intrinseco, quando ex ipsa motus uitalis atq; uiuificus aduenit: nec ab extrinseco, quia fons motus aliunde moueri nõ potest. Est igitur immortalis & æterna. AEG. Hæc ratio nonnihil habet maioris efficaciæ, quàm præcedens. perge obsecro: nam gestit animus propriæ naturæ et æternæ cõsentiẽs. PHIL. Argumenta hæc (ut nosti) demonstrationis argutiam non sapiunt, sed ueri simili a sunt necessitati propinqua, quibus Christianæ fidei lumen addere oportet. Eia, scio te Aristoteli multum incubuisse: nonne ille tertio de Anima libro dicit, Sensitiuum non sine corpore esse: Intellectiuum uero separatum esse posse? AEG. Ita ferè scribit. PHIL. Intellectus nonne anima? AEG. Certe. PHIL. Anima igitur separata à corpore subsistit. AEG. Sed alibi eodem in libro de Anima oppositum refert. PHIL. Esto, sed ubi citatam propositionẽ describit, proprium dogma aperit. alibi uero conditionate oppositum recensuit: Præterea formæ unitæ materiæ nonne per motum, et mutationem materiæ in actum reducuntur? AEG. Prorsus. PHIL. Idem Aristoteles libro de Animalibus intellectiuam animã ab extrinseco aduenire dicit: non est igitur materiæ commista: im

mo

mo ab eadem remoueri potest, & per se esse. AEG. Satis constant hæ rationes, sed obsecro Aristotelem, & Ethnicos philosophos posthabeamus: nam ego, ut sectator CHRISTI, illis minime fido. PHIL. Non despicio hæc tua uota, sed illis maxime parendum censeo. Dic igitur, si quid corrumpitur, nonne in contraria corrumpitur, habetque contrarium, & est ex contrarijs constitutum? AEG. Ita est. PHIL. Quæ contraria habet anima, ex quibus constituta sit? AEG. Nulla, nisi contrariorum rationes quas tenet dixeris esse contrarias. PHIL. Hæ uero rationes contrariæ non sunt, alioqui in uno essent duo contraria. AEG. Certum est. PHIL. Humanus igitur animus incorruptibilis est. AEG. Ex prædictis optime infertur. PHIL. Cœlestia etiam corruptione carent, quia eorum materia ab his corruptibilibus aliena est. AEG. Ob id æternè mouẽtur. PHIL. Sed anima qua materia concreta est? nam omnes rerum species (ut inquiũt) immaterialiter recipit. AEG. Nulla. PHIL. Ex te igitur inferas immortalem esse hominis animam. AEG. Sexcenta noui huius generis argumenta, quæ passim in omni commẽtariolo diuulgantur: nunc res expostulat ut altiores quasdam rationes adducas, quibus mens mea uehemẽtius irritetur. PHIL. Vt lubet. Dic igitur, putas ne unam esse omnium materiam omnibus communem, an hac ratione suadebo? AEG. Fateor sine pugna. AVL. Sed ita sermones temperes ò Philosophe, ne mens mea uage discurrat. PHIL. Cur id ais? AVL. Ego, qui philosophicis decretis operam non dedi, ut uos dedistis, illa ignoro, quæ æger tanquam uera sua spõte elargitur, & nisi interpretaberis, horas

molestę

moleſte feram. PHIL. Tu ergo reſpondebis, et ægrum hoc faſce leuabis. Vidiſti Solem uapores quoſdam ab aqua eleuare, quos in aerem transformat? AVL. Vidi. PHIL. Hi uapores ſunt ne aqua, an aer? AVL. Aqua erant, poſtea in aerẽ uerſi. PHIL. Eſt igitur aquæ pars quæ fit aer? AVL. Ita arbitror. PHIL. Dic poſtea, manet aqua cum fit aer, an in nihilum corrumpitur, priuſquam fiat aer? AVL. Quid ſit reſpondendũ ignoro. PHIL. Putas ne naturam ipſam aliquarum rerum perniciem uelle? AVL. Minime. PHIL. Optime inquis. At ſi aqua quoties fit aer, in nihilum euaneſceret, tunc natura in rerum perniciem exultaret: propterea opus eſt aliqd aquæ ſeruari: immo ſi uniuerſa euaneſcat, nonne opus eſſet ſolem ex nihilo prædictum aerem facere? AVLIC. Maxime. PHILOSO. Philoſophis autem & ipſi naturæ non conſentit, Ex nihilo fieri aliquid: nempe id eſt diuinum munus, nec reſtat ſub aere aqua, quia inuicem aer & aqua, calore, & frigore opponuntur. AVLIC. Accepi. PHILOSO. Aqua frigida eſt atq; humida: calidus et humidus aer: igitur nonnihil eſt, in quo conueniunt, et nonnihil, in quo differũt. AVL. Hoc noui: calido & frigido diſſentiunt, conueniunt humido. PHIL. Si ergo ex aqua fiat aer, num opus eſt humiditatem retineri? AVL. Certe, quia hac in natura conueniunt, frigiditatẽ uero abeſſe oportet. PHI. Quàm optime infers, uir es Minerua dignus. Sed ſi humiditas ſupereſt, num alteri inhæret? AVL. Quomodo ais? PHIL. Illa humiditas æque eſt qualitas, ſicuti albedo. at ſemper chartæ, ligno, aut lapidi inhæret albedo: num & humiditas ipſa cuipiã inhærebit? AVL.

Experiar

Experiar an te accepim: illud intelligis, corpus subesse humiditati. PHIL. Intellexisti. Cui igitur ex aqua fiat aer, humiditas & materia supsunt, frigiditas abest: Præterea si ex aere fiat ignis, num eadē ratione opus est maneat aeris materia, et caliditas ipsa? AVL. Communis est utrique pedi calceus. PHIL. Eadē est in omni re dispositio: opus est supesse materiam nulli corruptioni subiectam, quam philosophi primam nuncuparunt. AVL. De hac re certior fieri cuperem. PHIL. Cognoscitur hæc materia per analogiam quādam ad res artificiales, quia ars imitatur naturam: nam figulus uasa & pateras argilla conficit, quæ si frangantur, adhuc supereſt argilla, ex qua & alia eiusdē generis, uel diuersi generis fingi possunt: nosti hæc? AVLIC. Noui, sed quò tendunt? PHILOSO. Scis materiam non posse ex eo quod est mutari? AVLIC. Scio: quippe natura non finit res in nihilum euanescere. PHILO. Est'ne aliquid supra materiam? AVL. Quomodo ais? PHIL. Corpus hoc nostrum materia est. habet ne aliquid quod illi dominetur, & imperet? AVL. Certe. PHIL. Hoc non ne est rationalis anima, quæ est cuius materiæ domina, regina, & præses? AVL. Est, ut opinor. PHIL. Non ne dignius est, atq; conuenientius, Regem & dominum esse magis incorruptibilem seruo et subiecto? AVL. Quid inquis? seruos noui ualidissimos, & dominos imbecillissimos, & ægros. PHILO. Hoc nihil ad rem facit: si dominus in suo esse & ualetudine seruum gubernaret, & à domini sanitate serui sanitas dependeret: non ne opus esset dominum sanitate frui, si seruus sanus esse debeat? AVL. Maxime. PHIL. Eandem conditionem habet

anima

anima respectu materiæ, quam habet dominus respectu serui. AVL. Nunc accepi. PHIL. Iam concessisti materiam incorruptibilem esse. AVL. Concessi. PHIL. Quanto igitur magis rationalis anima, à qua omnis materia depẽdet, incorruptibilis erit? AVL. Perpulchre infers: sed nescio an ægrotanti satisfacias. AEG. Iam uana illa à nostra mente coercetur opinio: prosequaris obsecro: nam in patriam uocari desidero: nihil hic stabile, nihil firmũ. Mors instat, qua uobis etiam præsentibus, & non prænoscentibus eripiar. PHIL. Dic Aulice: Quod alicui per se conuenit, potestne ab eo quando que separari? AVLIC. Dicam illud Aristhophanis, ἀμαθέστερον πῶς ἐπὶ καὶ σαφέστερον. Dic aliquanto imeruditius, & apertius. PHILO. En circulus suapte natura rotundus est, erit ne circulus qui non sit rotundus? AVLI. Nunquam. PHIL. Id est quod per illam propositionem intelligebam: Quod inest alicui per suam naturam nunquam ab eo separari potest. AVL. Concinne declarasti. PHI. Omne quod est, num est per suam formam? AVL. Certe. PHIL. Forma igitur illa est, quæ esse impendit? AVL. Omnino. PHIL. At anima nõ ne est forma contrarijs, et materia carens? quæ esse tribuit? AVL. Maxime. PHIL. Immo tali ratione dat anima esse corpori, ut illi nihil uicißim corpus rependat: nam si corpus aliquid animæ daret, uel esset eius forma, uel materia: non materia, quia materia recipit, non dat: nec forma, quoniam illa forma, quæ animæ daret esse, fuisset forma: et non hæc quæ anima dicitur: propterea nihil est quod animæ hoc elargiatur, ut esse tribuat. Igitur à seipsa hoc habet. AVLI. Planè. PHI-

LOSO. Si à se ipsa hoc habet, & alijs ut sint impertitur: igitur & sibi ipsi hoc idem impertiri debet. AVLIC. Maxime. PHILO. Nihil autem inueniri potest quod seipsum pimat, uel natura sui ipsius interitū tētet. AVL. Ita puto. PHIL. Quum igitur anima sit sui ipsius esse, et reliqua omnia quæ sunt animata propter ipsam sint, anima semper erit, aliter sibiipsi nō esse præstaret, ac uellet. AVL. Optime accepi, sed nescio an æger assentiat. PHIL. Nisi assenserit, rursus ipse dicat: Animæ natura num est sibiipsi hærere? AEG. Est. PHIL. Igitur eius esse illam sequitur, ratione qua sibi hæret. Præterea non ne constat nihil à seipso dissidere? AEG. Maxime, quia inter se, et ipsummet nihil ītercedit, quod ipsum à seipso separare posit. PHIL. Si ergo quatenus hæret sibi, eatenus est: semper hæret, ergo semper est: anima uero est eiusmodi forma: igitur anima est immortalis. AEG. Non possum nō resilire ab impia illa opinione, quæ animam meam in hoc discessu perturbabat. Id prorsus nunc teneo nihil tam uerum esse, nihil tam certū, atq; indubitatum eorum quæ auribus haurio, oculis corām intueor, & manibus teneo, q̄ illud quod argumentis prodidisti, Animam scilicet esse immortalem: hoc ueritas inspirauit, Philosophi plures comprobarunt, huic omnium hominum consensus subscripsit, Martyres sanguine testati sunt, sancti uerbis et moribus expressere, tradidit CHRISTVS, Dæmones confitentur. Quid amplius curo mortem? quam nuper asperam, & inhumanam iudicaui: nunc illam placidam, nunc benignā uoco, atq; inuoco, ut citius me expediat, citius ab his malorum inuolucris liberet. PHIL.

Cur

Cur tibi prius uidebatur inhumana priuatio hæc, quæ Mors dicitur? AEG. Quoniam antiquiores historias mente uolutanti nullus occurrebat, præter unum Socratem, qui hanc non fugeret, & qui illi non maledixerit: Animal nõ est quod mortem euitare non tentat. Postea in mentem ueniebat Paulus electionis uas, qui ardore uiuendi captus mortem aufugit, è fenestra per sportam demissus. Alter Paulus primus Eremita, ne diem ultimũ clauderet, præsidum tormenta fugiens solitudinem furtiue petijt: & ipse CHRISTVS sudauit unà, & ingemuit morte illi ab angelo prænunciata: tamen eius uestigia sequi debemus. Quot sanctos legimus, mortis conditione impeditos, fugam attentasse? Mos est hominũ atq; brutorum uitam cõmendare, diligere, obseruare: è contrario mortẽ detestari, odio habere, & quò longius fieri possit, aufugere. Hunc nostrũ mentis discursum Aesopi Phrygij fabulatoris apologus sequebatur: hic senem fingit è monte abscissa ligna deferentem, qui longa uia defatigatus, lignis depositis, mortem uocitabat. Astitit Mors, Quid uis, inquit, cur tam crebro me uocas? Senex præsente morte exterritus, quam absentem uocabat, subitam excusationẽ inuenit, inquiens: Magno hoc lignorũ pondere ferè detritus te uocabam, ut opem ferres. Nihil aliud hac fabella docuit uir ille fabulis ueritatem tegens, quàm omnes homines esse uitæ amatores: et si sexcenta incommoda, sexcenti labores, sexcenta rerũ discrimina subeant, nunquam tamen naturæ satisfacere cupiunt. Nonnulli lingua solum, & summis (ut dicitur) labris mortem ipsam, dum abest, inconsulte uocare solent: cum uero præsens est, ægre ferunt, & eam magno

mixu pellere conantur. AVL. Perbelle Aesopus. AEG. Auicenna præterea in libro De uiribus cordis non solum non esse optandam mortem, sed neq; ab hominibus cogitandam docet. AVL. Et optime. AEG. In præsentiarum uero tuis argumentis optime philosophe illustratus uanas illas cogitationes effugaui, quæ nihil aliud erãt, quàm antiqui hostis deceptiones, mens mea desciuit ab illis. At benigne philosophe, & mea salus, obsecro te ne amplius me audiendo, & te dicendo delasses, fœlici omine abeas: nam sentio animum istum in primo mortis limine esse, nunc nunc naturæ satisfaciet, atq; in cœlum (ut spero) euolabit. PHIL. Vale igitur, amice charißime, uale fœlix: hodie uisitabis sanctam Hierusalem, in Angelorum atq; Sanctorum cõsortio omnipotentis Dei uisione frueris. I præ, nos ad te ocyßime aduolare speramus. Proinde creatorem deprecaris, qui nobis admissa remittat, atq; eius lumine illustret. Valle rursus. AVL. Quàm miserrimum est humanum genus? tot labores patitur, tot subit incommoda, deniq; brutorum more occumbit: hic uir diu studijs, atq; disciplinis insudauit? quid nũc illi prosunt hæ artes? PHIL. Quid prosunt? non parum prosunt, si plurimis Theologis credendum est, qui censent peritos homines indoctos in cœlo gloria superare. Rursus non est res misera mori, nec miseri sunt qui disciplinis uacant. Adde probos, atq; doctos uiros ab hac uita perpolitos abire, indoctos uero, & improbos rubigine cõfectos, iuxta illius philosophi sententiã, quisquis fuerit, qui humanam uitam ferro cõparauit: hoc si nimis exercueris, conteritur: si non exercueris, rubigine consumitur. Ita homini

moriendum

moriendum est, qui si in disciplinis uersetur, cõteritur: si nihil agat, marcore, & desidia consumitur. At pulchrius est nitide, & perpolite mori, quàm rubigine & mala desidia consumi. Propterea pulchrius est ardenter uigilare, insudare, & ob disciplinas algere, quàm turpiter uino, Venere, atq; pluma sepultum obdormire, & tam dignis laboribus abstinere. AVL. Egregie philosophus ille percensuit. Nunc uero quò eundum? Num satis expertus es neminem uelle mori? PHIL. Nobiles supersunt, Principes, Reges, qui sunt magis aduersantes hostes, quàm in hac mea sententia comprobanda habere poßim. hos deseramus, ne fabulam cantemus surdis, & Aethiopem inalbemus aqua: quin (si fieri posset) uitam infinitis diuitijs emerent. AVL. Propter quid non solum homines, sed & bruta, mortem totis uiribus effugere conantur? PHIL. In brutis est quidam naturæ impetus: in hominibus uero, in nonnullis est humana fragilitas, uel stimulus peccati, uel modica & ferè sopita fides: uel habitus, nescio quo flagitio mente receptus: nemo hanc fugere debet, uel præsentem timere, cùm nullum sit illi remedium: nam illam timere, nihil aliud est, quàm sapientem uideri eum, qui non est sapiens, ut Plato inquit in Apologia. Quippe cùm id sit uideri scire, quæ nesciat: nemo enim scit, utrum mors summum bonorum sit: metuunt autem proinde ac si esset summum malorum, quod tamen nesciunt. Idem in Gorgia scribit, Mori nullus formidat, nisi omnino rationis expers, atque ignarus. Quin & si uerum scripsit Aristoteles primo Ethicorum, capite secundo tertij tractatus, Mortuo nec bonum, nec malum esse, ocyßime mo-

riendum est: quippe à malis soluimur, & in non malum proficiscimur. AVL. Esto mori præclarius sit, quàm uiuere, quod genus mortis tibi uidetur eligendum, & à Deo optimo maximo impetrandum? PHIL. Inquiunt Senecæ mortem generosam fuisse, & alijs minus molestam, cui omnes uenas in balneo secuerunt. & naturalis mors infesta non est, qua ex lõga ætate humores sensim absumuntur, & tunc homo subducitur, quò uires robustiores euadunt, ut lucerna facit olei consumpto alimento: tunc enim lux extinguitur, quum splẽdor increscit, & micans quoddam splendoris lumen euanescit. Verumtamen & id genus mortis ab homine desiderandum puto, quod Iulius Cæsar optabat, repentine inquam à uita submoueri: nam homo eripitur nescius an tollatur, omnium malorum expers, quæ ante mortem cruciare solent, et illam terribilem reddũt. Est summa fœlicitas (inquit Plinius libro septimo, capite quinquagesimotertio) repentine mori: infinitosq; hac morte defunctos cum nobiles, tum principes recenset. O fœliciſsima mors, quam uulgus insanum execratur, nihilq; putat esse atrocius. Immò nihil instãtius à Deo impetrãt, quàm à subitanea morte liberari, habentq; suas quasdam preculas ad hunc finem, ut Pater noster sancti Iuliani, & Intemerata. O uaniſsimum uulgus, deberes non genus mortis petere, sed contritionem. At, inquiunt, petimus hoc, ut cõfiteri poſsimus. O belluæ insensatæ, nõ id quærendum, sed deprecãdus omnipotens ut det anteaquam sint ultimi dies sui recordationem. Deprecantur ferè in hunc modum, Volo uitam prauam ducere, tu da bonam mortem (ita enim uocare solent mortẽ non repentinã).

Id non

Id non est à Deo petendum, sed bona conscientia, qua sit semper paratus, cùm uenerit hora, nec curare an repentina sit, an retardans mors. Immò ne ægritudinis ui distorqueamur, corporis languoribus afficiamur, repentina mors potius optanda, & eligenda: cùm multiplex sit doloris genus in morte, quæ ad longam ægritudinem sequitur: nam opus est hominem prauis affectibus, & diuersis angoribus uexari, amara pharmaca deglutire hominibus ualde molesta, inungi, obscœna membra detegere. & ægrum maximè urget molestia eorum qui assistunt inseruientes ægro. Vulgus iterum clamitat hũc esse infœliciſsimum, qui nec testamẽtum condiderit, nec fuerit extrema unctione perunctus, & aqua exorciza-ta aspersus: desunt qui plorent in recessu. O rursus uaniſsimum uulgus. si hic uerus homo fuit, & non bellua humana pelle contecta, non adeo expectauit in condendo testamento, ut hora indigeat, uel ita se gesſit, ut nihil eo indigeret. Illas uerò inunctiones, & aquæ aspersiones maxime laudo. At si quis uir ꝓbus sit, Dei amicus, quid si cũ his, uel sine his ab hac uita decedat? Immò (ut quisq; nouit) mortis dolorem conduplicant, & triplicant deinde fatuarum mulierum atq; puerorum luctus. O quãtum Thraces Italos, & reliquos orbis populos sapientia excedunt, qui in amicorum, parentum, atq; filiorum morte iocantur, saltant, choreas agunt, conuiuia atque tripudia, ueluti de eo qui uitæ miserias effugerit. In ortu plorant, mœrent, de eo qui uitæ labores ingreditur, quiq; tot incõmoda subijt. Epicurei præterea mortuos non esse plorandos censent, & in XII. Tabulis de hac re lex habetur. Quin et Plato suis in Legibus libro duo

decimo sancit neminem mortuos plorare debere, quorum animæ ierint ad meliorem uitam. At si quis uel insanus plorare uoluerit, extra domũ prohibeatur, agat domi suæ quid uelit. Optarem sospitatorem nostrum CHRISTVM oĩbus Christianis id ĩdulsisse, ut nemo ploraretur, & oẽs diem suum in eius gratia repentina morte obirent. Massagetæ populi sunt hac in re ualde prudentes (ut Diuus Hieronymus secundo in Iouinianũ libro refert) qui ex ægritudine morientes infœliciſsimos putãt. Sed unum est quod agunt à Christiano dogmate abhorrens: nam debiles & senes interficiunt, eorũ miserati conditionem, ne ex ægritudine moriãtur. Hæc est summa, & totius rei nodus. Si quis sapiat, & mentis ratione constet, cùm æternæ uitæ fœlicitatem nouerit, & animæ immortalitatem, ut ab his miserijs, ab his labyrintheis inuolucris seipsum liberet, quãto citius fieri poſsit, mortem optare debet: uerùm non adeo concupiscere, nõ adeo ardenter efflagitare, ut fiat alter Cleombrotus Ambraciota, qui se præcipitem dedit. AVLI. Quid dicendum sit nescimus: id uerò scimus, Nemimem adhuc in tuam sententiam descendisse: nullus est qui libenter & totis uiribus mortem non effugiat. PHIL. Omnes ratione carent. AVL. Nullus igitur apud te rationem habet. Sed hoc nihil ad me. Neminem ad hanc usq; horam tuis argumentis cogere potuisti, ut tecum esset: herbam igitur porrige, & tibi met conditiones impone. Eia & tu ingenue fatearis, uelles ne mori? PHI. Absit in præsentiarum mors: tamen si me mori contingeret, non adeo ægrè ferrem, ut uulgus insanum facit. Cæterum uictor es, fateor, dedo me tibi: Nemini mors

placet.

placet. Sed hodie unà prandebimus, post prandium meũ librarium cubiculum ingredientes, præmium reportabis, quod in angulo propè feneſtram latet. AVLI. Quidnam eſt? PHIL. Videbis: nunc domum properemus. AVL. I tu, ſunt mihi negocia quædam peragenda, ſtatim ſequar. PHIL. Hora appetit. AVLI. Appetit? I præ, hunc uirum breuibus alloquar. PHI. Ego hic interim ſedebo. AVL. Ne ſedeas, eamus.

SENEX. Arbitror ad Dialogi finem iam peruentum eſſe. BRAS. Et iam ad ægri limen peruenimus. SENEX. Hic ſedendo tamdiu immorabor, quoad ægrum uiſitaueris, & dulcioribus uerbis ſolatus fueris. BRASA. Sedeto: nam ego ad illum ingrediar. SE. Cur tam cito rediiſti? an ne eſt ſpes ulla ſalutis? BRAS. De corporis ſalute nulla prorſus, ſed de animæ ſalute maxima: quoniam adeſt Reuerendus & conſummatiſsimus Hieronymus Papinus, qui illi aptum cœlum ſua incredibili facundia demonſtrauit, ut nihil aliud optet ægrotus, quàm illuc aſcendere, & ſuam illam beatam animam in Abrahæ ſinum collocare: iam iamq; in locum in quem peruenire cupit, euolabit. SE. Dij faxint. At in receſſu ſi tibi moleſtus nõ ero, Emplaſtra quæ in pharmacopolijs ſunt perpendemus. BRAS. Quomodo moleſtus eſſe poteris ſi itineris laborem auferes?

SENEX. I.

Cum ergo tibi lubeat, ut de Emplaſtris uerba faciamus, à nominis ratione exordiri cõueniet. unde deducitur nomen hoc Emplaſtrum? BRAS. A uerbo græco quod

eſt

est ἐμπλάττω, id est formo, & fingo, unde ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν, quod est fingere, & formare emplastrũ deriuatur. SEN. Videbitur ergo potius nominandum esse emplatton, quàm emplastrum. BRAS. Ita profecto est, & Galenus in primo de Compositione medicamentorum per genera utitur uocabulo ἔμπλασον, classe quinta, pagi. 210. F/ cum ait. Simili modo nec herbæ solæ emplaston pharmacum efficere possunt. Quare primi emplastrorũ authores nõ temere ex oleo quoque metallica coquere excogitarunt, quæ liquefieri possint, liquefacere, ac siccas herbas cõtusas, cribratasque eis adijcere. SE. Cur postea dictum est emplastrũ, si uel emplatton, uel emplaston nominari deberet? BRAS. Fuit additum ϱ. dictioni inter σ. & ο. & deinde in usum cessit, ut emplastrum diceretur, & ab antiquis etiam fuit nomen hoc emplastrum usurpatũ, & Galenus plærunq; hoc nomine emplastrum utitur. SEN. Quicquid sit à formando nomen habet. BRAS. A formando, imquã, & fingendo, licet & alia finganĩ ac formentur medicamenta. Paulus libro septimo, capite decimo septimo, simplicia quæ emplastra ingrediũtur in metallica partitur, & in lapides, in terrã, in fæces, in cineres, & in conchylia: hæc omnia sub metallicis contineri possunt. Diuidit et in oleosa, inter quæ alia sunt lachrymæ, alia liquida, alia liquores, alia succi. semina, radices, et herbas raro recipiunt emplastra. SEN. Immo maior pars hæc nostro tpe recipere uidetur. BRAS. Illa recipiunt, quia uere emplastra non sunt, sed potius cataplasmata. at eiuscemodi nominũ distinctio haud magnifacienda est: sed ad rem ipsam redeamus, & tu secun

du m

dum illum quem seruasti ordinem emplastra referato. SEN. Aliàs à me dictum est, hæc absq; ullo ordine esse descripta. BRAS. Ordinem in presentiarum uoco, si id primũ referas, quod primo in tua scheda scriptum est

SENEX. II.

Ita efficiam, sed è crumena scedam prius educere oportet: en iam adest: emplastrum de Crusta panis primũ occurrit examinandum. BRAS. Non habet authorem ut arbitror, hoc emplastrum. SEN. Non quòd sciuerim. BRAS. Immo habet authorem, Montagnanam scilicet, uerum intelligo authorem nõ habere antiquum. & inter medicinæ proceres numeratum. SE. Quid ad me facit antiquitas, modo affectui prosit, pro quo confectum est. BRAS. Immo non mediocriter prodest uomitui, cum uehemens est, & homo, uel puer cibum continere nõ possit, breuiq; tempore suo munere fungitur. SE. Audiui munus suum in semihoræ spatio efficere. BRAS. Fortè nondum in semihora emplastri uis ad uẽtriculum penetrauit, sat est quod id breui efficiat, tu uero interim emplastrum de crusta panis, quod paratum seruas refer to. SEN. Hoc parari iubeo, & seruo.

Recipe Mastiches
Mentæ, Spodij } Singulor. drach. I.
Corallorum rubrorum
Crustæ panis infusæ in aceto per semihoram unc. II.
Olei mastichini } Sing. unc. I.
Cotoneorum
Farinæ hordei quantum sufficit.

Misce, & fiat emplastrum BRAS. Alij sunt pharmacopolæ, qui idem profecto seruant pondus, sed plura

recipiunt

recipiunt simplicia, quàm id habeat quod seruas, nam ita conficiunt.

Recipe Mastiches
Mentæ siccæ
Spodij
Corallorum rubrorum
Sandalorum alborum
rubrorum
} sing. drach. I.

Crustæ panis infusæ in aceto unc. II.

Olei mastichini
Cotoneorum
} Singulor. unc. I.

Farinæ hordei unc. I. & sem.

Misce, & fiat emplastrum secundum artem.

SE. A meo non differt, præterquam quòd sandalos recipit albos, & rubeos, qui in compositione mea haud recipiuntur. BRASA. Nota omnia esse probe miscenda, ut ad minimam commixtio fiat. Nonnulli sunt idiotæ q̃ in hoc casu panis buccellã accipiũt in acetum intinctam, quando fuerit ustulata, alij intingũt in creticum uinum, postea sequenti puluere aspergunt.

Recipe Cinnamomi
Mastiches
Gingiberis
Gariophyllorum
} Singulorum drach. I.

Misce, & fiat puluis subtilissimus. postea panis buccella supra uentriculum extendatur, nã uomitus ipsa sedatur, & profectò optimum est præsidium licet uulgare sit, & ab idiotis ac mulieribus paretur, breuiq; à uomitu liberat, & concoctricem uentriculi uim roborat: & licet gingiber ac gariophylla calida sint, tamen uim quã-

dam

dam habent adstringẽtem hocq; emplastrum absq; igne fieri debet, panem probè conterendo & reliqua in puluerem redigẽdo, scitoq; panis crustam prius debere esse probè ustulatam, antequam in acetum infundatur. SE. Quænam est crustæ panis uis? BRASA. Cum supra scintillas ustulatur uim habet adstrictoriam, quæ illi maior inest cum fuerit aceto imbibita, acetum uero reliqua quæ simul sunt mista penetrare ad amußim facit.

SENEX. III.

Emplastron Diaphœnicon uocatum sequitur. BRASA. Compositio est apud Mesuẽ, à palmulis quæ ingrediuntur nomẽ sortita. SE. Haud inscius sum. BRAS. Non ne conficis tu, ut à Mesue conficitur. SE. Mesue cõpositionem referto, & tunc an ita conficiam respondebo. BRAS. Ita parat Mesue.

Recipe ceræ uncias duas.

Olei rosacei
Nardini } Singulorum unc. IIII.

Misce, & fiat cerotum. Deinde

Recipe dactylorum siccorum numero. XL.
Tortellarum de scœni drach. V.

Postea per biduum in odoratum uinum infunde, & cotoneorum carnẽ in uino decoctorum ad drachmas septẽ accipito, & terantur cum dactylis contritione exquisita, cerotoq; misceantur, & in mortario adeo cõtundantur, ut unà iuncta uideantur ac sint, postea adijce.

Masticbes
Olibani
Absynthij romani sicci } Sing. drach. II. & sem.

Ligni

Ligni aloes
Macis
Myrrhæ
Aloes
Spicæ
Acatiæ
Galliæ
Ramich
Calami aromatici
} Singulorum drach. I.
Laudani drachm. II.

Miſce, & iterũ conterantur donec ſimul mixta ſint. Deinde ex eo ſuper laminã line, et ex xylo aloe ſuffumigato, & ſupra ſtomachum pone iecur, et uiſcera. eius autẽ uis amplior eſt, ſi maſtiche & ladanum cum cera et oleo miſceantur, et ita cum cæteris emplaſtrum conficiatur. SE. Emplaſtrum diaphœnicon quod ſeruo hoc præciſe eſt quod retuliſti. BRAS. Omnes eodem modo conficiunt, nõnullis demptis, qui decem tortellorum de ſcœni drachmas apponunt. SE. Quid uere intelligendũ eſt per tortellos de ſcœni? BRAS. Diuerſi diuerſa imaginantur, alij etenim inquiunt eſſe panem azimum biſcoctum, alij dicunt eſſe panem ex lacte confectum, nos biſcoctum panẽ intelligimus, qualis ille eſt qui Venetijs paſſim uenditur & uocatur biſcoctelli, fit etiam Ferrariæ, ſed non paſſim uenditur ut Venetijs, illi uero ample decipiunt, qui panem elixum accipere uolunt. nonnulli ſunt qui in hac compoſitione apponunt carnis cotoneorum uncias octo. at mihi potius arridet ut ſint drachmæ octo. Nota præterea id quod dicitur galliæ, ab aliquibus exponi ideſt gallas quercuum, & ab alijs gallas omphacitides

citides. gallæ profectò uim habent adstringendi maiorem quàm gallia, tamen gallia potius intelligenda est, quia membra magis roborat, & si gallia sit quod suspicari oportet, nam et ramich appositum, quæ est Mesue cõpositio, propterea tu moscatam Mesue galliã subintelligito, notaq; hoc emplastrum à recentibus uocari emplastron diaphœnicon calidum, cum tamen multa recipiat quæ calida non sunt, sicut et aliud uocatur frigidum, licet multa recipiat quæ frigida non sunt. SE. Ad quos competit eiuscemodi emplastrum affectus? BRASA. Ad stomachum roborandum & iecur cum in uehementem inciderint imbecillitatem, et mollificationem, uentrisq; profluuijs aduersat, & iecorario præ omnibus. SE. Quid facit biscoctus ille panis in hac compositione? BRAS. Præter id quod adstringit, ualet etiam ad cõpositionem, & ad omnium aliarum rerum miscellam. SE. Per ramich quid uere intelligendum est? BRAS. Cõpositionem semper intelligendam suadeo, quæ apud Mesuem constat inter trochiscos numeratam, quam ramich uocat, est uero compositio, quæ multas alias ingreditur. cum ergo apud Mesuem leges uocabulũ ramich, compositionem quæ sequitur intellige, quia apud alios sunt diuersa ramich, at illud quod à Mesue conficitur hoc est.

Recipe succi herbæ acetosæ unc. XVI.
bulliat ebulitione unà cum rosarum unc. I.
Granorum myrti unc. II.
percolentur & cum eo misce.
Gallarum recentium unc. III.
& adhuc coquãtur, deinde puluerizentur supra ea

Foliorum

Foliorum roſarum unc. I.
Sandalorum macazari unc. I. & pars quarta.
Gummi arabici unc. I. & ſemis.
Carnium ſummach, Spodij } Singul. drach. VIII.
Succi agreſtæ drach. VII.
Succi granorum myrti unc. IIII.
Ligni aloes, Gariophyllorum, Macis, Nucis moſcatæ } Singul. drach. IIII.

Omnia ſimul inuoluantur, & extendãtur in ſcutella lapidea donec ſiccentur: deinde tere ſicut alchool, & cum camphoræ aur. I. & aqua roſacea fac trochiſcos ſubtiles, & exicca in umbra. Nonnulli loco ſucci acetoſæ cotoneorum ſuccum acetoſorum immaturorum tantumdẽ ponunt. Et ſunt aliqui qui aromatizant ex quarta parte drachmæ muſci. SE. Hæc uidetur magna compoſitio. BRAS. Magna profecto eſt, ſed eſt Meſue ramich, quo in cõpoſitionibus Meſue uti debemus, quando iubet accipiendum ramich. nam & apud Serapionem, ſunt ſua ramich, ſed Meſue compoſitionem ingredi non debẽt, quoniam Meſue ramich in his recipiendum eſt. SE. Reperitur ne apud antiquos emplaſtrum hoc diaphœnicon? BRAS. Non quod ſciuerim, tamen Auicẽna in quinto Canone eãdem ferè conficit compoſitionẽ, ſed illam unguentum uocat, non emplaſtrum, dicit uero Vnguentum quod confert ad uehementiam debilitatis hepatis, & ſtomachi, & uentrem lenit, & retinet aſſelationem epithimatum.

Recipe

Recipe tortellorum de scœni pondus drach. IIII.

Alchena
Absynthij } Singulorum pondus drach. II.
Olibani

Myrrhæ
Aloes
Aderirati } Singul. pondus drach. I.
Xylo aloes
Acatiæ

Laudani pondus unc. II.
Cotoneorum mundatorum decoctorum drach. VI.
Dactylorum numero L.

Ceræ
Olei nardini } Quantitas cũ qua fiat unguentũ.
Rosaceì

Infunde dactylos & tortellos in uinum, & accipe cotonea, & illa munda corticibus, & granis suis, deinde ea coque in uino, donec mollia sint, & cũ decocta sunt, tere ea bene, & permisce illa cũ dactylis, & tortellis, deinde commisce ea cum tortellis donec misceantur, & ceram cum oleo liquefacito, & tere reliquas medicinas, & cribella eas, & pulueriza eas super ceram liquefactam cũ oleo, deinde aggrega ea simul in mortario, et permisce ea in eo donec bene permisceantur, deinde extẽdito super lanã, idest super pannum, & pone ipsum supra iecur & stomachum. Hæc Auicenna. SE. Diuersum est hoc emplastrum à præcedente, & in ponderibus, et in cõficiendi modo: at in simplicibus nõ est magna differẽtia, tamẽ uidi etiam nonnullos, qui secundum apud Mesuem Em=

plaſtrum quod diaphœnicõ dicũt, deſcriptione Alexãdri conficiebant, quod membra nutritionis roborat, & ad uentris profluuium, ac uomitum confert, et ad colliricam paßionem, & dyſenteriam ualet, & ad epaticum pro fluuiũ, & ad malitiam aliſtimbre, et ad ſtomachum recipientem ſuperfluitatem à membris alijs. BRAS. compoſitionem referto. SE. Hæc eſt quæ ſequitur.

Recipe dactylorum uicinorum maturitati ſine oßibus unc. V.
Tortellorum de ſcœni unc. I.
Carnium cotoneorum coctorum in uino ſtyptico unc. I. & ſemis.

Styracis
Maſtiches } Singulorum drach. IIII.
Laudani

Acatiæ
Succi agreſtæ
Florum uuarum agreſtium
Sandalorum citrinorum } Singulo. unc. IIII.
Ramich
Myrrhæ
Xylo aloes

Ceræ unc. IIII.
Olei roſacei unc. XV.

Vini pontici quantũ ſufficit ad infundendum infundenda & confice ſecundum artem. BRAS. Hoc eſt Diaphinicon emplaſtrum uocatum, frigidum, ſcito efficacius

ficacius esse præcedente ad dysenteriam, & ad bilioſum profluuium. SE. In quo loco describit ipsum Alexander? BRAS. Apud Alexandrum illum nunquam inuenire potui, immo nec potest esse Alexandri compositio, quia Alexander in compositione sua Ramich non reciperet, quod est Arabica compositio, nõ Græca, neq; etiam in sua compositione posuisset tortellos de sœni, qui fiunt apud Mauritanos, et non apud Græcos, quanquam apud Græcos fieret etiam biscoctus panis, forte Mesue alium habuit authorem Alexandrum nomine, à quo emplastrum istud accepit, uerum apud Alexãdrũ Trallianum libro quarto capite primo ubi de Podagra agit, phenicœum emplastrum reperitur, quod ex palmulis confectum est, & dicit huic morbo medendo mirificam potestatem obtinere, si eo cum oxyrhodino diluto utare. SEN. Nil aliud quam palmulas recipit? BRAS. Recipit et oleũ rosaceum. per agrestæ succũ, omphacinum uinnum intellige: & per uuæ agrestis flores, labruscæ flores intelligito. Nota deniq; Galenũ mẽtionem facere emplastri thinicini, quod palmæ succum recipit, in primo de Compositione medicamentorum per genera.

SENEX. IIII.

Emplastri de melilo to

Emplastrum de Meliloto sequitur. BRAS. Et hoc est apud Mesuem, at quomodo illud conficis. SEN. Vt Mesue cõficit. BRAS. Quomodo agas referto, nam plærunq; compositiones alio modo cõficis, quam ab ipso authore referantur. SE. Ego hanc ita conficio.

Recipe Meliloti unc. VI.
Florum chamæmeli
Fœnu græci
Baccarum lauri
Radicum althææ
Abſynthij
} Sing. drach VIIII.
Seminum apij
Cordumeni
Iridis
Cyperi
Ameos
Spicæ
Caſiæ ligneæ
} singulorum drach. IIII. et ſemis
Sampſuci drach. VIIII.
Ammoniaci drach. XXX.
Styracis
Bdellij
} Singulorum drach. V.
Terebinthinæ unc. IIII.
Ficuum pinguium nº XXXVI.
Sepi caprini
Reſinæ pini
} Singulorum unc. VII. & ſemis
Ceræ citrinæ lib. I. & ſemis
Olei de ſpica
Sampſucini
} Singulorum lib. III.
Cum decoctione facta ex
Fœnu græco
Chamæmelo
Meliloto
} Singulorum quantum ſufficit.
Miſce, & fiat emplaſtrum. BRAS. En quomodo nō
abre fuit te tuam prodere compoſitionem, quia in pon-
deribus

deribus à Mesue compositione longe diuersa est. SE. Tu modo illam Mesue referto. BRAS. En refero.

Recipe meliloti. unc. VI.

Florum chamæmeli
Fœnu græci
Baccarum lauri
Radicum althææ
Absynthij
} Singulorum drach. III.

Seminum apij
Cordumeni
Iridis
Cyperi
Ami.
Anisorum
Spicæ
Casiæ
} Sing. drach. I. & semis

Sampsuci drach. III.

Ammoniaci drach. X.

Styracis
Bdellij
} Singulorum drach. V.

Terebinthinæ unc. I. & semis

Ficuum pinguium nº. XII.

Sepi caprini, Resinæ ℈ Sing. unc. II. & sem.

Ceræ unc. VI.

Olei samsucini, de spica ℈ Sing. q̃tum sufficit.

Aquæ decoctionis fœnu græci
Chamæmeli, Meliloti
} quãtum sufficit ad infundendum infusione diligenti. Misceantur, & conficiatur. SEN. Magna profecto est in ponderibus dif

ferentia, inter id quod facio, & hoc Mesue, tñ ad hanc usque diem Mesue compositionem conficere arbitratus sum. BRAS. Quando conficiebas à quo authore desumebas? SE. A quodam libello manuscripto? in quo omnia composita seruo medicamenta eo modo quo præceptor meus uir diligentißimus me conficere docuit. BRAS. Et in hoc male docuit. At sunt alij pharmacopolæ, qui & Mesue ponderā, & tua euariant. SEN. Quomodo hi conficiunt? BRAS. Ita ut sequitur.

Recipe Meliloti unc. VI.
Florum chamæmeli
Fœnu græci
Baccarum lauri
Radicum althææ
Absynthij
} Sing. drachm. III.

Seminum Apij
Cordumeni
Iridis, Cyperi
Ami
Anisorum
Spicæ
Castiæ
} Sing. drach. semis

Sampsuci drachm. III.
Ammoniaci drachm. X.
Styracis, Bdellij } Sing. drachm. V.
Terebinthinæ unc. I. & sem.
Ficuum siccarum numero XII.
Serapini
Resinæ
} Sing. unc. II. & semis.
Ceræ unc. VI.

Olei

Olei sampsucini
de Spica } Singulorum unc. VI.

Aquæ decoctionis chamæmeli fœnu græci, & meliloti quantum sufficit ad infundendum infusione diligenti, misceantur, & conficiatur. SE. Reperitur ne apud antiquos Arabes eiuscemodi descriptio? BRAS. Cur non petis an sit apud antiquos Græcos? SE. Quia hæ compositiones apud Arabes pro maiori parte inueniuntur. BRASA. Serapio duas habet compositiones de meliloto quas uocat dimadh de Meliloto. SEN. Ne pigeat obsecro illas refere. BRAS. Non piget, hæ sunt quæ sequuntur.

Recipe meliloti drach. L.

Ammoniaci
Gelculicubat } Singulorum drach. X. alr.

Ammoniaci
Galliæ } Singulorum drach. C.

Ceræ drach. CC. aliter XII.

Spicæ drach. XX.

Cyperi
Cordumeni
Myrrhæ
Radicis lilij } Singul. drach. XVII.

Croci drach. VIII.

Olei de spica odorati
Vini } quantum necesse est.

SE. Eiuscemodi cõpositio nihil habet cum illa Mesue commune. BRAS. At aliam audito compositionem ab eodem authore descriptam.

Recipe meliloti
Fœnu græci
Chamæmeli
Baccarum lauri
Althææ
Eupatorij } Singulorum drach. IIII.
Abſynthij drach. III.
Ammoniaci
Bdellij } Singulorum drach. II.

Ficus & fœnu græcum decoquantur. & in alia deſcriptione habetur ficus cum aceto decoquãtur. & quæ reſolui debent in decocto reſoluantur, & miſceantur, & probe congregentur, & fundatur ſupra illud non nihil butyri recentis. SEN. Neq; compoſitio hæc cum illa Meſue aliquid habet commune, uerũtamen apud Græcos reperitur ne eiuſcemodi compoſitio? BRAS. Illã Meſue apud nullum authorem Græcum inueni, tamen apud Galenum reperitur ex meliloto malagma, immo duo ex meliloto malagmata refert, unum Aſclepiade, aliud Andromachi. SE. Nunquam ero ſatur niſi duas has antiquas compoſitiones audiuerim. BRAS. Vt ſis ſatur illas tibi referam, ſunt in octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos claſſe quinta 193. B. primo dicit. Malagma Aſclepiade ex meliloto Hierati
» con, hoc eſt pontificium inſcriptum, ſtomachicis, hepa-
» ticis, & ad uiſcerum dolores. SE. Ad eandẽ intentionem ualet & Meſue emplaſtrum. BRASA. Ita uero illud conficit.

Recipe nardi drach. X.
Cyperi drach. X.

Myrrhæ

Myrrhæ drach. X.
Cardamomi drach. VIII.
Meliloti drach. XL.
Croci drach. VIII.
Amomi drach. VIII.
Cypheos hieratici, hoc est sacrificulorũ drac. XVI.
Ammoniaci thymiamatis drach. XL.
Resinæ terebinthinæ drach. LXXX.
Ceræ minam unam.
Olei cyprini minam unam.
Vini odorati Italici heminam unam.
Misce secundum artem.

Alia uero compositio ex meliloto paulo post à Galeno scribitur ubi ait malagma Andromachi ex meliloto. "
Recipe nardi celticæ drach. VIII.
Cyperi drach. octo aũt decem.
Iridis illyricæ drach. VIII.
Myrrhæ drach. VIII.
Croci drach. IIII.
Meliloti drach. XXV.
Ammoniaci thymiamatis drach. L.
Terebinthinæ drach. L.
Ceræ drach. C.
Cyprini heminæ dimidium.
Aceti quod satis est.

Quidam Ammoniaci drachm. C. conijciunt. Facit ad omnia interna. SEN. Cum Mesue emplastro nullo modo conueniunt. BRAS. Habetur & apud Paulum Aeginetam libro septimo capite decimo octauo malagma ex Meliloto ita confectum.

Recipe

Recipe Croci
Nardi gallicæ
Cyperi
Cardamomi
Ireos
Myrrhæ
} Singulorum unc. II.

Meliloti libram unam.
Guttæ ammoniaci thymiamatis lib. I.
Ceræ lib. III.
Resinæ terebinthinæ lib. I.
Cyprini lib. III.
Gleucini lib. II.
Bdellij unc. VI. quidam admiscent etiam
Cypheos unc. II.
Vini quantum sufficit.

SEN. Multum differt hæc Pauli compositio à Galeni cõpositionibus in simplicium ponderibus, & in ipsis etiam simplicibus. BRAS. Ita profectò est, quãquam nonnulli dixerint primam Galeni compositionem, & hanc Pauli easdem esse, cum tamen apprime differant. Apud Trallianum uero cõpositio adest ab his omnibus longe semota, quã emplastrum de Meliloto uocat. SE. Illam referto ni pigeat. BRAS. Hæc est quæ sequit.

Recipe lixiui saponariorum unc. VI.
Nucum auellanarum unc. II.
Saponis gallici unc. IIII.
Spumæ nitri candidæ unc. VI.
Albugines ouorum numero. V.
Mellis
Sertullæ regiæ
} Singulorum quadrans.

Olei

Olei antiqui lib. I.
Ceræ unc. X.
Reſinæ terebinthinæ unc. VII.
Conficiantur in emplaſtrum.

SEN. Debet eſſe uehementißimum malagma hoc? BRAS. Eſt prorſus uehementißimum, ſed non erit ad eoſdem uſus ad quos eſt emplaſtrum Meſue de meliloto uel Galeni. SE. Ad quos igitur erit uſus? BRASA. Tophos diſcutit, calculos, oſſaq;, & ſpinas euellit, tamẽ Trallianus notat nos eo uti non debere in inflãmatione, neq; in leuiuſculis doloribus, neq; in ardoribus intenſis, ſed cum tumores rumpendi ſunt eo uti debemus. SE. Quod nam igitur in tot diuerſitatibus emplaſtrum de meliloto ſeruare debeo? BRASA. Pro alijs medicis Meſue compoſitionem ſeruato, ſed cum pro meis ægris emplaſtrum ſiue malagma de meliloto indixero, primã Galeni compoſitionem ex Aſclepiade ſeruato, quanquã & in uſu cõmuni repererim Meſue cõpoſitionem egregie perficere, quãdo illam applicari iußi, nam ægri in affectibus ad quos confert mire profecerunt.

SENEX. V.

Emplaſtrum de Lauri baccis ſequitur. BRAS. Et hoc emplaſtrum apud Meſuem eſt, & in maximo eſt uſu, nã doloribus cõuenit ex frigiditate, & flatu factis, et proprie ad uentris dolorem, & ſtomachi, & renum, et ueſicæ, & matricum, & aliorum uiſcerum, at quomodo, & ex quibus illud conficias aperito. SE. Non ſum deinceps dicturus me compoſitionem parare, quã ſcribit Meſue, ſed compoſitionem quam ſeruo adducam, & an

ita à

ita à Mesue conficiatur experiar, hæc est quam fieri iubeo compositio.

Recipe mastiches
Olibani } Sing. drach. V. & scrup. I.
Myrrhæ
Granorum lauri drach. X. & scrup. II.
Cyperi
Costi } Singulorum unc. I.

Misce cum melle quantum sufficit. BRAS. Omnia quæ adduxisti simplicia eadem quidem sunt cum Mesue simplicibus, neq; plura neq; pauciora sunt, sed in põderibus differunt. SE. Quo nam modo? BRAS. Isto, quia Mesue inquit.

Recipe olibani
Masticis } Singulorum unc. I.
Myrrhæ
Granorum lauri unc. II.
Cyperi
Costi } Singulorum unc. semis

Mellis colati quantum sufficit ad aggregandum & extendatur supra pănum, et calidum superponatur ubi oportet. Si autem triplicetur in eo cyperus, & commiscéatur nonnihil stercoris caprarum aut uaccárũ ad põdus omniũ inuenitur mirabile ad hydropẽ. Hæc Mesue. SE. Omnino in ponderibus differt. BRAS. Tamen si dixisses Cyperi, Costi Singulor. drach. II. scrup. II. et semis, eadem fuissent põdera, sed in minori copia reperiuntur in tua cõpositione, quã in illa Mesue, tamẽ ponderum proportio eadem esset, ueruntamen ad quantam quantitatem mel apponis? SE. Vt ars exigit, uidelicet

pro

pro singulis quatuor palmularum uncijs unam mellis libram adijcere, & mel etiam sit crudum, ne emplastrum nimis durum euadat. BRAS. Et ob hanc causam legi non debet mellis colati, ut in Mesue exemplaribus scriptũ est, sed potius mellis calidi, ut in antiquo adest exemplari quod legi. SE. Sunt ne aliqui antiquiores qui de hoc emplastro loquantur? BRAS. Apud Arabes neminem legi qui hanc compositionem pararet præter Mesuem, quanuis Serapio duas referat compositiones, quæ lauri baccas recipiunt, quarum alteram uocat Dimadh ad hepar, alteram Dimadh ad Gibbositatem, at cum hac compositione nihil habet commune, immo ab ista longe diuersæ sunt, ueruntamen compositio eiuscemodi apud Græcos authores reperitur, nã Paulus libro septimo capite decimo ex baccis lauri unum malagma, sed ab isto longe differens describit. SEN. Optarem Pauli compositionem audire, ni tibi molestũ sit. BRA. Audies statim si aures accomodabis nã ita Paulus dicit. μαλάγμα διὰ δαφνίδων, idest ex baccis.

Recipe ceræ
Resinæ
Picis
Baccarum lauri
Adipis taurini
} Singulorum lib. I.

Nitri
Guttæ ammoniaci thymiamatis
} Sing. unc. VI.

Aceti quantum res ipsa postulat.

Adest & apud Galenum in nono de compositione medicamentorum secundum locos malagma ex baccis lauri.

SE.

SE. Nihil ardentius opto, quam istud audire. BRAS. Audias igitur quod tibi cõcessum est, Galenus ita dicit.

» Ad splenicos, hydropicosq; facere, & omnem duri-
» tiem dissoluere, abscessus in profundo absorbet. SEN. Hoc est præcise quod quærit ab hoc de baccis lauri ma-lagmate. BRAS. Iam finiuissem nisi mihi impedimẽto fuisses, tamen hæc est apud Galenum præcitato loco compositio.

Recipe ceræ lib. I.
Resinæ pinus lib. I.
Picis brutiæ {aridæ} lib. I.
Baccarum lauri siccarum lib. I.
Nitri rubri lib. I.
Ammoniaci thymiamatis lib. I.
Adipis uitulini subacti lib. I.

Arida tundito et cribrato per angustißimum cribrum, liquescibilia liquantur, et frigefacta aridis addijciũtur, atq; ita contusis simul & repositis utemur, sed statim Galenus ponit & aliud malagma ex baccis lauri confectum hoc modo

Recipe baccarum lauri lib. I.
Picis lib. I.
Mannæ lib. I.
Adipis taurini lib. I.
Ammoniaci thymiamatis lib. I.
Ceræ lib. I.

Misce, & præparato. Galenus et aliud malagma ex baccis lauri describit, cuius compositio hæc est.

Recipe baccarum lauri lib. I.
Picis lib. I.

Mannæ

Mannæ lib. I.
Adipis taurini lib. I.
Ammoniaci thymiamatis lib. I.
Ceræ lib. I.

Miſce, & præparato ut prædictum eſt. SE. *Deeſt in hac compoſitione nitrum, & reſinæ loco adeſt manna, ſed modica eſt in uiribus differentia, tamen nonnulla adeſt.* SE. *Quod nam ſeruaturus ſum? an illud Meſue?* BRAS. *Pro alijs Meſue compoſitionem ſeruare poteris, cum uero ego pro meis ægris emplaſtrum de baccis lauri indixero illud Galeni quod primo adductum eſt præbeto.* SE. *A Pauli compoſitione non multum differt.* BRAS. *Immo Paulus à Galeno accepit, iccirco modica eſt inter ipſos differentia.*

SENEX. VI.

Emplaſtrum de Sinapi huc accedit. BRAS. *Fuit antiquiſſima compoſitio ſinapiſmus ad materias è profundo corporis in ſuperficiem educendas. at tu quo nam modo conficis hoc emplaſtrum?* SE. *Hoc modo.*

Emplaſtrum de Sinapi

Recipe ficuum pinguium partem unam.
Incidantur, & infundantnr in aquam tepidam per diem & noctem, deinde exprimantur, & in mortario piſtentur, & cum ſinapi partibus duabus, et aceto fortiſſimo fiat Emplaſtrum ſecundum artem. BRAS. *Ita præciſe conficit Meſue, ſed æquales ponit ſinapi partes, & ficuum. nam dicit, & ficuum ſiccarum pinguium partem unam, & infunde in aquam tepidam per diem & noctẽ, tunc exprime uehementer, ut nullus humor in eis remaneat: deinde ſinapi tritum cum aceto his miſceas, diu diligenter*

genter commiſcendo, & ſit ſinapis pars una, & ficuum altera. Si autem uehementioris uirtutis facere uolueris, pone de ſinapi partes duas. Si autem minus uehementis, pone de ficubus partes tres, & de ſinapi duas: quãdo autem alicui loco applicatur, in eo dimittatur, & auferatur antequam exulceret, & proprie quando ſolum cale facere oportet: & quandoque dimittitur quoàd exulceret, & proprie quando profundarum materierum extruſionem quæris. in ſinapis uero defectu fæces caprinæ ponantur pridie in aceto, & eſt ad hydropem, & duritiem, & ſplenis dolorem efficax, & quandoque additur eis fimus columbarum agreſtium, & radix enulæ, & ſemen naſturtij, & grana lauri, & confert ad frigidas, et uentoſas uiſcerum ægritudines, et ſplenis, et hydropem, & ſimilia expertum ab antiquis medicis. Hæc Meſue.

SE. Ferunt fuiſſe Democriti cõpoſitionem. BRAS. Et ita refert Meſue, additq; ualere ad iſchiam, & podagram, & ad oſſeariam laſſitudicem, & arthritim, et ad frigidas omnes affectiones, & ad hemicraneam, & obliuionem, et lethargum. Nota uero authorem quem ſub nomine Democriti citat Meſue, eſſe Paulum AEginetã: nam ipſe Paulus libro ſeptimo, capite decimo oſtendit
» plane ab eo accepiſſe Meſuem, cũ ait. Ante diem unum
» iſchades aqua tepida irrigandæ ſunt, & ſequenti die e-
» gregie & prævalide exprimendo ſtrenue leuigãdæ: de-
» inde acre ſinapi cuius modi Syrianum, & Aegyptiũ eſt,
» priuatim conterito affundẽs dilutum, quod græce ἀπό-
» βρεγμα appellant, & maſſam, placentamue conficiens
» miſceto. Si quidem uiolentius uoluerimus exulcerare,
» duas partes ſinapis ad unã iſchadum miſceto: Si uero ob-

ſcurius

ſcurius atq; mitius, cõtrarium facito, ſin medio quodam modo, & mediocriter, ex æquo utraque confundito. Cæterum ſinapi ante contritionem aceto dilutum, quemadmodum aliqui faciunt, inefficatius redditur. æque à ſinapis purgatione, & lauacri uſu, ſi dolor intenſus, & rubore ſuffunditur locus, bullæq; oboriuntur, linteum ſucco maluæ cum roſaceo immergentes applicemus: deinde roſacco ceroto addita ceruſſa utamur. In flaccidis uero ac diſſolutis, in quibus ſenſus læſus eſt, ac perijt, multum diuq; aduertere oportet animum detegendo, & ſpeculando: non ſentiẽtes: etenim ſæpe numero ſupra modum inflammati ſunt, & combuſti, & caprarum baccæ cum aceto cataplaſmatis inſtar illitæ expeditiores quàm ſinapi ſunt, potiſſimum in his qui laborant coxendice.

SE. *Non ſolum poſuit conficiendi modum Paulus, ſed & quid agendum cum bullæ ſunt excitate, & cutis exulcerata.* BRAS. *Ita prorſus eſt, ego plærunq; expertus ſum ſupra thoracem ſinapiſmum extendere, & orthopneæ ualde cõtulit, aſthmati, et tuſi antiquæ, id exicando quod in thorace continebatur, & id ad ſe trahendo quod illuc percurrere debebat, & ita quod ad intrinſecas partes proficiſcebatur ad extrinſecas conuerſum homines ab intrinſeco affectu liberauit. Præter mitto quoties in lethargo, & in uehementiſsimis capitis doloribus hominem ab his affectibus liberarim.* SENEX. *Videtur Paulũ nõ addidiſſe ſinapiſmo acetum?* BRAS. *Immo neq; addi debet, niſi uelimus ſinapiſmũ inefficatiorem reddere. notaq; cum inflammationem fecerit ſi moleſta ſit, ab re non eſſe oleum roſatum omphacinum*

cinum linteo madefacto supraponere. Nota præterea Galenum in secundo de Compositione medicamentorum secundum locos, capite secundo in inueteratis uehementer capitis doloribus sinapi, ut moris est capiti adhibere et urere, arbitrandum est hoc esse sinapismum, quẽ adhibet: quanquam et sinapi solum absq; caricis idem efficiat, & etiam facilius quàm cum caricis, tamen ad emplastrum conficiendum ponunt, ut sinapi recipiat. Scito præterea in multis Mesue codicibus hanc legi compositionẽ relatam ad Democritum, tamen in alijs exemplaribus refertur ad Archigenem quod non ab re est, quia Galenus in loco statim citato Archigenis medicamenta ad capitis dolorem referebat, & sinapis mentionem facit caput urentis.

SENEX. VII.

Emplastrum de Hyrundinis nido in medium accedit.

Emplastri de nido hyrundinis.

BRAS. Non erant satis infinita simplicia, nisi & hyrundinum nidi cæteris admiscerentur, neq; erant pharmacopolia satis confirmata, nisi & hyrundinum nidos habuissent. At tu quomodo emplastrum hoc conficias refer to, ut deinde contemplemur si omnes tuo modo conficiant. SE. Ita conficio.

Recipe nidi hyrundinis numero I. ponatur in aqua, & aliquãtisper bulliat. postea colato, et in colatura addito.

Radicum liliorum alborum
Althææ
Violarum
Parietariæ
} Sing. manip. I.

Misce

Misce, & bulliant secundum artem. Postea pistentur, & addantur

Fermenti
Farinæ semi= num lini } Singulorum unc. I.

Olei communis ueteris
Axungiæ suillæ } Singulorum quantum sufficit.

Misce, & fiat emplastrum secundum artem.

BRAS. Author ille qui Lanfrăcus uocatur, à quo oēs ferè pharmacopolæ compositionem hanc accipiunt, ait, hyrundinis nidum esse diu ebulliendum, & non aliquantisper. SEN. Ego semper ita feci. BRAS. At alij alio modo cōficiunt, & bryoniam addunt. SEN. Quonam modo parant alij? BRAS. Isto qui sequitur. Recipe nidum unum hyrundinis integrum, et bulliat diu in aqua sufficienti, postea per cribrum colato, in hoc uero quod percolatum erit, adde

Radicum liliorū albor.
Althææ
Bryoniæ
Maluæ
Violarum
Parietariæ } Sing. manip. sem.

Fermenti acris
Farinæ sem. lini } Sing. quantum sufficit.

Misce, & bulliant, & in fine addatur

Olei ueteris
Axungiæ porcinæ } Singulorum modicum.

Misce, & fiat emplastrum secundum artem, quod mi=

rum in modum dissoluit, ac maturat, ununquodq; angi=
næ genus, & omnẽ abscessum qui in gula sit, & collo:
ueruntamen antiqui potius hyrundinum pullos accipiũt
ad hos usus: unde in sexto de Compositione medicamen=
torum secundum locos, capite tertio, ubi Galenus refert
quæ Archigenes scripsit ad gurguliones inflammatos, et
dicit, ubi ait hyrundines integras unà cum pennis ustas,
et tritas cum melle illinito: nonnulli inquiunt etiam sum
me facere hyrundinum pullos teneros ualde, siue recen
tes, siue inueteratos, et in cibo exhibitos: statim enim suf
focationem leuant. tamen & de hyrundinibus, & de ni=
do ita disserit Galenus in sexto de Compositione medica
mentorum secundum locos, ubi inscriptio est Stomatica
» illitio ex besasa, hoc est semine rutæ sylueſtris, iquit hoc
» loco. De hyrundinibus autem ambo (scilicet Andromа
» chus & Heras) obscure tradiderunt, quanquam alij cla
» re scripserint, nisi quod inter ipsos non conuenit. Alij. n.
» nidum urere iubent, ex stercoribus hyrundinum maxi=
» me compositum. Alij ipsas hyrundines. Alij ipsarum pul
» los. Hi uero obscurius scripserunt, et Andromachus qui
» dem cineris hyrundinum recentis: oportebat autẽ ipsum
» apponere ustarum. Tale enim quidam cineris uox si=
» gnificat, nisi nidum ipsum terere ac leuigare iubet.
» Heras autem hyrundinum recrementi non apponens.
» Forte igitur neuter uult comburi debere hyrundinum
» recrementum, quemadmodum alij. In quibusdam ta=
» men exemplaribus sic scriptum est. Hyrundinum tene=
» rarum unciam unam, quemadmodum in alijs hyrundi=
» num à trabibus. Palàm est autem quod acre et discusso=

rum

rium est hyrundinum excrementum. Quemadmodum etiã alia omnia omnium animalium stercora aliqua magis aliqua minus: uelut etiam ipsorum animalium ustarum cinis. Galenus potius hyrundinum stercus, quàm nidum acceptare uidetur: nam nidos suos non ex suo stercore, sed ex limo conficiunt hyrundines: tamen et ipsum animal ustum eandem habet uim. SE. Quodnam pharmacum illud est quod hyrũdinum stercus recipit, de quo facit mentionem Galenus. BRAS. Est Andromachi pharmacum ad anginas, quo ille utebatur, & ualet ad desperata. SENEX. Ni tibi molestum sit, illud afferto. BRASA. Est hoc.

Recipe seminis Anisi
Apij
Ammij
Floris iunci odorati rotundi
Aluminis scißi
Iridis illyricæ
Besasa quod aliqui harmala uocant
Cinnamomi
Myrrhæ troglodyticæ
Aristolochiæ longæ
Casiæ
Rosarum siccarum
} Singulorum unc. I.

Crocomagmatis unc. I.
Costi
Cineris hyrundinum recentis
} Singulo. quadrantem.

Croci sexquiunciam
Nardi indicæ } Singulorum unciæ dimidium.
Ammomi }
Gallas octo.

Tritis cum melle utere. Verum usus tempore tandē mel adde. SEN. Hæc maxima uidetur compositio. BRAS. Maxima profecto est, sed paulo post compositionem refert, cuius inscriptio est. Aliud stomaticum ex hyrundinibus absq; Besasa Asclepiade, quod ualet ad anginas. SE. Hoc quō conficitur. BRAS. Hoc modo. Recipe hyrundinum sylueſtrium ustarum cineris drach. IIII.

Croci drach. I.
Nardi indicæ drach. I.
Misce & melle excipiantur.

SEN. Hyrundines quomodo ab antiquis urebantur? BRAS. Galenus hoc statim docet, inquiens. Pullos sale cōsperſos unà cum pennis in fictile conijcimus, obturatumq; prunis imponimus, ita uti docuit Asclepiades, cui ob hoc gratias agit Galenus, & etiam quia docuit summendos esse pullos, & non pullorum recrementa, post hæc Galenus ponit aliud stomatichum ex hyrundinibus ad anginas ut Arpocras cuius cōpositio hæc est. Recipe pullorum hyrundinum ustorum numero. XI.

Mellis cyathum unum, aliter. II.
Succi myrti uiridis cyathum unum, aliter. II.
Myrrhæ obolos tres.

Pullos urito omnibusq; mixtis ac tritis utitor. SE. Vtuntur hyrundinum pullis hi authores, & non nidis.

BRAS.

BRAS. Tamen superius audiuisti, & usos etiam esse nidis, & paulo post ubi inscriptio est ab Asclepiade prodita, adest cōpositio ad laxatas collumellas, quæ hyrundinum nidum recipit. SE. Quomodo? BRAS. Audias Galeni uerba qui ita dicit.

Recipe rosarum siccarum sextarium. I.
Nardi celticæ unà cum radicibus & inhærente terra fasciculum. I.
Nidi hyrundinum syluestrium aridi drach. III.
Myrrhæ drach. VIII.
Gallas omphacithides numero. XV.
Contusa & trita insuffla, & digitis adhibe. SEN. Hoc nō est emplastrum. BRASA. Est puluis, sed ut ostenderem tibi quod antiqui hyrundinum nido utebantur, id referre uolui, immo per os supra collumellā puluerem ipsum ponit, uel insuflat. Paulus libro septimo de hyrundine ipsa dicit, Hyrundinum crematorum cinis cum melle illitus anginosis inflammationibus succurrit, & oculorum claritatem adiuuat.

SENEX. VIII.

Deniq; Archigenis emplastrum sequitur. BRASA. Quod nam est hoc, & à quo authore sumptum. SEN. Emplastrum hoc semper seruaui, sed raro uendidi, postea quam medicus ille obijt qui me hoc conficere iussit. BRASA. Compositionem afferto, ut contemplari possim an sit emplastrum seruandum. SEN. Hæc est compositio.

Recipe succi agrestæ
Myrrhæ } Singulorum partem. I.

Pæcis

Fæcis atramenti scriptorum partes. II.
Aluminis iameni } Sing. partem. I. & 4/1
Croci }

Confice terendo cum aceto uini contritione multa, & liniatur ex eo super tẽpora, & stringatur. BRASA. Vnde accepisti hoc emplastrum, quod potius linimentum dici deberet? SEN. Accepi à probo medico, tamen ipse dicebat esse Mesue compositionem. BRASA. Omnino in Mesue reperitur ubi de Capitis ægritudinibus loquitur, & inscriptio est, de Hemicranea calida, nam ad calidam hemicraneam pulsatilem, & ad uehementem sodam conuenit, ueruntamen nullus est præter te ipsum, qui Ferrariæ compositionem hanc faciat, neq; in alia totius Italiæ urbe ab aliquo fit pharmacopola. tu ergo illud serua, & cum ab aliquo indicitur medico, id præbe. SEN. Postquam obijt medicus ille qui mihi compositionem tradidit, neq; semel uendidi. BRASA. Neq; ut arbitror post hac uendes, nisi mutato nomine illud sub alia unguenti specie uendas, nam ubi adest hemicranea calida, illa applicare opus est, quæ tunc curanti medico idonea uidebuntur, & oxyrhodina parare ac similia. SEN. Tu dicis à nullo fieri præterquam à me hoc emplastrum, tamen sunt alij qui in ponderibus diuersi à nobis sint. BRASA. Necessarium est, ut & à Mesue differant, nam illa quam adduxisti compositio ex Mesue uerbis proprie deprompta est. sed dic quot sunt illi qui ita parant? SEN. Vnus solus. BRASA. Tameu illum non cognosco, hoc est nescio qui Ferrariæ compositionem hanc paret, cum

tamen

tamen omnes ad unguem cognouerim pharmacopolas, & per illorum pixides ac labella frequenter inſpexerim, uerum quicquid ſit, quo nam modo illi agant, qui in ponderibus diuerſi ſunt referto. SEN. Ita ipſi conficiunt.

Recipe ſucci agreſtæ } Singulorum drach. II.
Myrrhæ }
Fæcis atramenti drach. IIII.
Aluminis iameni drach. II. & ſemis.
Croci drach. I.
Aceti fortißimi unc. IIII.
Miſce, & fiat emplaſtrum ſecundum artem.

BRASA. Non eſt magna inter uos diſtantia. SEN. Tamen aliqua adeſt, refertur ne hoc emplaſtrum à Galeno uel ab alio authore egregio? BRAS. Galenum quæſiui in ſecundo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi omnia refert Archigenis medicamenta ad capitis dolorẽ à quacunq; cauſa, & hoc nunquam inuenire potui. Meſue plærunq; authorem unum pro alio refert, tamẽ ſi lubebit aliàs quæremus. SEN. Cum dabitur otium, quia uel ſit Archigenes uel quiſq; alter ad rem ipſam conficiendam nihil facit. BRAS. At pulchrum eſt res in fonte uidiſſe, quoniam ita facile multi errores, qui in illis ſunt authoribus, qui referuntur euitari poſſunt, qui alioqui niſi res in fonte haberentur, corrigi haud poſſent, ſed ad alia emplaſtrorum genera te cõferas. SEN. Nulla alijs in pharmacopolijs ſeruantur emplaſtra à prædictis. BRAS. Ergo tam pauca in uſu ſunt? SE. Non plura, at medici diuerſa

indicant

indicant genera, ut illis uidetur, secundum ægritudinis intentionẽ quam curant, ex his uero infinita propemodum singulis annis conficimus, ut indicantur. BRAS. Neque ambigo, quoniam ego singulis annis plus quam sexcenta confici iubeo, at si genus quoddam emplastri inuenero quod in usu est, tamẽ de eo nullam mentionem feciſti quid dices? SE. Dicam me fuisse obliuiosum.

BRASAVOLVS. IX.

Non ne conficitis emplastrum de Capillis? SE. Conficimus quidem, sed arbitrabar me de illo sermonem habuisse. BRAS. Non habuisti. SEN. Satis est si de illo in præsentiarum loquamus, at quomodo conficitur? BRASA. Ita docet Mesue secundum Alexandrum in capite de Lethargia. Capilli hominis adusti sumantur. SEN. Ergo debet esse melancholicus ille & adustus cuius capilli recipiuntur? BRASA. Non sumuntur ex adusto homine, sed sunt ipsi capilli qui aduri debent, & ipsorum cinis accipiendus, multumq; cum aceto miscendus, quousq; totum fiat sicuti unguentum. Mesue ait esse medicinam mirabilem ad lethargiam, & subeth, nam breui excitat à somni profunditate, notatq; Mesue quandoq; addi huic compositioni castoreum. SE. Inuenitur ne compositio hæc apud Alexandrum? BRASA. Putas ne Mesuem mentiri? SEN. Non puto, sed nonnunquam authorem unum pro alio citat. BRAS. At audias Alexãdrum Trallianum capite uigesimo primi libri dicentem, Maximeq; proficit ad excitandũ hominem, fronti unctione admotum castoreum, uel capilli

humani

humani cremati, & cum aceto liquefacti pari modo illiti, est enim (inquit) hoc quadam naturæ aptitudine huic morbo factum antipharmacum. SEN. Vidi non nullos qui huic. emplastro crocum miscuerint. BRASA. Misceri potest, tamen & sine eo fieri melius arbitror. SEN. Non ne dicit Alexander quod castoreum simul misceatur? BRASA. Non profectò, sed ipse per se castoreum ponit, quod & si illi misceretur nihil referret, neq; magnifaciendum est, si crocum nonnulli addiderint, hic igitur erit emplastrorum finis? SEN. Prorsus erit nisi tu unum uel alterum genus in medium adduxeris. BRAS. Iam in foro sumus, tu ad pharmacopolium, ego ad alios inuisendos ægros proficiscar.

INDEX

Emplaſtrum Vnde dictum ſit I
Emplaſtrum de Cruſta panis II
Emplaſtrum Diaphœnicon III
Emplaſtrum de Meliloto IIII
Emplaſtrum de Baccis lauri V
Emplaſtrum de Sinapi VI
Emplaſtrum de Hyrundinum nidis VII
Emplaſtrum Archigenis VIII
Emplaſtrum de Capillis uſtis. IX

ANTONII MVSAE BRASAVOLI

Medici Ferrarienſis

Examen omnium Sief, id eſt Collyriorum, quorũ apud Ferrarienſes pharmacopolas vſus eſt.

AD ILLVSTRISS. ATQVE EXCELLENTISSIMVM HERCVLEM II. FERRARIAE DVCEM IIII.

AD ILLVSTRISSIMVM,

ET EXCELLENTISS.

HERCVLEM II.

FERRARIAE DVCEM IIII.

Hieronymus Brasauolus fœlicitatem.

MVlta sanè me commouerunt, immo potius impulerunt, inuictissime Princeps, ut hunc patris mei libellũ amplitudini tuæ consecrarem, inter quæ in primis obseruantia quædam mea à Deo summo optimo mihi erga antiquam, ac fulgentissimam Estensium prosapiam condonata unum ex his fuit quæ me commouerunt: impulit vero tua in patrem meum beneuolentia, nam (ut audiui) illum non ut triualem quempiam amas, sed diligis, colis: ac uti patrem obseruas, at me etiam summopere incitauit, ac calcar addidit, tua erga uirtutũ studiosos humanitas, cum audiuerim Excellẽtiam tuam illos benigne excipere, eisdemque plurima polliceri præmia, & denique impartiri, modo uirtutis uestigia impense sequantur. De his autem quibus polles virtutibus, nihil agere ad me attinet, quoniam in unaquaque earum neminies nostra hac ætate secundus, hisque Deus optimus te munire uoluit: ut non solum huius temporis Principes excelleres, sed etiam antiquissimos Romanos longe superares. At ne tibi uidear assentatione quadam blandiri uelle, ad rem ipsam redeo, & libellum hunc Excellentię tuæ deuoueo, quem hilari fronte accepturum non dubito, cum ab innata humanitate tua ne latum quidem unguem dimoueri possis, ita vero regali illa humanitate illectus, ad maiora excitabor,

Vale.

Antonij

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium COLLYRIORVM, quæ in Ferrarienſibus pharmacopolijs ſeruantur.

SENEX, BRASAVOLVS.

QVid hic tam tarde moraris: uix enim in foro canem reperies qui ad prandendum profectus non ſit. BRAS. Puerum expecto, qui libellum quendam de Iure in Republica dicendo, ac adminiſtrando ad me ferat. SE. Quid de eo libello acturus es? BRAS. Sum ad Illuſtriſſimũ Ducem noſtrum portaturus, ut hac in re ſententia noſtra illi ſit palam. SE. uerum cum hora hæc non expectat ut diu unà loquamur, optarem ut Sieph genera quæ à pharmacopolis cõficiuntur ac ſeruantur contẽplaremur. BRAS. Si multæ ſunt compoſitiones tempus nõ ſuppeteret ad illas in examen ducendas, ſed in aliud tempus magis commodum pertractandas ſeruarem. SE. Non ſunt multæ, nam tres ſunt ad ſummum aut quatuor compoſitiones. BRAS. At puer iam libellum attulit, in aulam proficiſci cogor. SEN. Et ego te comitabor, quoniam et magno deſiderio afficior, quid de iure dicendo ſcripſiſti audire. BRAS. Audies nũc, libelli inſcriptio eſt.

DE ORDINE AC MODO IVRIS DICENDI AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELLENTISS. HERCVLEM II.

INTERLOCVTORES.

Magnificus Eques Federicus Quainus,
Antonius Musa Brasauolus.

CVM pransus essem cum illustrißimo Ducẽ, ita me allocutus est Magnificus Quainus.

QVAINVS. Cornicem albam me uidere uisum est, cum hic te uidi ô Antoni, & hac præsertim hora. BRASAVO. Prius ergo me non uideras, & tamen cum Illustrißimo Principe pransus sum? QVAINVS. Me deludis: non ne et ego cum alijs simul discumbebam? BRAS. & te uidimus cum alijs nobilibus discũbentem: ueruntamẽ ego oĩum minimus CHRISTI sospitatoris nostri cõsilium sequens in ultimo mensæ loco discubui, ne fortè nobiliore adueniente ab Architriclino diceretur, Surge temerarie, hic non est tuus locus, quæ uerba si audirem, timerem præterea ne id mihi contingeret, quod conuiuæ contigit in sacris literis uestem nuptialem non habenti, ne scilicet ligatis pedibus & manibus me eijcerẽt in tenebras exteriores, uos autem qui ambitioßiores estis, quàm ego sim in nobilioribus locis discumbitis

scumbitis, ut illustrißimi Ducis faciẽ intueamini, à qua pendetis, & ea fruimini, ut beati in cœlesti patria diuina uisione fruuntur, & ferè indignamini nos abiectos et pauperculos respicere, & qui in obscuro & infimo manemus loco. QVAIN. Vereor ne aliud mente tua uoluas ac iactes, quàm id quod his uerbis expreßisti, nã cum is locus infimus sit, & indignus, nihil gloriæ acquirere poterat, nihil dignitatis, nisi tu illum occupares, & cum dignus sis ac præstans dignitatem, & præstantiam loco cõdonares. BRASAVO. Ò quam belle ad illud Aristippi alludis, qui Alexãdri Magni sodalis ac conuiua fuit. QVAINVS. Id referas obsecro. BRAS. Aristippus philosophus quidem præstantißimus, sed unà & ambitiosißimus in Alexandri triclinio nobiliora loca semper quærebat & occupabat, quod nõ raro ab Alexandro notatum est, Aristippo nonnunquã accessum ad mensam retardante, & omnibus sodalibus iam discumbentibus, iußit Alexander consuetum Aristippi locum ab alio occupari, & ultimum solum mensæ locum uacuum relinqui, Aristippo adueniente ac uidẽte non esse sibi locum alium derelictum quam ignobiliorẽ, sedit philosophus, & simul alta uoce dixit, Alexandro in mentem non uenit alio modo hũc infimum locum honestare, & præstantiorem reddere, quam dimittere ut ab Aristippo honestaretur, quippe uir locum, nõ locus uirum magnifacit. QVAINVS. Pulchre quidem Aristippus, sed qui Dæmones, & boni Genij huc te duxere, & hac hora præter solitum. BRAS. Integra ac recta Illustriß° Principis nostri mens, & cõscientia, ab omni labe depurata, quæ à dextera, & benigna omnipo

tentis Dei manu ducta egregium illud & semper memorandum facinus peregit, cum in Manfronum centum mortis dignum pietate ac clementia usus est, Nunc aliud mente uolutat Illustrissimus Dux ac Sanctissimus, quod non minus erat memoria dignum, quàm fuerit in Manfronum pietas, quippe tũc unum tantũ hominem à morte liberauit, nũc ab omnibus suis populis sæuissimam pestem, & plus quam fuerit lernæa hydra teterrimam arcere excogitat. QVINVS. Quam pestem dicis, et quam hydram? BRAS. Iniustitiam intelligo & perennem litium successum. QVAINVS. Si hæc ab egerit Diuinus erit. BRAS. Immo erit maiori laude dignus quam Saturnus, qui inter Deos in Cœlũ relatus est, ob id tãtum quod homines in unum congregauerit, arbitramurq;, neq; dubitamus hæc esse abacturum, & institutiones in melius reformaturũ. QVAINVS. Cur autem tu qui iuris peritus non es, in hanc arenam ueluti certaturus descendisti? BRAS. Ita Principi placuit, qui ut in omni re iudicio alios excedit, ita nouit, philosophos de Rerum publicarum ordinibus, de bonis moribus reformãdis, de legum administratione, de uniuersæ huius mundi compaginis iustitia multa & apposite, & docte disserere scire, & ad unguem pertractare. et præterea qui alij leges cõdidere, et approbauere, quàm philosophi? Legitur & Solonem, et Lycurgum, & cæteros antiquos legislatores fuisse philosophos, & à Platone in suis Legibus philosophi munus esse leges condere comprobatur, nam aliud nihil est legalis iustitia, quàm similitudo quædam illius iustitiæ quæ in uniuerso mundo uidetur. QVAINVS. Hæc missa facamus,

ciamus, & (si fieri potest ac liceat) illa mihi enarrato, quæ in Ducali cubiculo acta sunt. BRAS. Cur non licebit? QVAINVS. Quoniam arcana esse solent, & intimo corde seruanda, quæ in his secretis colloquis dici consueuerunt. BRAS. At hæc huius generis sunt, ut uulgus, & sellularij ipsi interesse potuissent, et huius generis quæ publice communi edicto promulgari æquũ fuisset. QVAINVS. Ni igitur laborem subterfugias Charissime cõpater, omnia singulatim ennarrato. BRAS. Quis unquam posset compatri tam amantissimo non parere? profectò tibi rem gratam facere labor non est, aures igitur nostris uerbis admoueto. QVAINVS. Et libenter. BRAS. Primo Augusti die præsentis anni. MDXLVI. cum Illustrissimum Ducem mane de more uisitassem, mihi dixit, quod sequenti die post prandium multos Doctores in concionem uocaturus erat, et de ordine administrandæ iustitiæ sermonem habiturus, iussitq; ut cũ his simul interessem, at ne hora illa meridiana per solem incederem, et etiam Illustrissimi Ducis admonitu apud ipsum pransus sum, post prandium Illustrissimus Dux parumper quieuit, ut cibus uẽtriculo insideret facilius, post semihoræ spatium à mensa discessit, et in cubiculum iuit in quo hominum dissidia, & preces, & querelas audire consuetus est, & iura reddere, iusserat uero ut uiri in concionem uocarẽtur, de quibus statim mentionẽ faciam, Magnificus et Excellentissimus Cæsar de Nobilibus Lucẽsis, Magnificus & Excellẽtissimus Lanfrancus Gypsius Lugiensis, Magnificus & Excellentissimus Ludouicus Catus, Magnificus & Excellentissimus Prætor, Magnificus & Excellen-

tißimus Philippus Rodus, Magnificus & Excellentißimus Alphonſus Roſſetus, Aderant & hi egregij cauſidici Dominus Petrus de Betinis, & Dominus Chriſtophorus Roſſetus, aderant & ſimul Magnificus & Doctißimus Alexander Guarinus, & Magnificus ac nobiliſsimus Bartolomeus Proſper, Nulliq; alij præter Illuſtriſsimum Principem. QVAINVS. Tu ergo non aderas? BRAS. Aderam quidem, ſed me ipſum numerare non eſt opus, qui hæc referre neſcirẽ, niſi huic ſanctißimo negocio interfuiſſem, & tu me exeuntem uidiſti, immo & his ulnis Magnificum Ludouicum Catum ferentem. QVAINVS. Proſequaris igitur nam geſtio audiens. BRAS. Sedit Illuſtriſsimus Dux, nos alij ueluti in corona circa ipſum conſtituti ſilebamus, quid dicturus eſſet auide expectantes. QVAINVS. Quo ordine? BRAS. Non datur in hoc loco ordo, ſed ut quiſq; ſibi locum arripuit, in eo ſine delectu fuit, ſolus Catus ſedebat, cui (& ſi uoluiſſet) ſtare ob podagras datum non erat. QVAINVS. Quid deinceps actũ? BRAS. Illuſtriſsimus Princeps loculẽtißimam habuit orationem, breuem quidem atq; Laconicam, ſed & ornatam, & ſententijs ac ſucco plenam. QVAINVS. Nihil eſſet mihi gratius, quàm uerba illa quæ ab Illuſtriſſimo Duce fuere deprompta audire. BRAS. Verba prorſus referre neſcirem, ſed uerborum ſenſum tibi referre poſſe non dubitamus. QVAINVS. Et hunc audire non minus gratum mihi erit. BRAS. Illuſtriſſimus & facundißimus Dux ita exorſus eſt, nos uero oẽs conticuimus, & attenti ora tenebamus.

Cum humeris meis multa inſideãt onera, et grauia quidẽ

illa

illa id tñ grauißimum mihi ſemper uiſum eſt quo de Iuſtitia adminiſtranda agitur, nam ſæpius commordet me conſcientia mea, cum uiduæ, pupilli, & pauperes apud me conqueruntur, & delitiũ prorogatione, & de tam amplis expenſis quas ferre non poſſunt, & de iniquis cauſidicorum cautellis, quippe hinc euenit ut ditiores, homines pauperes per annos in unaquaq; minima etiam lite magno eorum incomodo, ac detrimento perducant, cõſcientia igitur quã in me ipſo cõmoueri ſentio ab omnipotentis Dei benigna manu ducta, et eiuſdẽ Dei optimi timor, qui me, licet indignum, ad tot Reſpublicas moderandas elegit, ſuaſere, & coegere, ut uos unà huc accirem, quos oratos uelim ut mihi collegæ ſitis ad ordinem quendam & modum inueniendum, quo & recte, & facile, & breui, & in Dei honorẽ ac decus poßit adminiſtrari iuſtitia, nam ego ſolus id efficere nõ confido, cũ potius ad arma capeſcenda, & exercenda ſim aſſuetus. cum uero diuerſi ſint in diuerſis urbibus ordines, nã in aliquibus exercentur uocatæ rotæ quæ nonnunquam mobiles ſunt, nonnunquam immobiles, in alijs adſunt ſenatus conſulta, in alijs trium uiratum dignitas, in alijs unius iurisdicentis authoritas, uos hic eſtis ſex iuriſperiti, unus philoſophus, & duo cauſidici, quiſq; ueſtrum ſuis rationibus innixus modum illum mihi in ſcriptis tradat, qui ſibi cõmodior uidebitur, ad iuſtitiam recte ſeruandam & in quo iudices minime decipere poßint, & decipi. addatis præterea quo ordine lites breuiores redigi poßint, & cauſidicorum aduocatorumq; tot cauillationes auferri, uos igitur oro atq; hortor ut negotium hoc benignis animis ſubeatis, & recta conſcientiæ tru-

tina

tima perpendatis, ut in Dei honorem ac decus tot respublicas à tam grauissimis oneribus liberemus, quippe & uos eritis huius meriti apud Deũ participes, meq; onere maximo leuabitis, nam mens mea & conscientia quæ plærumq; me commordet, et iudicat, quiete deinceps uiuet, cui tantũ illud oneris relictum erit, ut omnipotenti Deo gratias agat, qui & uos & illam simul dirigere dignatus sit, & perpetua apud posteros de hoc egregio facinore nobis relinquetur gloria, et post obitum in Angelorũ choris uersabimini. Hæc fuit Illustrissimi Principis Oratio. Q. VAINVS. Ego à lachrymis temperare non potuissem, si his auribus loquentem Ducem audiuissem, pulcherrima fuit eiuscemodi oratio. BRA. Et sanctissima, uidebam ego ex benedicta illa Illustrissimi Ducis anima hæc uerba tam affectate, tam ex intimo corde scaturire, ut totus animi affectus appareret in uerbis, Deus erat qui per sanctũ illud os ueluti per prophetam loquebatur, et qui benedictam illam animam illustrauerat, nec ambigo si hæc efficiantur, et executioni mandentur, Illustrissimum Ducem longo tempore & fœlicissime superuicturum, et post mortem beata ac diuina regna possessurum. Q. VAINVS. Quid deinceps actum est? BRAS. De litium prolixitate haud pauca disputata sunt. Q. VAINVS. Et quæ? BRAS. Nonnulli arbitrabãtur causarum prolixitatẽ ex causidicorum cauillationibus prodire, alij ex instantiarum prorogationibus, alij ex capitulorum citro ultroq; abnegationibus, alij ex fictis causidicorum ægritudinibus, alij ex iudicibus qui in fine litis suspecti iureiurãdo affirmantur. Q. VAINVS. Tu (ut arbitror) nihil

penitus

penitus loquebaris. BRAS. Immo & nonnihil in medium attuli, et omnes benigne audiuere de sententijs scilicet non integris, sed conditionatis, & de paucissimis diebus quibus in integro anno de iure respondetur, & de iudicibus, qui uix extremis processuũ partibus uisis sententiam ferunt. post hæc uerba Illustrissimus Dux iussit ut unusquisq; in quindecim dierum spatio suam sententiam in promptu haberet, & scriptam afferret, non uerbis prolatam, nam ipse ex omnibus his sententijs illã seliget, quæ cæteris commodior & aptior uidebitur, uel ipse qui perspicatioris est ingenij ex omnibus unam eliciet commodissimam. QVAIÑVS. Quid ages tu qui iurisconsultus non es? BRAS. Iuris quidem cõsultus non sum, sed tamen iuris sum capax, quid uero acturus sum tibi explicare nõ grauabor, in primis Deũ optimum totis uiribus, toto corde, tota anima mea implorabo, qui mentem meã spiritus sancti rore fœcundet, ac illustret, ut à nobis modus ille depromatur, q ad Dei laudem sit, & ad omnium hominũ utilitatem. Q. VAI. Quid pulchri ad hanc usq; horam excogitasti? scio te in disquirendis rebus solertem esse. BRAS. An id turpe, an iustum sit ignoramus, tamen & iustum & conueniẽs esse arbitramur. Illustrissimus Dux ALPHONSVS primo uno solo ius dicente usus est, qui de iure respõderet, At mos ille proculdubio probandus non erat, præsertim cum is Ferrariensis esset, qui & filios & agnatos, & domesticos in urbe habebat, immo & ipse Illustrissimus ALPHONSVS hunc ordinem ac morem coarguit, et trium uirorum ordinem delegit, qui unà de iure responderunt, huncq; ordinem Consilium iustitiæ nuncupauit,

nuncupauit, & hi uiri niſi morte præueniãtur, nunquã à iudicandi munere ablegari conſueti ſunt, hic autem modus iudicio noſtro reprehenſione dignus eſt, & Illuſtriſſimo Principi noſtro prorſus arridere nõ uidetur cum ordinem alium quærat, cur uero à nobis arguatur hic mos, eſt quia in tam pauco uirorum numero facile conuenire poſſunt, & in unum conſpirare, & illa agere quæ ſuis & amicorum uotis commoda uidebuntur, at cum nullis unquam ſubijciatur iudicibus ac ſyndicis hoc trium uirorum ordo quis unquam poterit ſi iniuſte mulctentur reſarciri? at ſi plures ſint, non eſt tam facile in unam ſententiam conſpirare, & præſertim cum non ſit perẽnis dignitas, adde cum trium uirorum ordo, in hoc iudicandi munere perpetuo maneat, & ſi aduenæ ſint, tamen amicos indies acquirunt, & affines, immo & ipſi met Ferrarienſes euadunt, coguntur q; ex amicitiæ iure & affinitatis multa perpetrari, quæ à probis uiris perpetranda nõ eſſent, à diuitibus q; muneribus capiuntur, cum ſciant in hoc iudicandi munere perpetuo hos eſſe permanſuros, id q; in hoc ordine deterius eſt, quod opima rapiunt ſpolia, nam uocatas ſportulas accipiunt, & magnifica munera, cum is qui de iure reſpõſurus eſt nulla prece, nullo q; præmio ad iudicãdum moueri debeat, at hoĩes ſunt, munera q; & homines placant atq; Deos. QVAI. Quid ergo faciendũ cenſes tu? BRAS. Optarim multos probos ad hoc negocium demandandos eſſe uiros non minus ſeptem, neq; plures nouem, qui & eſſent aduenæ, & quãto fieri poſſet ſeniores, uel ſaltem qui alijs in locis de iure reſponderint. QVAI. Cur illos impares eligis. BRASA. Quoniam in caſibus

dubijs

dubijs in quibus utrinq; trutina recta esse uidetur, si ad utranq; partem paria essent uota, et pares consensus nõ posset ferri sentẽtia, at cum inæquales sint, necessarium est ut ex una parte plures sint quam ex alia, tunc sententia feretur, ut maiori parti uisum erit. Q. VAINVS. Quomodo ĩ iudicijs ferẽdis tot capita se gerẽt? BRAS. Singulis hebdomadibus uel singulis mensibus horum unus prior uocabitur uel anteſignanus, q̃ sententias illas ferret, quæ mense illo promulgandæ erant. Q. VAI. Igitur unus erit solus qui hoc aget. BRAS. Vnus quidẽ solus ius dicet, sed sententia quam feret ex omnium erit consensu, uel ex maioris partis consensu, immo contingere posset ut his qui pro tribunali sententiam feret, alterius sit sententiæ, quam maior collegarum pars, & hi qui ab alijs dissentiant, dissentiẽdi rationes in mediũ afferre debent, quas alij dissoluere teneantur, postea sententia ferratur, si nouem sint, prætoris officium cessare poterit, & iudicis appellationum, ac maleficij, unusq; ex his eligendus erit qui mensium quatuor spatio prætoris officio fungatur, et alius appellationum iudex sit, ac tertius maleficiorum, mihi tamen potius arridet ut septem sint, & in prætorio sint iudices consueti ab his distincti, qui tamen in eo rigore seruentur, ut ab institutionibus Ferrarienſibus edocemur, neq; diutius immorentur in officijs, quam illis ab institutionibus præfixũ sit. Q. VAINVS. Ex qua pecunia his soluetur? BRAS. Duo mihi subiere menti, cum penitus nollue-rim hos accipere uocatas sportulas, neq; uille munuſculum immo sanciendum est si horum quis uel acetarium uel simplicem fructũ munere accipiat, decẽ aurei scutis

mulctetur

mulctetur, sin bis receperit, ab officio expellatur, mihi uero primo id subijt, ut uniuersa Illustrißimi Principis ditio his stipẽdia psoluat, nã tã minimuũ accipietur ex unaquaq; urbe, & ex unoquoq; oppido ut nullus conqueri poßit, idq; emonumenti ananciscentur populi q, nulla deponent stipendia, quæ salaria uocãtur, in sententijs quæ ab his iudicibus ferentur. idq; præcipue optarem omniũ externorũ lites ad hoc tribunal ante oẽs esse agitandas, & quam breui fieri poterit expediendas, nã audiuimus externos multos, qui & de patria nostra, & de Illustrißimo Duce conquerebantur, & his maledicebant, quoniam per plures menses, & per annum magno illorum dispendio lites protrahebantur, quæ quindecim dierum spatio, & breuiori etiam expediri poterãt. Ad hocq; tribunal lites fisci uoluerim esse ducendas, quæ cũ exteris habentur, ut citius expedirentur quæ exigunt citam expeditionem, & secundo loco uiduarum lites & pupillorum: nec illud ab re esset si una hebdomadæ dies decerneretur qua de incarceratis intelligerent, ob quam causam clauderentur. alter modus est quo solui possent, si stipendia quæ pro ferendis sententijs ab uno quoq; litigante deponũtur, ut nunc fit colligantur, & ab uno Illustrißimi Ducis actore seruentur, ex hisq; nũmis illis qui in hoc collegio assumpti erunt stipẽdium soluat. QVAINVS. At si non sufficerẽt. BRAS. Non dubitamus suffecturos esse, & aliquid etiam super futurũ, tamen probarem potius ut primo modo ijs satisfieret, ne homines uiderentur iustitiam emere, & illud est magis regium absq; præmio iustitiam administrare. QVAINVS. Quanto præmio hos conduci posse arbitraris.

arbitraris. BRAS. Vnicuiq; horum singulis mẽsibus uiginti quinq; scuti numerari debebunt, ut unusquisque singulis annis tercentis scutis donareẽ. QVAINVS. Ergo uniuersa summa esset duum millium & centũ scutorum. BRAS. Verum est si tantum sint septem, quod magis probo, at si hæc pecuniarum summa ex tota Illustrißimi Ducis nostri ditione redimatur, uir unus quadrantem unum non persoluet, & multi magnas euitabunt impensas, nam pro sententiarum salarijs, nemo uel iota deponet, & pupillorum ac uiduarum dispẽsationes absq; expensis fient, quod Deo gratißimum erit, nempe cogebatur uidua ac pupillus aliquid rei immobilis uẽdere ne inedia morereretur, uerum nõ dispensabant iudices, nisi salaria persoluerẽtur, in qua solutione nõnunq̃ dimidium totius pretij rei uenditæ continebatur. QVAINVS. Si nummi defficerent (ut quandoq; cõtingere potest) quid tunc agendum esset? BRAS. Illustrißimus Dux pecuniam erogabit, ut hi persoluantur, nam ipse tot habet à Deo bona, & tot ab hominibus commoda, ut opus sit & illum pro administrãda iustitia aliquid erogare, ut suo fungatur officio, tamen non dubitamus potius superfuturam pecuniam, quàm defecturam. QVAINVS. Iubes ne uiros hos in hoc albo constitutos ad mortem usq; munus hoc obire? BRAS. Minime omniũ, sed potius iuberem ut ad tempus officio hoc fungi deberent. QVAINVS. Quamdiu. BRAS. Ad Trienium, quoniam si diutius perseuerarent, amicitias contraherent, quas ut etiam in hoc tempore summe caueant obseruãdum est, speramusq; Illustrißimum Ducem id esse effecturum, neq; quempiam post trie-

nium

nium in hoc iudicandi munere esse relicturum, nõ enim (si ita fiet) id contingere poterit, (ut speramus) quod alias in prætoribus contigisse nemo ignorat, nempe Ferrarienses institutiones prohibẽt ne ultra decem & octo mẽses quispiam prætor esse possit, tñ quispiam per decẽ annos prætoris officio functus est, qui multorum malorũ causa extitit, ut deniq; aufugere coactus sit, tamẽ alibi ob sua demerita grauissime mulctatus fuit. QVAINVS. Quo ordine erunt agitandæ ante hos uiros causæ? BRAS. Vt cõsuetum est. actor reum citabit, reus ante hos uiros excusationem afferet. tamen optarem unum uel duos ex his Iudicibus alternatis uicibus munus habere actorem, & reum conuocandi antequam de iure altercarentur, illisq; suauioribus uerbis suadere, ut concordes euadant, et eisdem ostendere nũmorum ac temporis iacturam in litibus, & quod ex lite infamiam potius quàm laudem consequentur si intentum assequi poterunt, erunt apud Deum & apud homines laude digni, si uero iudices intentum non assequantur, litigare sinant hos ceruicosiores uiros, ipsi uero benigna aure illos audiant, & deniq; ut decens erit sententiam ferant à qua neminem appellari posse uolumus. QVAINVS. Si quis sit qui apud Ducem de lata sententia cõqueratur, quã iniustam esse dicat et iniustos uocet iudices. BRASA. Hic ad syndicatum usq; expectet, at si Illustrissimi Ducis auribus molestus sit, ut nõnulli esse consueuerũt, qui & iurisperitos habent, qui hoc illis suadent, sententiam. s. esse iniquam, optarem ut Illustrissimus Dux, quinam esset hic Doctor interrogaret, & iurisperitus, qui illi suadet sententiam esse iniquam, postea ab hoc iurispe-

rito

rito petat, an clientulum suum defendere uelit, & iudicet sententiam iniquã fuisse, si annuat, optarem ut Dux statim tres alios iurisperitos eligeret, quibus sub eius indignatione imponeret, ut iuste hanc causam reuiserent, & iuste sententiam ferrent, si hic qui à collegio horum uirorum sententiam contra se habuit, iterum ab his tribus sententiam aduersus haberet, illum in integris mulctarem expensis, & iurisperitum illum qui sententiam iniquam iudicabat, quinquaginta scutis mulctarem, & reum præter expẽsas, quinquaginta mulctarem scutis, & hac de re particulares institutiones fieri iuberem, tamen uoluerim ut hic prius de infligenda penna admoneretur, & simul etiam admoneretur iurisperitus ille, qui iniustam esse illorũ proborum uirorum sententiam iudicabat, at si sententia lata tot uiris esset indigna, illos in totius litis expensis mulctarẽ, & præterea ab unoquoq; illorum uigintiquinq; scutos pro pœna exigẽdos uoluerim, uel secũdum litis onus maiorem pecuniarum copiã.

QVAINVS. Debent ne hi qui in hoc recipiuntur collegium, uno recipi tempore, & postea eodem tempore simul omnes abire? BRAS. Non profectò, sed si Illustrißimo Duci hic ordo placuerit, fama per Italiam uulgabitur, statim doctores confluere incipient, unus erit omniũ primus, qui ab Illustrißimo Duce eligetur, postea alius eligetur, deinde ad aliquot dies tertius, & ita progrediendo quoàd omnes iusto numero sint congregati, q; in unius anni curriculo fiet. primus qui fuerat receptus, primus post trienium recedet, in cuius locum succedet alius, ut aliqui semper sint noui, aliqui antiqui, aliqui medij, itaq; nunquam una uice omnes recedent.

dent. QVAINVS. Quo modo, quibus ue modis lites breuiores fieri posse arbitraris? BRAS. Hoc est, hoc inquam illud cui Illustrissimus Dux maxime incumbit, & de quo conscientiam suam onustam esse arbitratur, nam & ipse audiuit, & agnoscit nullum esse modũ, et nullum imponi finem litibus, iccirco Dei nutu ductus qui ut illum supra tot populos in Ducem elegit, ita gressus eius in semitas suas dirigit, nihilaliud exoptat Illustrissimus Dux, nihil ardentius inquirit, quàm uiam quãdã inuenire, qua lites breuiores reddant. QVAINVS. Ò gloriſissime Dux si hoc efficiet. BRASA. Adde & ò sanctissime, nam immortalem gloriam in hoc mundo sibi parabit, & in altera uita æternam possessionem, quæ nec ferro, nec igne deleri poterit, aut uel minimum maculari. QVAINVS. Eia igitur, quo medio id efficere posse arbitraris? BRAS. Et si munus hoc ad illos potius spectare uidereẽ, qui ius ciuile exercent, tamen cum ad hoc negocium ab excellentia sua sim uocatus, & iusserit ut sententiam meam in hac re deprome-rem, nõ possum tanto Duci nõ parere, neq; excusatione aliqua uti uolo, sed mihi satis erit uel probè uel male dicam, illi obtẽperasse, & præterea in hac re discutienda nullum ordinem alicuius urbis legere uolui, sed illa tantum scribere proposui, quæ mens mea à Deo (ut arbitror) recta dictabit, nam Deus ipse peccatorum preces non despicit. QVAINVS. Quid igitur faciendum censes? BRAS. Primo tot instãtias, totq; instantiarũ ꝓductiones remouerẽ, nempe mira sunt de dissidijs quæ in his instãtijs uidimus & audiuimus. QVAI. Quænam illa sunt? BRAS. Vidimus causidicum, iudicem

& notarium,

et notarium inter se de his instantijs dißidentes, quippe nonnulli dicebant adhuc aliquot supereſſe dies instantiarum in una causa, alij hoc negabant, ac si illis ignotum esset quando cœperit, & quantũ perdurare deberent, ut necessarium mihi uideretur nõnullos ex his in clientuli causa fuisse negligentißimos. aliud in causis submouẽdum mihi uidetur. s. iudicum suspitio, præsertim cum legitima causa non adsit, at in hoc uirorum collegio, nulla erit suspitionis causa, quoniam erunt omnes externi, neq; Ferrariæ affines habebunt, neq; amicos si fieri poterit. Immo & in alijs Ferrarienſibus iudicibus tres solum suspitionis causas recipiendas esse iudicarim. s. affinitatem, intrinsecam amicitiam, et munerum receptionem quæ palam constet, neq; apud aduersarium clientulum solum imaginaria sit. Ego huius generis sum, si iudex esset uir probus, & cum eius fratre, aut patre causam agerem, illum iudicem accipere non uererer, nã uir probus à ueritate potius cogitur, quàm uel à fraterno aut paterno amore, tamẽ proh dolor rariſsimi sunt, aut nulli nostra hac ætate huius generis uiri. QVAINVS. Quid deinceps agendum? BRAS. Institutiones ferendæ erunt, & per causarum nomina distinguendæ sunt uero eiuscemodi, & nomina, & genera ignota, ut ita sanciantur: Causæ quæ in hoc genere sunt in uno mense finiantur, quæ in illo genere in tribus mensibus, quæ in alio genere in integro anno, nempe nõ dubitamus nullã esse tam arduam causam quæ in integro anno finem habere non posßit, uerũtame si causæ statuta hæc transigerẽt tempora, iudices mulctandi erunt, si ex iudicum causa prorogatio facta sit; si uero clientulorum causa uel

cauſidicorum prorogatio hæc ortum habuerit, hi mul
ctentur, qui dilationis litis ſunt cauſa. QVAINVS.
Videtur & mihi id quod dicitur reſpondere capitulis
lites multum prorogare. BRAS. Immo maxime, nã
improbi cauſidici ſuis ſuadent clientulis, ut unaquæq; ue
ra abnegent, idq; iure iurando faciunt, ſe probe iurare
aſſerentes, cum tamen ſciant id eſſe uerum quod negãt,
ò rem iniquã, ò nephandum ſcelus & impunitum. ſi pau
perculus quiſpiam periurus qui ſemel tantum peieraue=
rit capiatur, extorquetur, mulctatur, ab eo uſq; ad mi=
nimum quadrantem exigitur, manus truncatur, & per
totam urbem digito monſtratur infamis, at hi qui toties
iureiurando affirmarunt quod falſum eſt, & in una tan
tum cauſa, laudantur & ueluti dextero ingenio præditi
extolluntur. quiſq; igitur toties mulctetur, quot uocata
capitula negabit, quæ uera ſint atque palàm nota.
QVAINVS. Audiui de hac re inſtitutiones adeſſe,
ſed minime ſeruari. BRAS. Adſunt quidem, ſed Il=
luſtriſsimus Dux illas remiſit, nam primi legum latores
iuſſere ut pro quolibet manifeſto capitulo negato uigin
ti quinq; libræ ad Ferrarienſium rationem perſolueren
tur, Illuſtriſsimus uero Dux remiſit hanc mulctam, &
ſanxit ut tantum eſſent libræ decem, nam animo cõcipie
bat ut penitus abſq; ulla exceptione ſoluerentur, at qui
ius adminiſtrant probum ac integrum Ducis animũ non
animaduertere, ſed eius benignitate abuſi ſunt, iccirco
cum uiderim neq; hos ſecũdæ inſtitutioni paruiſſe, opta
rim ut prima inſtitutio ſeruaretur, ut pro quocunq; ma
nifeſto capitulo abnegato uiginti quinq; libræ ſolueren
tur, nec ulla penitus haberetur remiſsio: hos uero nũmos

ad pios

ad pios usus conuerti uoluerim, & si causidicus clientulo suasisset ut hæc capitula abnegaret, causidicum simul mulctandum censerem. De hacq; mulcta noluerim ut à iurisperitis iudicaretur, quoniã inter se concordes sunt, sed potius theologum quendam eligerem, aut philosophum uiros fide dignos, aut simul cum his & iurisperitum, qui de his capitulis abnegatis, qui negari non debebant decernerent. QVAINVS. Fortè & tu cum de philosopho mentionẽ facias huic negocio interesse optares. BRAS. Immo mens mea ab hoc negocio q̃ maxime abest, quippe Deus testis est, quantum ab ambitione absim, neq; opus est me hæc ambire, ut qui (absit iactantia) ex me ipso gloriosus sim, & per totam Europam notus, ut alias prætereã orbis partes, addeq; me summopere ægre laturum esse si Illustrißimus Dux iuberet me huic, uel simili negocio interesse. id igitur primo optarem, ut capitula iudicibus ostenderentur, in quibus si nõ nulla adessent quæ ad causam nihil facere uiderentur, cum causidicus sit horum capitulorũ author, statim pro singulo proposito capitulo ad causam non spectante, uel spectante, sed manifesto, causidicum mulctarem decem libris quoniam nondum iureiurando falsa affirmarunt. hoc admirabile est, hi abnegare solent Ioãnem esse Petri filium, & Petrum Iacobi ut litem prorogent, & multiplicent expensas, cum tamen hæc uniuerso populo palàm sint, immo & nonnunquam negare solent Ioannem fuisse in rerum natura, quem tamen & ipsi periuri in rerum natura fuisse nouerunt, & illum proprijs oculis inspexere. QVAI. Abeant in malam crucẽ hæ peruersæ rabulæ, quid dices de testium examine? BRAS.

Quod breui & fiat, & quocũq; die, uel etiã Dominico, quãdo teſtibus examinari cõmodum eſt, & ſanciendum eſſe ſtatutum tempus & breue, in quo teſtes examinarentur qui in urbe ſunt: quibus uero extra urbem ſunt ſecundum loci diſtantiam prolixius tempus decerneretur, tranſacto tempore ſi teſtes examinati non ſint, clientulis imputetur, & ſententia feratur. QVAIN. De falſis teſtibus qui reprobantur, & eorum falſitas oſtenditur, quid agendum eſt? BRAS. Contra hos hoſtiliter agendum eſt, ac dire, tum quia peierarunt, tum quia ab alio rapiunt clientulo quicquid in lite continetur, ſi diues eſſet illum in tota litis quãtitate mulctarem, ſi pauper illum torqueri iuberem, & male tractari. QVAIN. Videris ſupra modum crudelis contra hos falſos teſtes. BRAS. His nebulonibus adhuc peius facerem quàm dixerim, adeo mihi diſplicent falſi & mendaces teſtes: nam hæ malæ beſtiæ poſſunt unicuique probo uiro derogare. QVAIN. Quas lites ad hoc collegium deuoluendas putares? BRAS. Omnes poſt primam appellationem, & omnes pupillorum ac uiduarum lites, & omnes aduenarũ mercatorum, & aliorum. Audiui frequenter mercatores qui & Ferrariæ, et Illuſtriſſimo Duci derogabant ob lites quaſdã circa mercaturas, quæ prorogabantur: cum tamen alibi breuiſſime expediri conſueuerint: affirmabant hi iure iurando, optare potius contra ſe ſententiã ferri, & breui expediri, quam ita protrahi, & nummos, ac tempus amittere. QVAIN. Reliquæ lites in quo erunt agitandæ loco? BRAS. Vniuſcuiuſq; generis lites erunt ad hoc collegium ducendæ, modo partes conſentiant: unde in diplomatibus

plomatibus quando collegium hoc petetur, omnes erunt obsignandæ, etiam absente Duce, modo partes consentiant: si partes non consentirent, lis in foro, & in prætorio, ut cõsuetũ est, agitetur, sed cauillationes omnes breuiores reddãtur prædicto modo: postea si is cõtra quem sententia lata est ad appellationum iudicem se appellet, concedatur: denique ad hoc collegium deducatur, quod quàm breuius fieri possit, re egregie prepensa iudicium ferat. QVAIN. Dux quandoque exoratus ut causam aliquã ad hoc collegium releget, etiam parte nolente, poterit ne id efficere? & iuste? BRASA. Quid impediet? sed Illustrissimus Dux considerabit uirum illum qui hæc petet, & causam ob quam fugiat publicum forum, & ita liber erit hoc gratis elargiri, et non elargiri, nam & Illustrissimus Dux liber esse debet in his rebus quæ iuri non derogant, sed tantum longitudini derogant aliqua nonnullis impartiri, quæ alijs concedere noluerit. QVAIN. Erunt ne horum uirorum diffinitiuæ sententiæ? BRAS. Erunt ut superius dictum est, cum erit lata sententia, ab his uiris nemo appellari potest, nisi in fine officij horum uirorum, quando in syndicatu iudicabuntur. quando ad hoc tempus peruenient, is qui conqueritur rationes suas afferat, quæ si probæ sint, iudex mulctetur, et quisquis alter ex hoc numero in fine mulctetur: è contrario, si is qui de iudicibus cõqueritur aberret, et iniuste cõqueratur in expensis mulctetur: & præterea secundum quantitatem rei de qua lis fiebat etiam mulctetur: mulcta uero nunquam minor sit uiginti quinq; ducatis aureis ad pias causas exponendis, et quibus etiam uiro illo, uel illis satisfiat, qui iniuste accusabant.

cusabant. QVAIN. Nonne possent inexcogitatæ causæ contingere, quæ nouo indigerent consilio? BRASA. Possent prorsus, nam Aristoteles summus philosophus ostendit rhetores non uti syllogismo, neque demonstratione, sed solum enthimemate & exemplo, quia circa singularia uersantur, singularia uero infinita sunt, de qbus non põt haberi scientia, iccirco cũ et causæ infinitæ esse posset, uel infinitas habere facies: nam ut hoium facies diuersæ sunt, ita et litiũ facies diuersas esse nemo ambigere debet, et necessariũ est legislatorẽ semp noua uidere, & noua rimari, ut in dies noua etiam emergunt: iccirco si quispiam inopinati casus contigerint, ad legislatorẽ recurrere semper opus erit, qui est legis anima atque mens, & qui legis intellectum explicare poterit. QVAIN. Audiuimus quacunq; lege condita & sancita statim ab his causidicis cauillationes circa ipsam inueniri. BRAS. Ob hoc necessarium erit Illustrissimum Ducem semper prouidere, qui ad hoc natus est ut iustitiam seruari faciat, & insontes à sontibus liberet, bonosq; à prauis defendat, ac tueat. QVAI. Audiuimus de Ferrarien sibus institutionibus corrigendis interfuisse sermonem. BRAS. Interfuit quidem, at iudicio meo correctione non indigẽt, sed potius obseruatione, eo tamen solo indigere uidentur, ut multa superflua auferantur, & sola legis anima describatur. QVAIN. Quid tibi uidetur de his qui publicis instrumentis oppugnare solent? BRAS. Id uidetur iniquum facinus, & à Republica probe ordinata penitus ablegandum: quippe multi sunt qui publico instrumẽto nectuntur: tamen per sex, octo, et uiginti menses lites

prorogant,

prorogant, hocque causidicorum, & iudicum malitia, atque improbitate contingit. Cum ergo quispiam publico instrumento nexus fuerit, uiginti quinque dierum spatio soluere cogatur, & lites omnes de mutuatis pecunijs, quando uel scripta extant, uel testes in hoc dierum spatio terminentur, immo et in breuiori tpe, sola rei ueritate inspecta, & iudex reum uerbis etiam admoneat, & corripiat, hoc modo. te pudere deberet hæc propalam manifestißima tam impudenter infitias ire: quis Dæmon, aut prauus genius ad hæc te suasit. si causidicum afferat (nam hæ malæ bestiæ sunt infinitarum litium causæ, ut lucrentur) & causidicus ipse uerbis saltem à iudice corrigendus erit, & admonendus, ne clientulos suos ad tam prauum facinus exercẽdum suadeat, quod & hominibus displicet, atq; Deo omnipotenti. at de horis reddendi iuris iterum uerba facturus sum. cum puer essem bis in die ius in prætorio reddebat. nunc uero semel redditur, iurisperiti id fieri non posse dicunt (tamen aliàs factum esse non inficiantur) ob allegationes, & ob processuum magnitudinem quos iudex legere cogitur, & considerare. at hoc fateamur, sed tot auferantur feriæ: et cũ diuersa sint causarũ genera, cur de mercede ius non redditur? de locationibus? de litibus à decẽ libris infra, et de alijs similibus in quibus nõ sunt longi processus, neq; allegationes fieri cõsuerunt? Præterea feriæ ob uindemias illis nihil deseruiunt, qui in urbe manent, & qui ad uina conficienda rus non petunt. nullus est doctor, qui ob uindemias rus petat, nullus nobilis: sunt tantum ciues quidã, quibus facultas non adest nutriendi quæstorem. his hoc munus harum feriarum condonetur. Petunt & hi causidici

dici ferias ob calorem, his concedãtur, sed hac conditione, ut interim à cibo & potu arceantur: nam hi uictu digni non sunt, qui labores fugiunt, calor non est conueniens causa ut ius prorogetur, nisi fortè concederem, ut semel in die ob calorem ius redderetur. QVAIN. Audiui & quosdam esse, qui litis finem expectant: postea cum sententia ferenda est, causidicum excitãt: ut lis progetur, qui (ac si nuper in castra proficiscatur) processus copiam petit. BRAS. Hi non solum hoc tempore audiri non debent, sed puniendus est causidicus, ueluti is qui accipit quidem à clientulo mercedem, sed litimentem non adhibuit, si processus copia indiget: nã prius hanc copiam quæsiuisse debuit, & non expectasse litem esse sententiæ proximam. QVAINVS. Ergo processus copia his præbenda non est? BRAS. Minime omnium cum sunt in litis calce, sed iudex hoc etiam inuito sententiam ferat. qui nec tunc possit etiam iureiurando affirmari suspectus. QVAIN. Id quod dicitur porrigere dubia, & dissoluere lites etiam prorogare uidetur. BRAS. Prorogat quidem, sed id maxime necessarium est: tamen instituendum est ut una uice omnia præbeantur dubia, aut saltem non possent eiuscemodi dubia præberi dissoluenda, præterquam bis, quoniam in hac dubiorum ultro citroque dissolutione multi expenduntur nummi cum dubia multiplicantur. QVAINVS. Tu diuersarum urbium ordines interim legere poteris, ut commodius sententiam tuam proferas. BRASAVOL. Immo hoc statui nullum alicuius urbis ordinẽ legere, sed id solũ scriptis mãdare, quod menti meæ glorioſiſsimus Deus inſtillabit,

quem

quem ex corde oraui, ut & patrem patriæ Ducem nostrum Illustrißimum, et patriam ipsam pie, benigne, et dextero oculo respiceret, mentemque meam ita dirigeret, ut illa proponerem, quæ & in honorem eius essent, & gratiam, & uniuersis populis utilitatem afferrent.

Epithome ordinis reddendi iuris

Septem (nec minus) eligãtur aduenæ iurisperiti, quibus stipendium exibeatur ex tota Illustrißimi Ducis ditione, unicuiq; uero pro stipendio tercẽti præbeãtur scuti

Hi sint per triennium solum iudices

Singulis quinq; mẽsibus unus sit antesignanus uel prior uel quocunq; alio nomine uocetur, qui sententias ferat, ex aliorum tamen consensu

In officij calce ipsorum quisq; syndicetur,

SENEX. Mihi non displicet hic iuris dicendi modus quem scriptis tradidisti, at suppetet adhuc tempus breuißime omnia Sieph genera cum paucißima sint explicare. BRAS. A primo incipito nam (ut arbitror) breui illa explicabimus, & forte citius quam Illustrißimum Ducem alloqui potuerim. SE. Inuisisti ne tuos omnes ægrotos. BRAS. Inuisi, nam paucißimi sunt qui in præsentiarum Ferrariæ ægrotent.

SENEX. I

Primum Sieph genus illud est quod Sieph albũ uocatur.

BRAS. Scito uocabulum hoc Sieph arabicum esse, & idem significare quod collyrium, collyria uero medicamenta ad oculos spectant, uerum à quo authore accipis istud uocatum album collyrium? SE. ARasi in tertio ad Almãsorẽ libro, ubi de Ophthalmia sermonẽ habet.

BRAS. In pharmacopolijs duplex seruatur album collyrium

collyrium, alterum cum opio, alterum sine opio. SE. Et ego utrunque paro ad usus que seruo, at Rasis ita nos conficere docet.

Recipe ceruſſæ lotæ drach. X.
Sarcocollæ craſſæ drach. III.
Tragacanthi drach. I.
Opij drach. ſemis
Miſce, & conficiantur in formam lenti ſimilem. BRA. Aliqui in parui piri formam componunt, at quo liquore eiuſcemodi ſimplicia ſimul miſces? SE. Aqua roſacea, nam ita fieri oportere intentio ad ophtalmiã oſtendit. BRAS. Cum ſine opio paras immutas ne ſimplicia enarrata? SE. Neq; ſimplicia neq; illorum pondus muto. BRAS. Nonnulli ex albumine oui conficiunt, & roſaceæ modico, uerum utrunq; conuenit, & ſimul, & ſeorſum acceptum, at compoſitio quam adduxiſti à Meſue refertur in capite de Ophthalmia, et illa eſt quã uocat Sieph album filij Zachariæ ad ophthalmiam conferens & oculorum dolores, in uno tantum ſimplici ab hoc differt. SE. Vt hoc facilius percipiam, compoſitionẽ (ni pigeat) referto. BRA. Hæc eſt quæ ſequitur.

Recipe ceruſſæ ablutæ drach. IIII.
Sarcocollæ groſſæ drach. III.
Amyli drach. II.
Tragacanthi drach. I.
Opij drach. ſemis
Miſce, & fiant trochiſci parui. SE. Ego duas inſpicio differẽtias alteram in ceruſſæ põdere, alterã in amylo, quod à Raſi in ſua compoſitione poſitum nõ eſt. BRAS. Ita eſſe conſtat, uerum ſcire oportet in huius collyrij confectione,

confectione multum esse diuersos pharmacopolas, nam aliqui ita conficiunt, ut Rasim conficere adduxisti, alij ut Mesue refert secundum Zachariam, immo ut illis placet opium addunt, & non addunt, & cum opio faciunt, ac sine opio, nonnulli ex aqua rosacea conficiunt, alij ex oui albumine, alij ex utroq;, quidam Gummi arabicum adijciunt, ita conficientes.

Recipe cerussæ lotæ drach. X.
Gummi arabici
Amyli } Singulorum drach. VI.
Sarcocollæ drach. X.
Tragacanthi albi drach. III.
Misce, & cum aqua rosacea conficiantur. SE. Hæc sunt absq; opio collyria. BRAS. Nota uero collyria ex opio nõ conficere ex hac compositione addito opio, sed sequenti modo parare.

Recipe gummi arabici
Tragacanthi } Singulorum drach. IIII.
Amyli
Cerussæ lotæ drach. VI.
Opij drach. I.
Confice cum albumine oui. SE. Magnæ sunt in hoc Sieph diuersitates. BRAS. Nondum diuersitatum finem attigisti, nam aliqui faciunt unum album collyrium ex his quæ in capite de Ophthalmia à Mesue referũtur, alij aliud, nonnulli etenim sunt, qui collyrium album efficiunt à Mesue relatum sub filij Zezar sententia, & hoc est quod superius retulimus, alij uero ita conficiunt.

Recipe sarcocollæ nutritæ in lacte asinæ drach. semis
Amyli drach. IIII.

Tragacanthi

Tragacanthi drach. IIII.
Opij drach. I.
Olibani drach. I. semis
Ceruſſæ ablutæ drach. VI.

Miſce, & conficiantur cum aqua pluuiali SE. Cur potius cum aqua pluuiali, quam cum alia? BRAS. Quia pluuialis aqua repercutiendi uim habet, quod in initio ophthalmiæ fieri conuenit, ac debet, ne multa materia ad oculos fluat, ſed illa potius quæ iam adeſt ad alias partes repellatur, nam in nullo loco deterius eſſe poteſt quã in oculo. alij collyrium aliud ſeruãt uocatũ album, quod Meſue ad Aboalim refert, et dicit ophthalmiæ cõferre, in principio, & augmento. SE. Quod nam eſt BSAS. Hoc quod refero

Recipe ceruſſæ drach. X.
Gummi arabici } Singulorum drach. V.
Amyli }
Sarcocollæ nutritæ in lactæ aſinæ aut mulieris. ʒ. X.
Tragacanthi drach. III.
Opij drach. I. ſemis

Miſce, & cum aqua conficito. SE. Non uideo in his collyrijs magnam eſſe differentiam. BRAS. Magna prorſus non eſt, ſed aliqua tamen. SE. Sunt ne alij qui & alio modo à prædictis euarient? BRAS. Immo adſunt, nam nonnulli collyrium illud ſeruant quod Meſue refert ſub Alexandri compoſitione. SE. Hãc Alexandri compoſitionem ignoro, niſi illam referas. BRAS. Hæc ſunt Meſue uerba. Sieph albũ deſcriptione Alexãdri expertum ad ophthalmiam calidam cum nimio dolore, & eſt mirabile

Recipe

Recipe climiæ, prius tamẽ lotæ, deinde aduſtæ & extinctæ in lacte mulieris drach. X.
Ceruſſæ lotæ drach. VIII.
Scoriæ ferri drach. IIII.
Opij drach. II.
Tragacanthi
Gummi arabici } Singulorum drach. IIII.

Miſce, & cum aqua pluuiali conficito. SE. Collyrium hoc eſt ne cæteris uehementius? BRAS. Multis uehementius eſt, ſed nota non eſſe exquiſite album, licet ad albedinem quandam inclinare uideatur. SE. Iam dubitationi occurriſti, quã propoſiturus eram, petere etenim uolebam, cum climiam recipiat, ferri ſcoriam, & gummi arabicum, quomodo album eſſe poßit, at dixiſti ad aliquam tendere albedinem, ueruntamen quod nam genus ſeruaturus ſum? BRAS. Illud quod & prius ſeruabas, & cum opio, & ſine opio. BRAS. Poteſt ne oculus ab opio offendi? BRAS. Nihil profecto oculo prodeſt opium, tamen in magnis doloribus neceſſarium eſt & opio uti, & recipientibus opium medicamentis. SE. reperitur ne apud antiquos eiuſcemodi collyrium albũ uocatũ? BRAS. Galenus in quarto de Cõpoſitione medicamentorũ 2m locos, albi collyrij mẽtionẽ facit ad epiphoras & affectiones, inſcribitur tripherum, id eſt delicatum. SE. Ni pigeat hoc Galeni album collyrium adducito. BRAS. Et adducam & ſuadebo ut deinceps illud ſerues cum opio, & ſine opio. SE. Quomodo illud parat Galenus? BRAS. Cum opio, at ipſo remotõ, cũ opio amplius eſſe non poterit. SE. Compoſitionem hanc iam audire flagro. BRAS. Ne flagres obſecro,

ſecro, nam illam nunc refero.

Recipe cadmiæ lotæ drach. XVI.
Ceruſſæ drach. VIII.
Amyli drach. IIII.
Gummi drach. IIII.
Tragacanthæ drach. IIII.
Opij drach. II.

Excipe aqua pluuiali. Vſus eſt cum ouo, intellige ex oui albumine. SEN. *Cadmia abluta à prædictis diſtinguinon uidetur.* BRAS. *Immo & in illo Alexandri cadmia poſita eſt.* SE. *Deinceps igitur album hoc Galeni collyrium & cũ opio, & ſine opio ſeruaturus ſum, & cum à medicis ſieph album indicetur, hoc præbebo.* BRAS. *Si ita feceris, nullo errore detineberis, & anti quas cõpoſitiones in lucem reuocabis, quod unuſquiſq; quantum in ſe ipſo eſt, facere deberet, ab Aetio libro ſeptimo capite* CVII. *duo collyria referũtur, quæ alba uocat, tamen alba non eſſe conſtat, ſi illa quæ ingrediũtur contẽplabimur.* SE. *At quæ ingrediuntur?* BRAS. *Ne tempus conteratur referre non eſt opus.* SE. *Cur non eſt opus? immo duas has cõpoſitiones libenter audirem, ut ſtatim an alba eſſent deprehendere poſſem.* BRAS. *Vt tibi morem geram, hæc eſt prima Aetij cõpoſitio, de qua dicit, Diarhodon album noſtrum, inquit Oribaſius, in uigore morbi adhibendum ad ulcera ad hypopia, inuſtiones, cruſtas, & ulcera ſordida.*

Recipe cadmiæ uſtæ lotæ
Stibij uſti loti
Roſarum recentium exectis unguibus } *Sing. drach. VIII.*

Opij

Opij, Croci } Singulorum drach. IIII.
Amyli }
Aloes drach. II.
Tragacanthæ drach. III.
Confice cum aqua, quidam addunt
Samiæ ſtellæ drach. II.

SE. Hoc nunquam erit album, nam opium, crocum, & aloe præter alia collyrium hoc albũ ſinere non poſſunt. BRAS. Iccirco admiratus ſum cur album nuncupauerit. SE. At aliud referto, ut contemplari poſsim num ita album ſit, ut primum. BRAS. Ita dicit Actius Diarhodon album ex ſucco hyoſcyami, confectum.

Recipe ceruſſæ unc. XXV.
Croci unc. V.
Opij drach. XII.
Myrrhæ unc. V.
Roſarum uiridium exectis unguibus unc. XVIII.
Gummi drach. C.

Roſas ex aqua terito, deinde ceruſſam cõmiſce, liquores uero & gummi ſucco hyoſciami madefacito, & confice, utereq; ad tenuißimos & acres defluxus, & ad eos qui ſimul ſunt cum ulceribus generoſe. enim repellit. SE. Neq; iſtud mihi album uidetur. BRAS. Neq; album eſſe poteſt, de albis uero in eodem libro multa dicit capite CIII. SE. Illa referas. BRAS. Non referã etiam ſi me diutius orares, & impenſe efflagitares, tu ipſe domi tuæ in authore legere poteris. SE. Aetij libro careo. BRAS. Ad te librũ mittam ne me hoc referendi onere premas, at cum de hoc collyrio nihil aliud dicendum uideatur, ad alia te conuertito.

Collyrium de Thure secundo loco scriptũ est. BRAS. A quo authore illud accipiis? SE. A meo quodã libello manu scripto, tamẽ refertur ad Rasim in nono ad Almãsorem in capitulo de Oculorum ulceribus. BRAS. Quomodo illud conficis. SE. Vt ab authore scriptum est, uidelicet.

Recipe ammoniaci
Sarcocollæ } Singulorum drach. semis.
Thuris drach. X.
Croci drach. II.
Misce cum mucilagine fœnu græci, et collyrium fiat.

BRAS. At alij sunt, qui ita conficiunt.

Recipe ammoniaci
Sarcocollæ } Singulorum drach. V.
Thuris drach. X.
Croci drach. II.
Confice cum mucilagine fœnu græci. SE. A meo tantũ differt in simplicium primorũ pondere. BRAS. Et maxime differt. SE. At quam cõpositionem potius probas? BRAS. Illam quam nunc adduxi, nam sumi debent ammoniaci & sarcocollæ drachmæ quinq; & nõ drach. semis, error fuit in tuo libello, qui te errare fecit, quoniam litera hæc. ſ. hoc modo scripta significat semis apud pharmacopolas, sed apud arithmeticos significat quinq;, forte libelli scriptor secutus est arithmeticos & nõ pharmacopolas, cum uero pharmacopolæ ita scriptum inuenerint, arithmetico more uidelicet. ſ. legere semis, cum quinq; legere debuissent. SE. Qua coniectura hoc assecutus es, quod potius legi debeat quinq; quàm

quàm semis. BRAS. His coniecturis in hac sententiã ductus sum, primo quia nimis parua quantitas horum duorum simplicium esset in hac compositione, quæ tamẽ simplicia ad collyrij intentionem multum proficiunt, præterea Mesue i capitulo de Oculorũ uulneribus atq; ulceribus hoc collyrium integre refert secundũ Zachariam, & ait, de unoquoq; horum (.s. ammoniaci & sarcocollæ) quinq; recipit drachmas, & inquit ulcera maturare. SE. Reperitur ne apud antiquos eiuscemodi de thure collyrium? BRAS. Hoc iam relatum ad unguem non reperitur, sed apud Galenũ in quarto de Compositione medicamentorum secundum locos collyrium de thure reperitur, quod uocat Diaolibanon hoc est de thure fluxionibus & chemosis accõmodum. SE. Gale in cõpositionem referto. BRAS. Hæc est quã refero.

Recipe cadmiæ drach. XX.
Thuris drach. XX. Cerussæ drach. XL.
Opij drach. VI. Gummi drach. VI.
Aqua pluuiali excipito. SE. Mihi potius uocandum uideretur de cerussa q̃ de thure. BRAS. Forte Galenus hoc noscens addidit, nos aũt sic præparauimus.

Recipe cadmiæ
Pompholigis } Singulorum drach. X.
Thuris
Cerussæ drach. XL. Opij drach. VI.
Gummi tantumdem.
Aqua pluuia excepta admoue cum ouo. SE. Et in hoc ẽt thus à cerussa longe superatur. BRAS. Hoc nihil refert, immo & apud Actium libro VII. cap. CV. duo è thure collyria referuntur, quorum unum non ha-

bet plus thuris q̃ aliorum simpliciũ, et in utrisq; cerussa alia simplicia multum excedit. SE. Libenter audirem eiuscemodi Aetij de thure collyria. BRAS. Audito igitur. hoc primum est quod dicit ualere ad defluxus, chemosas, & concauitates.

Recipe cadmiæ drach. VIII.
Thuris drach. XX.
Cerussæ drach. XL.
Stellæ samiæ, Gummi } Singulorum drach. VI.
Confice cum aqua, usus tẽpore cum ouo diluito. SE. Hoc audiui, aliud iam referto. BRAS. Inquit hoc secundum triphorum inscribi ad inustiones phlyctænas, chemosas, & præsertim in ijs qui nullam prorsus mordicationem sufferre possunt.

Recipe cadmiæ lotæ, Thuris, Amyli } Singulorum drach. XX.
Cerussæ lotæ drach. XLVIII.
Opij drach. VI. Gummi drcah. XVI.
Vsus tempore cum ouo diluitur. SE. Quomodo potest ouo dilui?

BRAS. Sumitur pars illa oui in albumine liquidior, quæ uti aqua ferè uidetur, illa enim diluere potest, & in usum uenire, reliqua uero prosequaris. SE. Cum genus unum in medium adduxero tunc sermo iste finem accipiet. BRAS. Hoc igitur unum referto.

SENEX. III.

In meo pharmacopolio seruo etiam Sieph de Plumbo. BRAS. Et alij ẽt Ferrariæ seruant, at ne tibi graue sit cõpositionem q̃ paras referre. SE. Ita illud conficio.

Recipe

Recipe plumbi adusti
Antimonij
Tutiæ ablutæ
Calcecumenon
Gummi arabici
Tragacanthi
} Singulorum drach. VIII.
Opij drach. semis

Confice ex aqua pluuiali. BRAS. Nullum aliud adhibes huic collyrio artificium? SE. Nullum. BRAS. At alij hæc in puluerem redigũt, & per pãnum sericiũ tenuem eliquant, postea aqua pluuiali aspergunt, & in globulos conficiunt. SE. Et ego pulueres optime tero, at per sericum non eliquo. BRAS. A quo authore accipitur? SE. A Rasi in loco superius citato. Dic ture peritur ne apud alios authores? BRAS. Apud Græcos nusq̃ inuenire sciui, at apud Mesuẽ reperitur in capite de Vulneribus et ulceribus oculorum cũ ait, Cõfectio sieph filij Zachariæ Arasi quã compositionem oculorũ uulnera replere, & cõsolidare dicit. SE. Illã referto. BRAS. Quid opus est referre, cũ eadem præcise sit cum illa quã adduxisti. SE. Eliquat ne Mesue per sericũ pulueres? BRAS. Minime sed conficit ut tu dixisti, ex aqua pluuiali. SE. Fortè hic Zachariæ filius est Rasis. BRAS. Id fieri põt, scito aũt et nõnullos ex aqua rosacea conficere, & non ex pluuiali. SE. Cur medici sieph album aqua rosacea supra cotem eliquant, postea eliquatũ succũ qui albus est in oculũ inijciunt. BRAS. Galenus in quarto de Cõpositione medicamẽtorum secũdum locos in eliquandis collyrijs cotẽ magnifacit, nempe ait lenitiuos autẽ liquores dixi oui candidum, & fœnigræci

græci decoctũ, & ad hæc amplius ipsum lac in quo prouidum esse conuenit, ut iuuenculæ simulq; boni succi fœminæ existat, uberibus ipsius in cotem in qua collyriũ teritur, expressis quò calidũ adhuc oculis infundatur. En qũo iubet teri collyria supra coten, tñ nõ oia sunt supra cotẽ terenda. SE. Quæ aũt illa sunt, quæ in cote terẽda ueniunt? BRAS. Illa quæ ad repercutiẽdum adhibẽtur, nã a cote aliquid enanciscitur depellentis medicamẽtum. SE. De sieph generibus iam finitũ est. BRAS. Igitur tria tantum collyriorum genera in pharmacopolijs seruatis? SEN. Tria tantum & non plura, sed medici in dies sua quædam parant collyriorum genera. BRAS. Hoc perspicuum est, nam & ego his etiã raro utor, sed cum repercussurus sum, et calorem inflãmationis, et dolorẽ in ophthalmia sedaturus, si non acceperim albũ collyriũ uel cũ opio, uel sine opio, ita ĩdicere soleo.

Recipe Antimonij drach. I.
Tutiæ præparatæ drach. semis
Aquæ rosaceæ unc. IIII.

Misce, et gosopio, uel lana, uel re alia in oculos imponatur. cum affectum prorogari uideo, tutiã augeo, et qñq; addo oui albumẽ. i. partem illam tenellã, et aqueam, quæ in albumine est, nonnunq̃ uero in mulieris lac antimoniũ ac tutiã impono. affectu adhuc perseuerante, sed inflammatione remissa his quæ sequuntur utor.

Recipe Tutiæ præparatæ drach. I.
Sarcocollæ lacte nutritæ drach. semis
Aquæ rosaceæ unc. IIII.

Misce, & postea nonnihil lotæ aloes addo, & deniq; ad resoluentia me confero, et nonnunquam fomentum hoc

supra

ſupra oculos fieri iubeo, quod dolores mirum in modũ aufert, materiasq; reſoluit,

Recipe fœnu græci
Meliloti } *Singulorum manip. I.*
Roſarum rubrarum manip. ſemis

Miſce, et bulliant in aqua fœniculi ſecundũ artẽ, poſtea oculi ſpongia foueantur. SE. *Nõ ne tibi dixi quod breuibus ab hoc collyriorum negotio eſſemus expediti?* BRAS. *Neq; diutius immorari opus erat, nam aliò uocor uale igitur in præſentiarum quoàd iterum conueniamus.* SE. *Obſecro quanto citius fieri poterit conueniamus, nam ſummo gaudio euehor, cum uideo uniuerſum meum pharmacopolium in examen uenire, & conſiderari.* BRAS. *Hoc (Deo duce) tandem perficietur.*

INDEX

Sieph Album I
Sieph de Thure II
Sieph de Plumbo III

FINIS.


REGISTRVM.

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y

A B C D E F G H I K L M N O P Q.

Venetijs apud Hæredes Lucæ Antonij Iuntæ
Menſe Martio M D L I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

